POETÆ
Scoti

I.

11

7298 A

G. 1. 4



The Arms of Dundas of ARNISTON

2 vols
£200

Arniston Library
Shelf I
Bookcase W

DELITIÆ POETARVM SCOTORVM

hujus ævi

ILLVSTRIVM.



AMSTERDAMI,

Apud IOHANNEM BLAEV,

CIↃ IↃ CXXXVII.

DElicias *haſce* Poetarum Scotorum hujus ævi illuſtrium *à nobis recenſitas, nihil doctrina Chriſtianæ contrarium, moribus noxium, aut quod publicè privatimve juſto eſſe debeat offendiculo continere teſtamur; eoque nomine dignas eſſe cenſemus, quæ typis commiſſæ evulgentur, & ad* φιλομέτρων *commodum & voluptatem ubivis locorum diſtrahantur.*

31698

IO. SANCTANDREÆ
Archiepiſcopus.

WELLCOME LIBRARY

Nobili Muſarum Mecænati

D. IOHANNI SCOTO SCOTOTARVATIO,

Directori Cancellariæ, & Regio apud Scotos Conſiliario.

PRodeunt tandem Poetæ Scoti, tuis, Vir ampliſſime, auſpiciis & impenſis. Patriam tuam duplici beneficiò tibi devincis. Nam dum Archivis præes, non tantum civium tuorum fundos, publicis commentariis conſignatos ab interitu & oblivione aſſeris, ſed etiam nobiliorum ingeniorum monumenta æneis prælorum tabulis commiſſa æternitate donas. Veterum incuriâ Pacuvii, Ennii, Accii, Orphei, Lini, Æſchyli, Archilochi, Philetę, aliorumque vigiliæ & cedro digna poemata periere. Tu hac infamia & ſæclum & gentem tuam liberas, dum popularium tuorum Sibyllina folia, vel ſalſamentariorum manibus, vel tinearum dentibus erepta, ad poſteros tranſmittis. Oppiani verſus nummis aureis exæquavit Antoninus; Euripidem Archelaus aureo poculo, Salejum Baſſum Veſpaſianus quinquaginta donavit ſeſtertiis; Cornelius Gallus ab Auguſto Tribunus, Sillius à Domitiano ter conſul eſt creatus; Martiali Sertinius, Claudiano ſtatuam erexerunt Ar-

cadius & Honorius: Ennii imaginem ſepulchro ſuo imponi juſſit Scipio Africanus; & populus Romanus univerſus Virgilio in theatro recitanti, tanquam Imperatori aſſurrexit. Plus tu præſtas, dum gentiles tuos ex ipſis inferorum faucibus eruis & perennitate beas. Hac opera ut vitam & immortalitatem illis, ſic tibi gloriam nunquam perituram comparas. Quid enim laudabilius, quàm virum eminentem, & publicis negotiis diſtrictum ſucciſivas horas, quas plerique vel alea, vel crapula vel ſomno prodigunt, Muſarum ſtudiis conſecrare? Quid glorioſius, quàm cives & tribules ſuos, jam animam agentes, non dicam à morte, ſed ab ipſa etiam mortalitate vindicare? Hanc erga cives pietatem Imperatorum leges corona civica remunerabantur. Sed iſtius tu laboris nec mercedem, nec præmium ullum tibi quæris. Omnis iſta Patriæ, cui ſoli natus mihi videris, opera navatur. Extremum hunc terrarum angulum, penè ſub ipſo mundi cardine jacentem, illuſtrem olim fecit Poetarum ſui ſæculi facilè princeps Buchananus. Hoc Sole exſtincto, tu novis illum ſideribus, inter quæ & ipſe fulges, mirum in modum decoras. Ex his non pauca ſunt primæ magnitudinis, & ſplendore ſuo majora illa luminaria quæ Auguſti ſæculo fulſerunt æmulantur. Offerebat ſe tibi innumerabilis Poetarum veluti exercitus, quos omnes memoria tenes. Sed delectus eſt adhibitus, in quo non minus admiror judicii tui limam, quàm illorum,

quos

quos ſelegiſti,elegantiam & nitorem. Vnum hoc cenſuram meretur, quod Ionſtonum tuum Heroibus iſtis Grampionicis interponis. Exoſculor tamen amorem erga me tuum, qui proculdubio oculos tibi excæcavit, & mentem quodammodo faſcinavit. Nec recuſo, te jubente, ſideribus iſtis interſeri. Hoc ſaltem inde conſequar, ut exornem illorum ſplendorem meæ caliginis tenuitate. Maculæ, quæ in cælo apparent, nigricantes ſtellis proximis non parum afferunt nitoris. In picturis languerent colores, niſi eas artifex variegaret umbrarum nebulis; Neque mulcerent aures cantilenæ, niſi pauſarum ſilentiis interciderentur. Nominis mei qualemcunque jacturam plus ſatis reſarciet publica utilitas, quam unam ſpectare te ſcio. Vale, Vir clariſſime, & adverſus ſanniones virtute tua te involvens, patriæ, Muſiſque Scoticanis, quibus immortalitatem dediſti, æternum vive.

ARTVRVS IONSTONVS,

nominis tui Cultor devotiſſimus.

Ad Eundem.

MVSARVM ELOGIA.

VRANIA.

ASTra vides iſtic, Phæbeis æmula flammis,
Nata Lycaonii penè ſub igne poli.
Ante tegebantur :. Nebulas nunc Scotus & umbras
Diſcutit, & donat perpete luce frui.
Quantus hic eſt, ipſis lucem qui fænerat aſtris ?
Hunc ſocium certè Phæbus honoris habet.

EVTERPE.

Hic Scoti congeſta manu Ferguſia cernis
Sidera, quæ tenebris merſa fuere priùs.
Tota micat ſtellis pars cæli dextra, ſub illâ
Sideribus pariter Scotia tota nitet.
Sidera ſideribus confer : non omnibus illa,
Aſtra Caledoniæ gentis ubique micant.

CALLIOPE.

Vatibus Arctoæ gentis Tarvatius heros
Et lucem & vitam, quam meruere, dedit.
Hos ſimul oſtendit mundo, diſparuit ingens
Turba Poetarum, viſa nitere prius.
Quam meruit laudem ? Quæ vitam mille Poetis
Attulit, hæc eadem dextera mille necat.

THALIA.

Vidimus Ambroſio ſaturatos nectare flores
Itala quos, & quos Celtica fudit humus.
Cernimus hic quos terra tulit vicina Bootæ,
Terra pruinoſâ ſub cane tecta nive.
Eſt fœcunda quidem tellus, quæ protulit illos,
Qui tulit hos Scotis, eſt mage cultus ager.

CLIO.

Auguſti pietas mediis ex ignibus olim
Eruit Andini nobile vatis opus.

Eruit

Eruit è tenebris Arctoæ carmina gentis
Scotus, Apollineæ ſignifer ipſe gregis :
Cæſaris hic uni, Scoti pia cura Poëtis
Mille dat æternum vivere ; major uter?

POLYHYMNIA.

Mille ſub Auguſto vixerunt Cæſare vates,
Et latices Muſis Tibridis unda dedit.
Mille vides natos, Iacobo Rege, poetas,
Et clarias Forthæ præbuit amnis aquas.
Non miror. Vitam tribuit pax alma Camœnis.
Hic niveæ cuſtos pacis & ille fuit.

MELPOMENE.

Quæ ſibi Lucullus ſtruxit vivaria, vaſtas
Oſtentant Domini luxuriantis opes.
Altera dant cicures vitreo ſub marmore piſces,
Altera captivas ambitioſa feras.
Confer opus Scoto quod prodiit auſpice, mentis
Hoc tibi delicias exhibet, illa gulæ.

TERPSICHORE.

Munere perpetuum Buchanani vivere cernis
Martia Ferguſidum quos tulit ora duces.
Vatibus hic ſacris eadem quos protulit ora,
Æternum Scoti vivere cura dedit.
Dignus uterque labor ; Sed tantum vincitur ille,
Quantum Mars Muſis cedit, & arma togæ.

ERATO.

Quid tibi cum Muſis, magni pars ante Senatus,
Nunc patrii ſidus, Scote, decuſque fori?
Te decuit Themidemque ſequi,populiſq; Britannis
Purpureos inter dicere jura patres.
Ne pudeat facti : Cælo quoque ſæpè relicto
Iupiter, abjecto fulmine, viſit humum.

ART. IONSTONVS.

IN DELICIAS
Poëtarum Scotorum
ad N. V.
IANVM SCOTVM
A SCOTTIS-TARVET
Directorem Cancellariæ Regni Scotiæ, &c.

NAturæ latebras, & aperti clauſtra profundi
Suſpexit cantata ſtupor, ruptoſque remoti
Atlantis patuiſſe ſinus, cum fudit in ævum
Gnava peregrinos Patriæ ſollertia luxus.
Exuvias Gangis tumidi, ſpoliataque terræ
Scrinia, Phryxæum venis animantia vellus
Belga domi tranſlata colit. Quam vilibus umbris
Mundi ſurgit honos, & inertis lamina glebæ
Quot titulis radiat? vani fortuna metalli
Invidioſa nitet. diti frondentia ramo
Germina, & inſuetis redolentes meſſibus agri
Exhauſere ſonos famæ. Quid deprimis orbis
Dona tui, longéque vagus mirator oberras?
Aſpice quam felix blando vicinia cœlo
Paſcat opes, propiuſque ligans commercia, raro
Aſſurgat genio. Segetes florere beatas
Et fœtis videas Veſtam turgeſcere campis;
Queis lætus mercator ovat, Parciſque fluentes
Laſſat vita colos. Sed major gloria creſcit
Ingeniis, quæ longa ruens per ſecla parentum
Ardua dotalis tenuit faſtigia Pindi.
Hic ſeries ſurgit vatum diffuſa labori,
Et furibunda vocat Cirrhæi pocula fontis.
Me modicè tinnire juvat, quem Scotia raptas
Languentem, cunctante Deo. Dum fluctibus horrent
Æquora, pallentes redeunt ad littora remi.

Quos

Quos dicam riſiſſe Deos, quæ numina regno
Inſediſſe tuo, dum tot per ſecula ſceptri
Continuatur honos, fatique ignara poteſtas
In regum thalamos multis hæredibus errat?
Ferguſii virtus iſto ſpectatur in auro,
Cognatæ ſtirps clara domus; illuſtribus aulæ
Nixa puerperiis, longis ambagibus ævi,
Stemma ſuo variè deductum tradidit oſtro.
Sed vanè repetita loquor, grandeſque tiaræ
Enervi ſcriptore tument anguſtius. Vrges
Mens cæcos ignara gradus, tantâque labantes
Majeſtate manus? votis impelle furentis
Auſpicium Pindi, forſan ſtimulatus Apollo,
Eriget, & tacitô ſtringet præcordia motu.
Excelſos proceres, & amici germina cæli
Heroæ cecinere fides, ſoliique coruſcans
Purpura, ſcriptorum genio ſublata vigenti
Temporis invidiam victrix expugnat & annos.
Tu Clarii pulſata petens delubra receſſus,
Stringe gradu metam laxè propiore patentem.
Dic ſacros ſpirare lacus, dic pocula Cirrhæ
Larga Caledonios fauſtè exundaſſe per agros.
An decepta trahunt mendaces ſecula chartæ.
Et feſtiva ſuos obtrudit Græcia luſus?
Vndoſaſque agitans ſaxi ferit ungula fibras
Argutis conficta jocis? inſomnia præſens
Irradiat depulſa fides. Nam flumina credo
Scotica pegaſeos vatum devolvere rivos.
Seu tacitis animata modis, Thymbræa caleſcunt
Antra Deo, gliſcitque vagus cantantibus humor,
Seu Iacobi numen curis regalibus olim
Immixtas exercet aquas, Phœbæaque dignus
Hæres ſceptra quatit, Carolique potentia fixis
Fecit Apollineum lauris clareſcere limen.
Scilicet hæc doctos ſtimulat fortuna labores
Auguſtuſque favor. Vegetis induſtria nervis
Excuſſoque armata ſitu, per poſthuma ſcandit
Tempora, & exemplis turgens propellitur ardor.
Nec ſegni libet ire via. Si conſcia fuci

 Verba

Verba putas, ſterileſque ſonos, quid prela capeſſant
Adſpice, quæ ſeros abeant victura per annos
Carmina. Non titulo vates bullatus anhelat,
Aut incruſtatâ præludit fronte papyrus.
Simplicitas plus docta juvat, grandeſque ſuſurros
Pagina proſcripſit cultu decorata modeſto.
Juſta nitet gravitas, rebuſque immurmurat altis
Bractea verborum rutilans, nativaque ſollers
Explicuit pigmenta color. Cantata Sophorum
Dogmata, Socraticuſque labor, nodoſaque duræ
Arma Scholæ, meruere cani, deductaque ad undas
Pegaſidas, Orbi pretio meliore refulgent.
Mox quoque placatæ gaudent molleſcere rugæ,
Et ludens decertat amor. Seu verba ſalutem
Alternata ferunt, heroaque nuntia ceræ
Cuſtodes rapiunt. Tabulæ doctore ſequaces
Ingenti ſapiunt, atque æmula cura vagatur
Naſoni congreſſa ſuo. Seu limina verſus
Blandiduli privata petunt, ſociataque caſte
Pectora, candoris cupiunt cenſore probari,
Phœbææ laxantur opes, quaſſoque ſoluti
Proſiliunt Helicone amnes. Neque vilius ardet
Alveolis fœcunda ſuis miſcela. lepores
In vegeto ſparſi exacuunt Epigrammate robur,
Dentatique joci non ſonti in carmine rident,
Nec patitur ſtrictos lenis ſollertia morſus.
Majeſtas hic grata lyræ, parilemque cothurnum
Tollit Epos, nec ſeſe ignavo pondere jactat
Tela Lycambæo jugulo qui torſit, Iambus.
Nunc poſitâ mollis rabie, tetricique furoris
Neſcius, innocuo radit præcordia luſu.
Grande quidem meritum campos flexiſſe per omnes
Ductilis ingenii curſum, plectroque ſagaci
Diverſos luſtraſſe ſinus, operoſaque rerum
Atria; & ingenuos latè ſparſiſſe labores,
Ac famam tentaſſe ſtylo, ſed celſius ille
Emicat, & vatum generoſos provocat auſus,
Qui prohibet tot ſcripta mori, qui ſecla laceſſit
Exemplo ventura ſuo, qui ſubtrahit ævi

Morſi-

Morſibus, & prælis animat monumenta virorum,
Robuſtoque domat conſumens vindice tempus,
Sic umbris excuſſa ſuis, vincliſque ſepulchri
Suffulcit doctrina gradum, rapidaſque favillas
Contemnit ſecura rogi. lux iſta perennes
In fama radios tradux adoleſcere geſtit.
En cœptis, vir magne, tuis ut Belgica concors
Annuit, & plauſu ſparſo comitatur ovantem,
Imperioſa ſilent victa diſpendia Lethes,
Annorumque ſitus. Series excreſcit honorum
Curriculo ſpatioſa novo, tantiſque triumphans
Laudibus, impellit ſacrati fluminis hauſtus,
Et Pindi tibi nutat apex. Quam molle recludis
Limen Apollineæ genti, Scotiſque refulges
Phœbus, & ingenuas paſcis feliciter artes!
Incumbat mundi claris inſignibus atræ
Invidiæ moles, magniſque laboribus inſtet
Liventis trux ira mali; ſubducta minacè
Fama tibi ſeclo, Belgis cantantibus ivit
Aſtra ſuper, regnique plagas, littuſque remotum
Pulſat, & audaci per mundum remige tranat.
Imperii curanda ſalus, Pataræaque templa
Dividuas poſcunt operas. Tu publica conſtans
Protegis, & doctis indulges otia chartis.
O Regi tutela vigil, gravitaſque ſereno
Erecte decorata ſuo. Quo thure penates
Myſta colam, meritiſque pares exordiar auſus?
Externo faciles Domini riſiſtis ocelli,
Et votis reſpondit amor. Submittere culmen
Vilibus obſequiis, venerandaque faſcibus ora
Inclinare meæ, genio plaudente, juventæ,
Quam ſapuit numen! celſæ hæc laus ultima mentis.
Perge coruſcantes dignis involvere canos
Muneribus, doctoſque ferens in ſecula cives
Plurima lativagæ dimittes nuntia famæ.

ISAACVS GRVTERVS P.F.
Belga.

Nobili magnificoque Viro

D. IOANNI SCOTO SCOTO-TARVATIO,

Equiti & Regni Scotiæ Cancellario.

SCOTE, Caledonii fidus venerabile regni;
Celſior, hoc dici, quod minus eſſe putas.
Os Caroli, Borei locuples facundia ſceptri,
Quo tria vel poſſent regna loquente loqui.
Quam tua nunc noſtris illuxit gloria terris,
Quam volupe eſt Batavo te quoque teſte legi!
Ecce, renaſcentes coëunt, ceu fœdere, Muſæ.
Et vario pulchrum carmine ſurgit opus.
Quod loquitur, natale ſolũ eſt. tua Scotia Cyrrha eſt.
Exulat hoc omnis vox peregrina libro.
Per te Parrhaſiis Helicon conſcenditur oris,
Aoniique faces ordinis Vrſa quatit.
Tu Phœbi delubra moves, tu pectora vatum
Concutis & motu fervidiore rapis.
Permeſſis ſe lympha tuis abſcondit arenis,
Barbara nec veterem Græcia Delon habet.
Transfers, Scote, Deos, transfers loca, numina, mon-
(tes;
Te prope jam Tenedon quærit Apollo ſuam.
Ac veluti Dictynna vagis prælucitat aſtris,
Ducis Apollineum Phoſphorus ipſe chorum.
Quam gaudent ſe regna regi; cum Regis & uni
Credita Pegaſidum cura laborque viro eſt.

CASPAR BARLÆVS.

IN

IN POEMATA

Clariſſimi Viri

ARTVRI IONSTONI,

Medici Regii.

GALLIA Ionſtono celebris fuit. itur in Arcton,
  Grandiaque Arturi nomina Scotus amat.
Creſcit virtuti precium. ſibi vendicat illum,
  Et Tameſis tantum poſſidet aula virum.
Clarior invictis vates ſub regibus audit,
  Aoniaſque levat purpura crebra Deas.
Nunc CAROLO mens iſta vacat; Regiſque ſaluti
  Dum ſtudet, incolumi Principe quiſque valet.
Sceptra canit ſanatque ſimul. cum fata minantur,
  Ille diem regi protrahit, ille decus.
Officium Medicina facit Phœbuſque. nec oſtrum
  Funus ab ingrata poſteritate timet.
Vita duplex Regi conceditur. una medentis,
  Altera, vel CAROLO judice, vatis erit.

C. BARLÆVS.

PATRICII ADAMSONI

GENETHLIACVM

Sereniſſimi

Scotiæ, Angliæ, & Hiberniæ

Principis,

IACOBI VI,

Mariæ Reginæ filii.

QVale jubar Solis, campis dum ſurgit Eois,
Emicat, & tenebris mortalia pectora cæcis
Eripit, & roſea fœcundat lampade terras:
Talis viſa tui, princeps, naſcentis imago
Scotorum populis. Sic te commendat avorum
Gloria, dum propriis meritis æquabis Olympum.
Iamque adeo paſſim gravidis pendebat ariſtis
Alma Ceres, ſteriliſque anni jejunia campos
Liquerunt, Martemque ſimul civilibus armis
Ardentem, in pacem rerum converterat autor.
Miramur faciles auras, cælique ſereni
Propitium numen, poſitoſque è littore fluctus
Aſpicimus: vel nunc ferri molleſcit in aurum
Durities, redeuntque iterum Saturnia regna:
Vel magnum Heroem venturum in luminis oras
Præſentit Natura parens, qui dicere terris
Iura queat, dubiiſque orbem componere rebus.
Sic placuit Superis. Genus alto à ſanguine Regũ
Nympha potens, Scotos Mavortia pectora frænat
Imperio: quondam thalamo ſociata jugali
Franciſco Regi: nunc forti pectore & armis
Magnanimus tenet Henricus: Regumq; potentum
Progeniem, Sponſam Regum, Regum eſſe parentem
Dî voluere. Etenim Scotorum fata vetabant,
Quos vis nulla prius, non ipſi evincere ferro

Romani poterant, quæ victis præmia belli
Eſſe ſolent, unquam externi parere tyranni
Imperio: quippe æternum molimina regni
Dum ſpacium auricomus Titan percurrit Olympi
Et peragit Natura vices, ſub gente futura
Stuarda, & Mariæ diadema manere nepotes.
Ergo Merlini venit jam carminis ætas,
Qui ſenior, fatique Deûm non futilis augur,
Regia Nympha, inquit, Gallorum ſolvet ab arvis
Et Pelagi permenſa vias, ventoque ſecundo
Vecta, Caledonias tandem pertinget ad oras.
Atque illic, virtute patrum fundata reſumet
Sceptra ſibi: multoſque reget feliciter annos.
Illa virum virgo fælicem fœdere lecti
Efficiet, ſed plus generoſa prole beabit.
O quantos animos parvæ cunabula molis
Preſſa tegunt? Cum tu firmis adoleveris annis
Parve puer, validis tremefactum claſſibus æquor
Implebis, fineſque tui producere regni
Fata dabunt, donec defuncti Marte Britanni
Addiſcent uni tandem coaleſcere regno.
Sic cecinit, nec mens illum præſaga fefellit:
Nam ſimul ac Regis nati rumore ſecundo
Fama volans, Regni lætas afflaverat urbes,
Tueda amnis, ſi certa fides memorantibus, ille
Qui liquido noſtros ſecernit limite fines
Parte ſui, attonitus rerum novitate, putatur
In fontes rediiſſe ſuos: pars altera fertur
Eoo commiſta mari. Tum protinus alveo
Tueda pater ſicco fluvialia numina Nymphas
Affatur: Non has Superi regnator Olympi
Perpetuas dederat ſedes, nec littora nobis
Hæc ſemper pulſanda: alio ſub ſole penates
Quærendi, vel quæ hybernas nunc accolit undas
Vallia, defeſſos vel quæ Cornubia Soles
Cernit, & occiduum ſeſe protendit in æquor.
Illic fas nobis placidis decurrere lymphis,
Scotorumque iterum noſtris metabimur undis
Imperium. Nam ſic, rerum qui flectit habenas,

Iuppi-

Iuppiter, & ſtabili juſſerunt numine Parcæ.
Ergo tot monitis Angli cæleſtibus acti
Depoſuere iras animis, ac Regia paſſim
Dona parant; quicquid fulvi cumulaverat auri
Regibus Anglorum ſubjectis Gallia rebus:
Et quæcunque auri peregrinis eruta venis
Pondera, & Eoæ varios telluris honores,
Ignotas olim pelagi quæſita per undas
Hiſpanæ intulerant tædæ. En qui proxima regni
Lora tenent proceres, fatis tibi debita Divûm
Et ſceptrum & diadema ferunt. Sat ſanguinis illos
Pertæſum externi: numeroſi Saxonis armis
Libertas oppreſſa olim: Normannia pœnas
Satque ſuperque etiam truculento Marte popoſcit.
At tibi quem pariter vitreis enutriet ulnis
Alma Thetis, Regni æternos ſubmittere faſces
Gaudent, & ſolum cathedræ fatalis honore
Dignantur. Quos tu placido complectere vultu
Parve puer, caræ quo gaudes oſcula matri
Iungere, & è mammis ſtillans educere nectar.
Neve animo veteris ſubeant diſcrimina belli
Mortaleſque inimicitiæ, multoque tuorum,
Martis opus crudele, undantes ſanguine campi
Non illis impune fuit. Gens ardua bello,
Vivida quid poſſit Scotorum in prælia virtus
Senſere, & largo ſaturarunt ſanguine manes.
Sat Marti, belloque datum: nunc fœdera pacis
Lætus ini, ac Regnis tandem prælate Britannis,
Scotum Anglumve tibi nullo diſcrimine habeto.
Dumque hæc cura tenet diviſos orbe Britannos,
Ecce Oratores jam læta Sabaudia donis
Inſtruit, & Galli delectæ corpora pubis
Expediunt comiti, quo nec præſentior ullus
Conſilio, aut fulvis quiſquam conſpectior armis.
Quid memorem gemmas pretioſaque dona metalli,
Quas Tagus & dives volvit Pactolus arenas?
Quidve Dioneæ referam velamina telæ,
Obductaſque auro veſtes, ſerpentiaque oris
Fila auri, & Phrygio diſtinctas pollice lanas?

Qualia

Qualia ſi quondam infelix feciſſet Arachne,
Pallas vel ſeſe dixiſſet judice victam.
Erga illos poſtquam regali Regia luxu
Accipiet claris majorum ornata triumphis,
Galli oratores, antiquæ fœdera pacis
Sub Carolo percuſſa petent. Ne ſperne rogantes,
Neve illis metuas dextram conjungere dextræ.
Noſtra illos juvit virtus, ſenſitque paratum
Non ſemel auxilium labefactis Gallia rebus.
Illa memor, ſi fortè hoſtes perjuria gentis
Sollicitent, nec jus, nec fas, nec numina curent,
Spectatas vires, atque auxiliaria junget
Arma tibi, ut citius poſſis frænare rebelles.
Iamque ubi tu cæſa firmaris fœdera porca,
Mortales abeant curæ, cæleſtia ſolum
Volve animo. Tum te pura baptiſmatis undâ
Suſcipient proceres, ut ſacri ſanguine fontis
Ablutus, priſcique exutus labe parentis;
Sincerâ pietate Deum, ceu dogmata verbi
Sacra docènt, puræque colas veſtigia vitæ.
Carpe ergo virtutis iter, fœcunda miniſtrant
Majores exempla tui. Iam facta parentis
Cerne oculis, quam ſit divinæ munere formæ
Prædita, quàm pulchræ fulgent in corpore dotes:
Quam non mortalis vultus ſub judice formæ
Priamida, inviſos pomi cepiſſet honores.
Præcipuè quàm ſit generoſo pectore, quamque
Regia, quam caſti cingant præcordia mores:
Quam ſit chara ſuis, quàm juſtè & legibus æquis
Temperet imperium, ac regni moderetur habenas.
Hæc tibi ſint primis, ô Rex excelſe, ſub annis
Ætatis primæva tuæ. Nunc imbue pectus
Nectare cæleſti. Nam poſtquam adoleveris, arma,
Arma tibi capienda, quibus, proh tempora, clade
Civili, jam dextra rubet. Tu cæde madentes
Infanda, optata Turcorum ſtrage piabis.
Ille, tuis atavus Lotarena ex gente, tyrannus
Marte furens, regnum Solymæ populatus opimæ
Abſtulit & totum regni jus ponit in armis.

Sed

Sed quid ego tandem tecum privata recordor?
Nonne vides, totum quantis terroribus orbem
Concutit, ut Chriſtum ſceleratis obruat armis?
Non illum æratæ turres, non mœnia cælo
Educta, aut largo fluitantes æquore foſſæ
Arcere, aut tantum poſſunt cohibere furorem.
Scilicet illi aquilæ cedunt & lilia forſan
Æqua nimis, variiſque audax Hiſpania ſignis,
Surgentem poteritne jubis perferre Leonem?
Vtque unum poſſit, nunquid quos Martia gignit
Scotia, tot vim poſſe putas tolerare leonum?
Illa quidem longo collapſis tempore rebus
Imperii & Franci in Gallos creſcentibus armis,
Et dum barbaries domitos oppreſſit Iberos,
Et dum præda fuit peregrinis Anglia terris,
Mutaretque ſuas nimium Germania ſedes,
Incolumi ſtetit imperio, regnata per annos
Mille octingentos: ſed non ſine numine Divûm:
Vt regnum antiquum, teque inviolata tuorum
Majorum ſeries rectorem educeret orbi.
 Intereà dum nos ſperatæ gloria laudis
Læta manet, Regis noſtri celebremus ovantes
Natalem, quo non illuxit pulchrior, ex quo
Leucothoes niveo Titan accenſus amore
Oceani totis ſeſe perlaverat undis.
Ergo jam feſta velentur fronde per urbes,
Et cuncti ducant choreas, & carmina dicant,
Siſtra ſonent, Lunamque vetent deducere cælo.
 Quod ſi non fruſtra ludit mihi pectus Apollo,
Atque aliquid noſtræ poſſunt in carmine vires,
Seu Latio aut Grajo mavis te carmine dici,
Tum mea Stuardas laudes, & facta per orbem
Muſa ferens; poſtquam memori ſacraverit ævo,
Forſitan Arctoum dicent me ſæcula vatem.

HENRICI ANDERSONI
PANEGYRIS,

Ad Sereniſſimum Potentiſſimumque Regem

IACOBVM VI,

Perthanam urbem ingredientem v Cal. Iunias, cIↄ Iↄ LXXX.

CLarior Oceano radiis inſigne decoris
Exere Phæbe caput, roſeoq; invectus Olympo
Pulchrius auricomum diffunde per aëra lumen
Pulchrior, inſuetoque novum ſplendore refulgens
Erige flammiferos cæli ſuper atria currus:
Indomitumque furens rabioſa licentia ponti
Murmura componat: mollique Favonius aura
Leniter aſpirans, placidiſque innoxius alis
Aërios tepido verrat ſpiramine campos.
O decus, ô placidæ numen memorabile lucis!
O præclara dies, niveis argentea pennis
Quæ columen regni, & magni venerabile mundi
Huc jubar in noſtram fœliciter advehis urbem!
Tu (niſi vana meam ludunt præſagia mentem)
Inclyta perpetuis lux annumerabere faſtis.
Ergo (Pater patriæ, terræ ſpes alta Britannæ,
Et gentis lux alma tuæ) poſt dira tuorum
Funera, poſt rabidas ferri, flammæque procellas,
Et miſeras variis exhauſtas cladibus urbes,
Quem Deus in ſolium miſerans erexit avitum,
Et patrio teneros cinxit diademate crines,
Quem validis latè populis præfecit, & alto
Subjecit domitans Mavortia pectora ſceptro,
Clara Caledoniæ qua ſe plaga porrigit oræ,
Et gravido inſignem complectitur ubere gentem,
Exoptatus ades, Rex invictiſſime, vultus
Hoſpita terra tuos alacri placidiſſima mente

Suſpicit ; & meritos venienti inſtaurat honores.
Tu verò facili patriam dignabere gentem
Lumine, & antiqua repetens ab origine cives
Antiquos agnoſce, tuamque advectus in urbem
Exiguis ingens ſuccede penatibus hoſpes.
Atque alacres animos ardore accenſus amico
Aſpicias, qui te (tendes quocunque) ſequemur
Per rigidos caſus ; per ſæva pericula, quorum
Tu decus & ſancti menſura noviſſima voti.

Sed neque quas rapidis fundit Pactolus arenis ;
Aut Tagus, aut rutilo ditiſſimus agmine Ganges,
Degeneres ſperabis opes : ſine munera tantum
Iſta agitent curvas telluris ad intima mentes,
Tu faciles animos & juſſa capeſcere promptos,
Si quando te fata vocent, & prodiga vitæ
Pectora ; cum rebus Mavors terrebit in arctis
Et dira audaces in prælia ſuggeret hoſtes,
Pro ſummis alacris, Patriæ pater, accipe donis :
Iſta per ignotas ſurgat tibi didita gentes
Gloria, & extremas penetret celeberrima terras.

Nec tibi tam multæ merita in præconia linguæ
Sufficiunt, nec nos ſatis admiramur honores
Rex invicte tuos : verum (circumſpice) paſſim
Ipſa tibi vultu tellus applaudit ovanti
Dedala ; cernis enim ut rerum Natura decoros
Omniparo fœcunda ſinu profundat honores :
Vt ſtupefacta ſuo teſtentur gaudia plauſu
Mænia, ceu molli Saturnia germine regna ;
Et nova mutatis accedant ſecula rebus.
Nec non & fremitu dextra lævaque ſecundo
Emicat & blando circumſonat aëra plauſu :
Cum populo patribuſque animis ſincera benignis
Plebs ruit, atq; libens cœtum glomeratur in unum,
Vt placide ſua colla tuis ſubmittat habenis.

Quin etiam occiduas urbs qua declinat ad oras,
Qua medio nitet orbe dies, qua turbidus alto
Nubila ab axe fugat Boreas, placidiſſima campos
Explicat, & longo dimenſos limite claudit,
Quo te læta cohors ſtudiis invitat amicis :

Seu te cornipedum capiat certamen equorum:
Seu juvet ardenti volitantes flectere gyro:
Seu ſaltu, aut volucri per mollia tendere curſu
Gramina: ſeu melior veterem ſententia luctam
Suadeat: aut cum tu ſcenis indulſeris: aut cum
Spicula limato direxeris eminus arcu.
Nec minus & partes (Rex) aſpice lenis eoas,
Quas placidis inſignis aquis Taus alluit alto
Flumine per fœtas viridanti gramine ripas
Cultaque fœcundo ſe gurgite prædia volvens,
Hic tibi verticibus pons eminet arduus altis,
Et decurrentes undeno fornice lymphas
Circuit; & curvos latè falcatus in arcus,
Non uno vaſtum gremio complectitur amnem:
Quem fortuna licet diris inimica procellis
Concuſſit, caſuque nimis tremefecit acerbo:
At tua tam præſens dubiis ſolertia rebus,
(Quem nec ſera dies, nec ſæcula longa ſilebunt)
Quas prior atrocis truculentia ſuſtulit undæ,
Cautibus exciſas evexit in alta columnas:
Et pulchra placidam junxit teſtudine molem.
Quos tibi pro tantis ſolvent Perthenſia grates
Agmina muneribus? quas integra denique ſolvet
Ipſa metalliferis uberrima Scotia venis?
Attamē haud unquam immemores nos arguet ætas
Vlla, ſed hæc inter tanto res auſpice geſtas
Ignotum latè vivent æterna per orbem,
Qua ſua Sol terris diffundit amica repoſtis
Lumina, ſi quicquam longinqua per oppida poſſit
Delius, & caſtæ potis Lebethrides undis.
Tu pia præterea ſancti penetralia templi,
Quæ divina ſonant ſacri myſteria verbi,
Conſilio ſtipatus adi, populique frequentis
Conſeſſu medius, ſolioque inſignis in alto
Suppliciter pius æternum in tua vota parentem
Intemerata voca: & tanto defunctus honore
Ad tua regifico laqueata palatia luxu
Tende libens; hilarique tuos dignare clientes
Alloquio; & dictis affare benignus amicis.

Neu

Neu fugias urbis nulli pietate ſecundæ
Hoſpitium, tibi quæ ſanctos promptiſſima faſces
Subjicit, & denſis celeberrima cœtibus ambit.
Si ſeriem à prima repetamus origine rerum,
Et juvet annales noſtræque & gentis & urbis
Agnoviſſe tüæ primordia, & inclyta faſtis
Tempora,& ambiguos poſt tot modo ſæcula caſus,
Fortuna variante leveſque iterante recurſus ;
Priſca Britannorum ſuperabit tempora Regum.
Quos Picti Auſtralem profugos egere ſub axem,
Cum ſedes poſuere ſuas Almonis ad alti
Oſtia, qua veteris direpta palatia Berthæ
Permodicis monſtrantur aquis ; & in aggere ripæ,
Qua Taus Almonem ſpumantibus excipit undis ;
Oceani nec amarus aquis nec flumine largo
Impetuoſus agros niſi cum furioſus inundat.
Hic biſſena ſuo poſtquam revoluta videret
Sæcula circuitu, donec res Pictica regno
Floruerat, vixdum ſocias diſcordia gentes
Effera divulſit, Pictiſque infeſta cruentam
Exilii molita viam, jam Marte ſecundo
Scota triumphatis ſucceſſit adorea Pictis.
At ſimul ac rerum ſummas Gulielmus habeñas
Iam ſenior placida compoſtas pace regebat ;
(Heu quoties inſperatò miſcentur amaro
Dulcia, & indignis placidiſſima mella venenis !)
Indomito ferus amne Taus, ferus ingruit Almon ,
Cum tegeret nox atra polum, cum forte furentes
Iam vires augeret hyems, metuenda procellis
Triſtibus ; ah miſeris afflixit cladibus urbem
Sævior, & rerum crudelibus obruit undis
Haud partem exiguam,& ſub gurgite merſit atroci.
Ergo Pater patriæ caſum miſeratus acerbum
Huc cives indigna ſuos tot funera paſſos,
Relliquias urbis miſeræ monumenta ruinæ
Tranſtulit in pulchræ vallem virtutis amænam :
Qua Taus , atque idẽ auſpiciis melioribus Almon,
Compoſitis frænantur aquis, poſitoque furore
Alta ſerenatis volvuntur in æquora lymphis.

Quid memorem placidoſque ſinus, quid ſtrata viarum
Iucundo porrecta ſitu? turritaque blando
Mænia circuitu ſublimibus ardua pinnis?
Quid populũ ſanctoſque patres, veneranda Senatus
Agmina, conſpicuoque graves in honore miniſtros,
Qui ſacra pervigili celebrant ſolennia cura?
Quid fora? Quid ſacram venerandæ Palladis ædẽ?
Quid placidos juvenum cœtus, gentemq; togatam?
Quid mercatorum pulchras ſplendore catervas?
Artificumque tribus, lectiſſimaque agmina vulgi
Ordinibus diſcreta ſuis, per compita certis
In ſeriem digeſta locis? quid templa columnis
Ardua, pyramidiſque erectam ad ſidera turrim
Inſtar: Apollineoque ſonantia cymbola cantu,
Tam placidis variata ſonis, tantoque fragore
Eminus aërias jactu quatientia nubes?
Si quando pia ſacra vocant populumque patreſque
In commune jubet reſpublica provida curis
Conſuluiſſe ſuis: ſeu cum Pæane canoro
Lætitiæ dare ſigna novæ gratiſſimus ardet
Cœtus; & applauſu Regis patriæque ſaluti:
Quam merito gratatur ovans noctemque diemque
Læta cohors celebrat, tenebras & inertia noctis
Frigora Vulcano flammis ſuperante coruſcis:
O genio fælice diem! Quid amœna theatra
Innumeris fœcunda jocis? Quid avita parentum
Geſta, per externas recolam Mavortia gentes?
Quid domitum ferro Cimbrum? Quid Saxonis irã,
Quæ toties cæſis viduavit civibus urbem,
Inque vicem noſtri toties vim pertulit enſis?
Cum Bellona ferox noſtras in mutua gentes
Funera vah furiis armaret atrocibus: eheu
Regna Britannorum regnis contraria tanto
In ferrum rabide libuit concurrere motu!
Quæ ſceptrum coitura brevi ſperamus in unum,
Ceu veterum ſacra promittunt oracula vatum,
* Quæ Cadavalliaci rata ſanguinis ultimus hæres
Sceptra Britanna tenens, duroque ſubactus ab hoſte
Præ-

* Polyd. hiſt. lib. 3, pag. 61. Item lib. 26, pag. 566.

Prædixit, juſſitque ſuos ſperare nepotes :
Iam tibi Rex genioque tuo data fata repoſcunt.
Hæc quoque prima novo ſurgentē lumine Chri-
Fælici complexa ſinu, domibuſque ſuperbis (ſtum
Agmina ſacrilegæ decuſſit inertia Romæ.
Neve voluptatum blandis allecta miniſtris
Poſteritas ignava, novo deſciſceret auſu,
Atria nequicquam vanis diſtincta figuris,
Tectaque & infames cineri permiſcuit aras.
Nunc eadē tibi prona pedes procumbit ad imos
Adventum gratata tuum ; tibi fauſta precatur.
Tu facili pia vota animo (pulcherrime rerum)
Suſcipe, nec placidas averte precantibus aures.
Sic tua per terras virtus fæliciter altas
Radices agat, & juſto ſuccreſcat honore
Integra, & attonitas immenſo nomine gentes
Concutiat : ſic te (dum magnum attingis Olympum
Vertice) primævæ vernantem flore juventæ
Æterna ſubnixa Deo pietaſque fideſque
Imbuat, & recto properantem tramite ſiſtat.
Sic ductum mirata tuum clariſſima rerum
Scotia, fœtentes vitiorum exoſa lacunas,
Immundo ſanctos avertat ab agmine vultus.
Quin & Tenariæ letalia pocula Lernæ,
Quæ jam multa triceps Romanæ Cerberus aulæ
Ebria per vaſti diffudit climata mundi,
Effugiat : caſtumque ſacræ virtutis amorem,
Et monſtrante pio grato præcone ſalutem
Fontibus è vivis, ſacrique volumine verbi
Hauriat. Ecce autem roſeo pulcherrima vultu
Ipſa ſuas tibi ſydereo de vertice Pallas
Mandat amica vices, ut triſtibus horrida dumis
Semita, quæ niveæ celſam virtutis in arcem
Per rigidos ſcopulos, per ſcabra crepedine teſqua
Ducit, & æthereos curſum commonſtrat in orbes.
Auſpiciis mollita tuis, clareſcere cunctis
Incipiat populis, Clariæque vireſcere Lauri
Gloria, & excuſſo (duce te Rex magne) veterno
Iuſtior accendat reſides ſolertia mentes.

Hæc

Hæc ubi tranquilla maturum ætate gerentem,
Et placidum feræ compoſtum pace ſenectæ
Videris, ô dextro Mavortia numine fælix
Scotia, jam demum bellis pacata quietis
Scotia fælici quantum gaudebis alumno!

HENRICI ANDERSONI
MVSARVM
QVERIMONIA.

LEMMA.

Daphnida Pierides merito venerantur honore,
Pauperieque dolent ſe cruciante premi:
Hortantur pennâ qui ſuſtinet alite dextram,
Leniat ut, lævam quod grave mergit, onus.

GRampiades, celſi nemoroſa cacumina montis
Quæ colitis, quæ fælices uligine valles,
Quæque Tai, Forthæque ſitim reſtinguitis undis;
Glottiadeſque ſacris perfuſæ pectora lymphis,
Quæque Caledonios latè diffuſa per agros
Flumina, perpetuo bibitis ſalientia curſu;
Eia agite, ingentem memori decorate triumpho
Daphnin, & audaces ad ſacra redite ſorores
Caſtaliæ, ſi jam ſe Caſtalis inclyta vulgo
Vnda Caledoniam latè diffudit in oram.
Daphnin inexhauſto lætæ celebremus honore:
Cui pietas, cui caſta fides, cui pectora fulgent
Enthea, nec decoris, nec laudis egentia noſtræ:
Quem decor, & latè fælicibus aurea pennis
Gloria conſpicuum toto diffundit in orbe:
Qui licet immenſi faſtigia tangat honoris,
Et legum placidè juſtas moderatur habenas,
Rebus in humanis ſublimia vertice pulſans
Sidera, non tamen exiguas evolvere nugas
Erubuit, quas noſtra pias Pimpleïs ad aures

(Quan-

(Quantumvis indigna) novo præmiſerat auſu.
Quid?quod & in juſtum voluit revocanda ſacellum
(Ne tinea blattaque forent rodenda voraci)
Nuntia,& ardoris certiſſima pignora noſtri
Auſpicio ſancire ſuo, neu longa vetuſtas
Obrueret ſqualente ſitu, quæ dignior ipſe
Ingenio dignanda ſuo monumenta probavit.
Haud ſecus indigenis ædem ſacraſſe Camœnis
Pompilium videre Numam tot ſæcla, priuſquam
Ornatu Latiæ frueretur inertia linguæ.
En Numa,quem patrias, Latiaſque beare ſorores
Non piget,& placido ſuper aſtra ciere volatu!
Quid non à magno dabitur ſperare Camœnis
Daphnide? qui poſtliminio nova gloria nobis
Auſpice jam redit, & ſuperas aſcendit in auras;
Quem ſacræ à primo Nymphæ Buchananides ortu
Imbuerant,imiſque, pio cum lacte, medullis
Æternos haurire ſacræ virtutis amores
Ingenio docuere ſuo; quos maximus ultro
Imbibit,& penitus præcordia ad intima fixit.
An non & placidâ noſtras dignabitur aure
Accepiſſe preces? an adhuc ſua pectora Muſis
Deficiunt, teneriſq; pudor premit ora Camœnis?
Scilicet indignè quæ nunc mortalia paſſim
In ferrum flammaſque rapit lethalis egeſtas
Agmina,nos ultra ſtudio prohibebit inani
Expertæ toties vitæ ſpem credere dextræ!
In flammas & in arma ruunt, quos indiga verſat
Pauperies; nullis exterrita pectora monſtris,
Nos pavidæ Daphnin, vultuſq; horremus amicos
Numine ſuppliciter triſtes orare ſecundo,
Qui levat aligeram curſu ſuper æthera dextram,
Quod lævam grave mergit onus, dignetur amoris
Auſpicio lenire ſui: nec iniqua rogamus,
Ne nimio tumeamus opum pauperrima luxu
Turba,nec in nihilum Muſæ redigamur egenæ.
Quid miſerandum æquè? jam candida Pallas a-
In diverſa ſuos vivaria triſtior urget. (lumnos
Heu quo fata ferunt incerta! ſed anxia rerum

Tot juvenum miſeris non ſuffectura querelis:
Qui pulchris animos coguntur ab artibus, imas
In curas transferre, vocat quo triſtis egeſtas;
Et metus, & ſeræ vis ærumnoſa ſenectæ.
Quid? quod & externas penuria trudit in oras
Doctorum tot iniqua choros, tot dedita Muſis
Pectora, non unquam patriam viſura relictam!
Aſt alio ſub Sole novas exquirere ſedes
Sollicitam terrore manum: proh triſte Minervæ
Vulnus, & indomiti non æqua potentia fati!
Quis neſcit noſtræ quot ſplendida corpora pubis
Colluvies Papana ſuis deliria miſcens
Faſcinat illecebris, generoſaque pectora mergit
Innumeris ſeducta modis? ſors omnium egenos
Cogit in hanc miſerè fœdam migrare Mephitim:
Turpis ubi tetræ ſpirat ſentina cloacæ,
Nauſeaq; indignè tremulum quatit horrida corpus
Obductura nigrâ miſeram fuligine mentem.
Sic fera Cecropia cum Pallade certat egeſtas
Exitio merſura gravi (ni fata reſiſtant)
Pectus, & ingenuas generoſo in pectore dotes!
Nec tamen ingenium, nec inertia pectora languent
Pauperie malè preſſa gravi. Quod candida Pallas
Abnuit, aſſiduis induſtria pervigil addit.
At quam noſtratem decoraverit inclyta gentem
Gloria Palladiæ non interitura coronæ,
Maxima felici rerum Germania famâ
Explicat, & latè qua Rhenus & Albis & Iſter
Immenſis in utranque Thetin volvuntur aquarum
Vorticibus. Quid? quod formoſa Lutetia pridem
Scotigenis fundata piis auctoribus, iſthæc
Creverit in rerum faſtigia! Gloria terræ
Sequanicæ vulgò noſtris aſcribitur oris;
Non tantum quod Marte feros gens pelleret hoſtes,
Cum ſociam premerent gentem: ſed inertia rerum
Pectora Cecropiis perfunderet artibus, ipſo
Tempore, barbaries totum quo mergeret orbem;
Claraque priſcorum cæcis obducta tenebris
Invida ſubrueret miſerè monumenta laborum,
Gloria

Gloria quos Latii, quos docta reliquerat Hellas.
Hic teſtamur inacceſſos penetrantia mentis
Lumina in anfractus, bifidique cacumina montis
Tot noſtris ſuperata viris, quos nulla vetuſtas
Obruet, æternâ digniſſima nomina famâ.
Quis venam Buchanane tuam, aut ſubtilia Dunſi
Pectora adæquavit, poſtquam minus æquaMinervæ
Effera barbaries caligine merſerat atrâ
Vulgus, & obducta ſuffuderat omnia nube?
Nec minor ingeniis vigor eſt, quæ noſtra tulerūt
Tempora, temporibus non inferiora vetuſtis;
Scintillam molli ſi fomite nutriat altrix
Aura, nec in tenuem redigat violenta favillam.
Vivite fælices animæ, celeberrima quondam
Pectora, quæ ſanctis exercuit enthea curis
Relligio, quæ Palladiis tot amœna Camœnis
Cœnobia, & ſacros memoranda dicaſtis in uſus
Prædia, & ingenti patrimonia ſplendida cenſu,
Templaque & adjectis donaria plurima villis,
Magnificaſque domos: quarum ſi quærimus uſum;
Divini ſors prima fuit digniſſima cultus;
Altera Templorum fabricæ ſacrata, fideles
Vt coeant cœtus in honore, nec ultima Muſis
Pauperibuſque, ſacris quorum pia pectora curis
Invigilant, ſummumque vocant in vota parentem.
At nunc, ô mores! ô perdita tempora! pingues
Cœnobii reditus, & debita præmia Muſis
Cum domino ſuus illa cliens, ſua prodigit uxor
Ancillis comitata ſuis, acreſque moloſſi
Cum nitidis paſcuntur equis, & verior index
Sacrilegi ferus accipiter: qui ſemper in armis
Innocuas prædatur aves, roſtroque cruento
Fervidus, & pedibus miſeras eviſcerat uncis!
Atqui Cælicolûm Domino quota portio Chriſto
Servit, honorandis verbi penſanda miniſtris.
Vel patriæ decori cedit; vel Regis honori,
Audacemve ſuis detrudere finibus hoſtem
Cum patriæ depoſcit amor? Nam ſæpè ſuperbo
Militis obtegitur titulo. At quibus utitur armis

Militiæ nullis decorandus honoribus, expers
Martis & indigno tituli correptus amore ?
Quem non plaga ferit,quem nõ notat ulla cicatrix,
Non acies videt armatas, non hoſtica contra
Agmina ; ſed molles ignavius exigit annos
Dives opum,luxuque vorax marceſcit inerti.
Nec minus in foveam recidit Melitenſis eandem,
Cuijus effrænes intra ſua limina Turcas
Militia cohibere ſacrâ & compeſcere Gentis
Barbaricæ procul à noſtris fera finibus arma.
Non ita cum piceâ miſeram caligine plebem
Obrueret Papana lues : ſed egenus & exſpes
Sedibus his ſuetus portum reperire ; ſorores
Pierias invitarat congeſta patenti
Bibliotheca ſinu, veterum decora alta Parentum.
Barbara cum fluerent, & nullis inclyta Muſis
Tempora, magnifico decertavere paratu,
Si quas fata darent, caſtas decorare ſorores
Muneribus, ſors dura vicem mutata novavit,
Deficiunt alimenta, vigent pia turba Camœnæ :
Aut oppreſſa fame, aut ſine nomine nomina, Vates,
Nec ſpes pectora alit, niſi qua nos maximus ima
Tollere Daphnis humo ſolito dignatur amore,
Pauperiem (niſi fata vetant) domiturus inertem.
Nunc domus erigitur,nunc porticus alta,nec uſu
Apta,ſed aſpectu quæ lumina paſcat inani.
At Domino domus ampla ſuo (Sic Tullius inquit)
Dedecori eſt, ſi ſola vacet : communiter olim
Hoſpitii vulgaris erat : quæ publica quondam,
Nunc privata domus miſeros inſervit in uſus.
Nec jam cœnobii ſpatioſa palatia tanti
Sufficiunt in tecta modum : ſed & oſſa ſepulcris
Eruta magnifici reſerant penetralia templi.
Quoq; ſacro loca fundantur contermina templo,
Qua tenuis confuſa jacent monumenta popelli,
Vix putrefacta ſuis effoſſa cadavera buſtis
(Heu fera barbaries) ſuperas panduntur ad auras:
Quæq; recondiderant multos data fata per annos,
Excita jam cœlo, jam ſole videntur aperto !

Sic requie manes poſt tempora longa ſepultos
Immeritos ſpoliare juvat ! ceu dira cruentum
Bellorum rabies furiis accenderet orbem.
Heu necdum ſuperis, nec vitæ lumine caſſis,
Cunctorumque bonis animus ſatiatur avarus !
Hic tamen in procerum aſcribi ſibi vendicat album
Nec genio bonus, aut virtute notabilis ulla !
Si templum, aut uni ſedes habitanda Miniſtro
Quæritur, & templum, & myſtes excluditur exul
Cœnobii procul à ſeptis, ubi pauper, & exſpes
Ceſpitio tenuem degat ſub culmine vitam,
Et terram miſerandus aret, qua ſicca miſellum
Veſtit erica ſolum : quamvis ingentia miles
Regifico teneat decorata palatia luxu,
Ima ſuo plebs ære domum ſtruit, ære Miniſtrum
Plebs alit ima ſuo, tenuemque reſuſcitat ædem.
Ipſa vices miſeranda ſuas Eccleſia luget,
Magnificam tenui quod mutet ineptius ædem
Ædicula, quæ tot foribus ſecludat iniquis,
Vt populo nimis arcta ſuo, juveneſque ſeneſque
Et gregis omne decus. Sic cũ domus inclyta quondã
Iſacidûm patrias Babylone rediret in oras,
Anguſtata ſui flevit molimina Templi.
At Lex eſt (nam Lege nefas utcunq; tuentur)
Quæ tandem ? quibus auſpiciis emerſit in orbem ?
Non Regi, non illa gregi Lex æqua, laborat
Sacrilegos quæſtu nimium ditare nefando.
At qua fronte fuit Lex hæc obtruſa prophanis
Vtilis ingeniis ? populum merſura fidelem ?
Omniparens natura ſuo teſtata perenni
Prodidit ingenio, quod nulla redarguet ætas :
Quæ ſacrata profanari, miſcere profanis
Sacra vetat ; ſed utriſque ſuos juſtiſſima fines,
Quos ultra, citraque nefas conſiſtere, monſtrat.
Quid? quod & ipſe Pater Patriæ minus æſtimat æ-
Nec genio fluxiſſe ſuo, damnatq; nefandos, (quam,
Qui juveni hanc primis cautè extorſere ſub annis?
Quis non obſtupeat technas? annectere Regi
Innocuo, ſceleriſque nihil, fraudiſque timenti

Omnia , & hoc blando præſtringere lumina fuco,
Nexaque mox populo dare diſſolvenda profano.
Sic Regi,ſic nulla gregi numeroque fideli
Vtilitas redit : at barathro ſubmerſa profundo
Iuſq; piumq; jacent,dolus & ſcelus omnia vaſtant.
Quis furor incauto ſic palpum obtrudere Regi ?
   Nec minus horrendis crebrò ſucceſſibus atrox
Proditur eventus , quoties funeſta per omnem
Hæc rerum facies miſerè diffunditur oram.
Heu ſtolidos quoties in aperta pericula cives
Templorum bona projiciunt ! quot mutua vulgo
Funera,quàm rapidas peperit fax iſta procellas ?
   Adde,quod æterni manifeſtam Numinis iram
In terras horrenda vocans excetra, colonos
Sacrilegos blatta, tineâque perurit edaci.
Scilicet ætherii cum vindicis ira Parentis
Dura fremit : nullo rerum diſcrimine juſta
Injuſtis permiſta Deus patrimonia tollit.
   Si Deus hanc,ductuque Parens natura potenti,
Si Patriæ Legum lator juſtiſſimus odit,
Si rerum inventrix miſera experientia damnat:
Quid non à populo damnoſa exploditur, omni
Antiquanda modo ? niſi quod metuendus iniquæ
Gurges avaritiæ mentes exhaurit avaras ?
   Ergo age tam longo miſerè ſopita veterno
Pectora,quisquis ades,bonus erige,&omine dextro
Sacrilega ſacrata manu miſer excute : furti
Supremo deſiſte gradu committere,ut ingens
Exitii mereare tui diſcrimen : iniquas,
Dum te fata ſinunt, fæliciter ablue ſordes.
Sejani poſſeſſor equi damnoſa refunde
Et ſua redde ſuis : jubet hoc Natura,Deuſque
Imperat,atque tibi duras obtundit in aures.
   Aut,ſi ſacra movet divini pagina verbi,
Tu fatum,ſimul atque avidi fuge crimen Achanis,
Quem malè perdiderat Babylonia veſtis , & auri
Pōdus iners,ſobolemq; domumq; aboleverat omnē
Funditus : eheu ſacrilegus miſerumque lucellum
Exitio luit ipſe gravi,prolemque laremque

Sævior

Sævior ad mortem rogus ignibus abſtulit atris.
Haud ſecus alituum fertur Regina voraci
Ingluvie ſtimulata aram ſpoliaſſe calentem,
Cumque ſua prunam prædâ retuliſſe repoſtam:
Quæ totam cum prole domum ſuccenſa peruſſit
Acrius, & flamma penitus conſumpſit edaci
Et genus & ſtolidam truculento funere matrem.
Heu fuge turpe nefas, animi fuge crimen avari,
Nec pigeat ſacri ſacram dare fœderis arcam
Tot myſtis in pace ſuis: ne forte rebellem
Dira Paleſtinæ perimant contagia gentis.
En ſacra privatos qui fortè redegit in uſus
Pocula, tot pridem Solymæi ſplendida templi
Ornamenta, truci gentis ſublata ruina,
Territus ipſe ſuæ vidit præſagia cladis
Ignotam ſcripſiſſe manum, dirumque cruentæ
Noctis opus, rabidi non eluctabile fati.
Quis neſcit, modico qui vendidit ære Tonantem
(Cum Deus humana coleret ſub imagine terras)
Quam gemuit Chriſtoquè ſuos invidit honores!
Ne malè ſpem turpis mens perderet anxia lucri:
Humani columen generis, noſtræque ſalutis
Præſidium, letho cum proderet impius atro,
Vt furibundus, inops animi, truculenta peroſus
Conſilia, & pretio jam proditionis iniquo
Projectis templi media in penetralia nummis,
Quam ſibi non fauſto conſciverit omine mortem!
Sic ultus miſeri ſpem perditus ipſe lucelli:
Quid toties moneamus, & ulteriora ſequamur
Exitia, aut miſerè clades infanda ſequutas
Agmina, ſacrilegæ juſtiſſima præmia turbæ?
Quæ luctu meminiſſe novo lachrymoſa fatigat
Pectoraque, attonitaſque quatit tinnitibus aures!
Iam fera barbaries, ſimul & Papana ſaceſſunt
Nubila, diſcuſſis lux ſplendet amœna tenebris.
Tu tenebras (miſeranda) fuge, atq; amplectere lucē,
Quæ ſua Cæſaribus, magno ſua jure Tonanti
Præ cunctis præbere jubet: non approbat unquam
Sacrilegas adhibere manus in ſacra profanum.

Sin monitis ingrata virûm manus obſtruit aures,
Nec placidis volet ingenuas advertere mentes
Conſiliis animæ,ſanctæque improvida vitæ
Turba parum prudens,miſeræq; obnoxia morti;
Tu ſaltem nos (Daphni) tuas tua mœſta ſub alas
Pignora,ut Aoniæ revireſcat gloria Lauri,
Suſcipe,Te Phœbum tua pignora chara ſalutant,
Inque clientelam , patrociniumque recurrunt:
Quæ fortuna licet caligine celet opacâ
Triſtior & tumidis quatiat metuenda procellis :
At tacita eximio ſophiæ rapiuntur amore
Pectora, & in mediis ardeſcit flamma medullis,
Flamma ſalutari ſtimulans præcordia motu.
Tu potes immerſos cæcis (Venerande) tenebris
Exerere,& placido validæ munimine dextræ
Ambroſio lætos perfundere lumine vultus ;
Ne revocare pedem ſedeat,ne langueat alto
Muſa ſepulta ſitu : dum caſibus urget acerbis
Sors nimiis fœcunda malis, nox humida donec
Obſcuram mediis faciem circumvolat umbris.
Quod te per ſuperos,per latis didita terris
Nomina,per meritos famæ teſtamur honores:
Caſtalidum ſi tangit honos : ſi gratia Chriſti,
Si veneranda movet divini gloria cultus,
Daphni ſalutiferam perituris porrige dextram,
Subſidioque leva nutantia pectora certo,
(Pierii tutela chori) jam lumine vultûs
Præſentes dignare tui radiante beare :
Quaſque peregrinas penuria adegit in oras,
Tot ſine re certâ, ſine ſpe,migrare ſorores,
Quas nondum Papana ſuis excetra fefellit
Blanditiis,animo ſedeat revocare ſereno,
Et valida munire manu. Nos opprimit ima
Sors inimica rotâ metuendaque lædit egeſtas ,
Verſaque quæſitæ cogit dare terga Minervæ :
Ni tua nos pietas vultu ſincera benigno
Proſpiciens,ſtabili dubias tueatur aſylo.
Sic tibi Neſtoreos feliciter impleat annos
Suavior,& nullis obnoxia vita procellis.

Sic

Sic Carolo placidæ vernanti flore juventæ
Tanti digna viri conjunx accedat amore,
Sic ſolidâ victrix in pace Bohemia Regi
Serviat indefeſſa ſuo, genioque ſecundo
Clarorum ſoboles vigeat numeroſa Nepotum.
Interea tenues ſpes nutriat alma ſorores,
Et tanto duce nixa fides, poſitoque timore
Pierides juſto Daphnin celebremus honore,
Daphnis inexhauſto dignetur amore Camœnas.

ECLOGA I.

Amaryllis Expoſtulans nomine Vrbis Perthenſis ad regem IACOBVM in Scotiam reducem, Anno 1617.

CAſtalides pia turba Deæ, quæ pectora vatum
Aoniis luſtratis aquis, faſtigia montis
Linquite Pierii, noſtroſque inviſite campos:
Et mecum placidos mea per violaria flores
Carpite: ſin autem teneras diſcrimina longæ
Tædet inire viæ, terraſque videre repoſtas;
At Taïdas ſaltem veſtro perfundite Nymphas
Numine, & ingenti dignum date Daphnide carmē:
Dum validos gemebunda mei cano pectoris æſtus.
Quinta mihi luctu fluxit trieteris acerbo,
Quàm miſeris abſumpta modis, quam plena laborū!
Cum, gemitu lachrymiſq; madens, ingrata ſalutis,
In tenebris mecum priſcos meditarer amores;
Ex quo, Daphni, tuos non æquo ſydere vultus
Phœbus, & Auſtralis tenuit plaga fervida terræ,
Quam Sabrina ferox, & quam Thamiſeides undæ,
Quā Deva occiduum, quamq; alluit Humber Eoum
Pronus in Oceanum; mihi quot lamenta per auras,
Quot rivi fluxere genis! cum triſtior omni
Nocte dies, atros cum nox inimica dolores
Ingeminans, animum propè funere merſit iniquo.
At reditus nova fama tui ſpem læta ſecundam
Exanimi diffuſa dedit, longumque querenti:
Pone metus, Amarylli, tuos, tuus ignis, & ardor
Daphnis, ait, gelidas Auſtro rediturus in Arctos,

Teque ſuam viſurus adeſt. Vox iſta laborum
Prima tuliſſe mihi finem miſeroque dolori
Viſa, novæ rerum facies, renovata parumper
Lux animum radiis erexit amœna coruſcis.
Iam mea dum numero mihi tempora, (qualis a-
Cura ſolet, longi quæ tædia temporis odit) (mantum
En ignara iterum rumore accendor amaro,
Daphnin ad Oceanum per fluminis oſtia tanti
Incerto tranſiſſe vado, quam frigida ſedi,
Quanta movens animo circa meditabar inani!
An meus antiquos nequicquam oblitus amores
Me fugit? an tenues evanidus exit in auras,
Qui modo firmus amor fundamine certior omni
Creverat? an vero tanti qui pignora amoris
Intercepta manu mihi præripuere nefandâ
Hos ſtruxere dolos? atqui nec amœnior uſquam
Terra ſitu patet, aut naturæ lætior almas
Omniparentis opes placido profundit amictu.
Me Taides venerantur aquæ, mea prata Napææ
Læta colunt, varioque legunt è flore corollas:
Grampiadeſque meis gaudent amplexibus undæ.
Me Pater Oceanus, quoties nox atra profundis
Tellurem involvit tenebris, inviſit; & idem
Impatiens tolerare moras, quum Phœbus in alto
Æthere pallentes ſub terram diſcutit umbras,
In curſu mea caſtra novo mea mœnia lambit;
Nec mihi, quod longo tellus habet ulla receſſu,
Abnuit, atque aperit terras ubicunque repoſtas.
Hic tibi pons, pons, Daphni tuus, nō ultima curâ
Pars dignata tua, totius redivivus in auras
Te duce conſcendit. Necdum te prima Iuventæ
Tempora maturum rebus videre gerendis,
Alter ab undecimo Solem cum volveret annus,
Iam pontis te magne tui pia cura momordit.
Nunc quoq; marmoreis quod ſurgit in alta colūnis,
Quod placidâ conveſtit aquas teſtudine, & altum
Carpit iter tutus nocteſque dieſque viator,
Muneris eſt hoc, Daphni, tui: tua gloria tantis
Fulget imaginibus: dignas vicinia grates,
Quaſque

Quaſque poteſt, Amaryllis habet: tua nomina ſum-
Laudibus & merito grata amplectetur amore.(mis
At gravis hinc noſtram rapit admiratio mentem,
Quod tu ponte procul, procul hinc Amaryllide Da-
Cærulei per curva Tai vada tendis in Arcton:(phni,
Qua tibi nec tutum tremulam cōſcendere puppim,
Nec placido datur in terram deſcendere ſaltu.
Heu potes his charum caput objectare periclis,
Nec pontis memor, & veterum ſecurus amorum!
An quod adhuc pendēt opera interrupta, manuſque
Iam fabricæ ſublata novas accendit in iras?
Anne quod (ô certo Deus omnia numine firmet!)
In noſtras redeunte plagas, ſubtracta parumper
Tempora, multiplici reddet cumulata voluptas
Fœnore, cum radioſa tui clementia vultus
Et lachrimas, noctemque mihi, triſtesque tenebras
Diſcutiet, dabiturque pedes contingere ſacros,
Et priſco de more, piæ dare baſia dextræ.
Haud ſecus, ac roſa nocte latens, tenebriſque vo-
Folliculiſque obducta ſuis, ubi Solis Eoï (lutæ
Iam jubar, auroramque videt properare ſerenam,
Explicat audaces ſplendentis ad aurea vultus
Lumina, puniceoque rubet ſpectanda colore,
Iam rutilans, placidumque nitens exhalat odorem:
Sic reditus lux alma tui Saturnia ſecum
Tempora, & antiquos ævi melioris honores
Ducet, & ingrati poſito ſqualore doloris,
Ambroſio lætos perfundet lumine vultus.
O precor illa dies pernicibus aurea pennis
Advolet, illa dies niveo ſignanda lapillo,
Quæ mihi me, magnumq; mihi celeberrima reddet
Daphnin, & audaces amplexum mittet in ulnas!
Hic ego te (pius urget amor, miſerere fatentis)
Tam longas traxiſſe moras, tam concita amanti
Indulſiſſe tuæ contracto tempora gyro,
Heu doleam, ſileamve, meos miſerata labores?
Dum tu lentus abes, dum me dolor altus in horas
Vrit, & eroſis mandit præcordia fibris.
Quid querar? ah ſortis non eſt opus indice noſtræ.

Publica privatis miſerâ permiſta ruinâ
Intereunt,tenueſque premunt ſub pondere cives.
O tecum liceat taciti mihi vulnus amoris,
Quæque imos penetrant curarum nubila ſenſus,
In gremium diffuſa tuum (dolor angit amantes)
Sublatis aperire dolis ! quia ſolus Apollo,
Solus Apollinea celeberrimus arte MACHAON,
Solus es admotis Podalirius inclytus herbis.

ECLOGA II.

AMARYLLIS Exultans ad regem Pertham ingredientem.

EIa Amarylli graves imo de pectore curas
Mitte libens,lætumq; hilari caput exere vultu.
En tibi,quæ teneris lacrymas abſtergat ocellis,
Expectata dies redit ; expectatus in horas
Daphnis adeſt, vultuque tuos placatus amico
Lætius aſpectat tria poſt quinquennia vultûs.
Iam tibi ſiſtra ſonent,placido cava cymbala pulſu
Inſolitum Pæana leves concuſſa per auras
Ingeminent,iterentq; novos cava tympana cantus.
Iam tempus pepuliſſe ſitum, jam ſtrata viarum
Innumeris dentata locis , jam mœnia juſto
Aggere concluſis ſurgent reparata ruinis.
Sed neque fornicibus,pariiſve oneroſa columnis
Iam ſeptem poſt luſtra levi properata labore
Incumbent tabulata : ſuo bonus omnia Daphnis
Aſpectu recreata,ſuoque micantia cultu
Inſtaurare dabit,priſco cumulanda nitore.
Ergo Caledoniæ celeberrima gloria terræ,
Et gentis ſpes magna tuæ, cui numen amicum
Sceptrigeros jam quina quater per ſæcula patres
Vel ſoli numerare dedit,cui ferrea Iani
Limina belligeri validis occluſa catenis,
Lætaque compoſitis miteſcere ſæcula bellis
Annuit æternæ divina potentia dextræ ;
Expectate redis ; alacri concuſſa tumultu
Proſpicit, & merito venienti aſſurgit honore
Gens vultus mirata tuos ; conjunctaque ſceptris
Sceptra

Sceptra piis,hominum nullo madefacta cruore.
Externo toties ferro periiſſe ſuoque
Credita,ſalva tamen, per tot divinitus annos
Vnica nunc, olim biſquinque Britannia regnis
Subdita,quam placidè ſceptrum coaleſcit in unum!
Quæ Scoti,indigenæque prius tenuere Britanni,
Pictorumque manus Scoto ſubjecta triumpho:
Saxonidum ſeptem diſtincta potentia regnis,
Poſt Cimbro ſubmiſſa truci, Neuſtroque ruenti,
Nunc fato conjuncta, tuæ dant nomina dextræ.
Neve quis hæredem neget his ſuccedere ſceptris,
Aut putet hæc tot regna tuis indebita fatis;
Nullus erat,cuicunque ſoli pars ulla BRITANNI
Sceptra tenenda dedit, vero qui ſanguine cretum
Te neget eſſe ſuo,juſtiſque in regna vocari
Auſpiciis,rerumque tibi non cedat habenas,
Si modo vitales etiamnum carperet auras,
Nec tantas in luce moras data fata negaſſent.
Adſpice Brittonidæ qui ſceptra noviſſima rexit
Saxonico ceſſura jugo,cum regna tueri
Difficiles fortuna vias inimica dediſſet,
Hoſte premente gravi; cum jam diffideret armis;
Cælitus afflati fertur præſagia vatis
Auribus hæc hauſiſſe,quies ubi ſolveret artus:
Venit ſumma dies rerum, miſerandaque regni
Fata Britanne tui, ferus omnia conteret hoſtis:
Vlterius tentare trucis diſcrimina belli
Deſine,at iſta memor duri ſolatia caſus
Mente reconde:Tuo,ſurget de ſemine GERMEN,
Quod latè imperio terræ potietur & armis:
Qua ſeſe ingenti ſinuoſa Britannia tractu
Porrigit,Oceanique vagis perfunditur undis.
Hinc Abavus poſt ſæcla tuus bis quattuor; idem
Pugnaces qui pace roſas,& amore revinxit
Brittonidum tibi, Saxonidum tibi tendit habenas,
Brittonidum, Cadovalliaci quod ſanguinis hæres,
Brittonidum poſtrema manu qui vincula torſit:
Saxonidum tedæ ſociatus amore jugalis,
Saxonidum, ſeptena ſuo qui regna triumpho

Clauſerunt, Cimbris Neuſtriſque petita procellis.
Hic junctis poſt mille roſis diſcrimina belli
Civica depoſitis incendia ſuſtulit armis.
Hinc maternus Avus proaviti clara propago
Connubii, junctæque tori genialis honore
Margaridi, Angligenûm commiſto ſanguine crevit.
Vnde Abavi fato ſtirpem rapiente virilem,
Regia Scotorum ſoboles ſuffecta refecit,
Margaridis prognata aviæ de ſemine magnæ.
An memorem proavum Cimbra genitrice creatum
Neuſtro-Anglum tædâ Scoto qui ſanguine miſcet?
Ne ſacra non omni ſeries ex parte beatam
Progeniem, tanto decorandum ſtemmate ſignet?
Quis te (Henrice Pater) tacitum memorande relin-
Reginæ thalamo Mariæ dignate ſuperbo? (quat;
Vt genus amborum titulis illuſtre parentum
Profluat, utque altè ſe ſanguine ſcindat ab uno?
Vtque unam fato in ſobolem coaleſcat, idemque
Innumeris diadema bonis cum pace decorum:
Quod capiti jam (Daphni) tuo meliora ſacrarunt
Tempora, ſopitis innoxia tempora bellis.
Quis tibi Scotigenûm, germanaq; regna parentū,
Pictica qui juſtis fregerunt caſtra trophæis,
Eripiat, vel ſceptra neget proavita tueri?
Quid, quod & Hectoridûm, titulis accedere tantis
Gloria, præq; aliis nemoralis HIBERNIA geſtit?
Vnde Caledonii fluxere ab origine Patres,
Et FERGVSIADVM generoſa potentia Regum,
Qui faſtis bis dena ſuis jam ſæcula claudunt.
Quod niſi priſcorum fallunt oracula vatum,
En etiam majora manent: fælicibus oro
Auſpiciis, quodcunque dabit Deus, utere fato.
O magni tener orbis amor, quem maxima rerum
Innumeris momenta tenent obnoxia curis;
Seu Romana tuis, ſeu Byzantina triumphis
Caſtra dabit ſubigenda Deus, tu ſorte minores
Res etiam dignare tua meminiſſe, nec unquam
Pectore perde pio teneros Amaryllidis ignes;
Seu propiora tenens, ſeu cum diverſa petentem
Longa

Longa ſalebroſo plaga dividit invia tractu,
Quæ te cunque vocant rerum momenta tuarum.
Quam facili mecum recolo gratiſſima amantis
Pignora mente, meos qui poſt cunabula vultus
Non dedignatus reliquis præponere Nymphis;
Meque,meumque alias ſupra caput extulit urbes!
Sic pia progenies,ſic & veneranda priorum
Pectora præ reliquis decertavere Parentum
Me donis decorare ſuis; tot ſæcula teſtor
Ex quo me ferus amne Taus, me fluctibus Almon
Indomitis,priſcos egere relinquere tractus;
Et genio meliore novas exquirere ſedes.
Ex illo vallemque colo virtutis amœnam
Pulchrius,egregiamque ſitu cum mœnibus urbem.
Quid pontem fluvioſque canam? quid prata decorū
Hinc atque hinc diffuſa meos cingentia muros?
Quid rapidum Almonē? qui per tot millia paſſuûm
Oblitus genii, ſine me dum triſtior amnis
Ipſe ſuo dedignatur langueſcere in alveo,
Dum mea per latos luſtrat veſtigia campos,
In mea vibratis ſeſe dum porrigit ulnis
Mœnia,tranquillo dum me contingere plauſu
Apparat,innocuis pomœria perluit undis:
Non errore viæ,blando ſed amore locorum
Captus, inexhauſtis ut ſerviat undique lymphis;
Qua ferus irrumpit Boreas, qua nubibus Auſter
Nubicolas effundit aquas,qua veſper Olympo
Succedens noſtris ſurgentia dirigit aſtra.
Grampiadum Taus ingenti regnator aquarum
Agmine per pariique fluit,refluitque receſſus
Pontis: & undenos ſubter dilabitur arcus:
Limpidaque, & quali faciem NARCISSVS in unda
Vidiſſet fato forſan meliore, recurva
Najades antra tenent pulchras teſtudine ſedes.
Quid diverſa ſequar? tua me præſentia donis
Plus facies auguſta juvat,plus candor honeſti
Pectoris: ipſe mihi tu munere gratior omni:
Nec data me,ſed dantis amor mea viſcera tangit.
Dum queror abſentē ſine te,dum mœſta relinquor,
Lux

Lux oculis ingrata meis; vix languida pellit
Nubila curarum : noctes vigilantur amaræ :
Nec mulcere meum ſine te potis ulla voluptas
Pectus, & indomitos animi ſedare dolores;
Nec potis eſt tantam curarum extinguere molem.
O Tecum liceat Pylios quam longa per annos
Tempora volvendis mihi jungere ſæcula ſæclis:
Dummodo te noſtris teneat ſecurus in oris
Noſter amor; placidæque neant tibi firma ſenectæ
Stamina Lanificæ fato fælice ſorores.
Heu fruſtra mea vota cadunt,finemque modumque
Fac lacrymis Amarylli tuis : dum fata dabuntur,
Læta fruare tuo (breve cum ſit tempus) amante.
Quid tibi pro tantis digna mercede rependam
Muneribus ? tua ſors non eſt opis indiga noſtræ :
Cum merces ſit amoris amor,mihi prima voluptas
Daphnin amare meum eſt,& amãtis ab igne peruri.

Ad IACOBVM VI, Britanniarum regem, Angliam petentem, ROBERTI AYTONI Panegyris.

FATA per æthereos iam maturata recurſus,
Implêrant juſtum decreti temporis orbem;
Quo vatum firmanda fides,quorum entheus ardor,
Auſpiciis, IACOBE, tuis,& ſoſpite ductu,
Sæcla Caledoniæ deſponderat aurea genti.
Ergo illi,ut ſoles lucerent purius auro;
Ergo illi,ut quercus ſudarent roſcida mella,
Sponte ſuâ tellus gravidam demitteret alvum,
Omnigenis fœcunda bonis,& pacis in umbra
Lætius exurgens fronderet termes olivæ :
Ecce vel à primis teneri lallatibus oris,
Ad jam ſepteni ſinuata volumina luſtri,
Imperiis famulata tuis ſunt omnia cæli
Nu mina : nec quiſquam noſtro fælicius orbe
Sceptra manu tenuit,repetas licet ordine longo,
Et quos Ferguſo deductos Scotia jactat,
Et quos famoſis memorat vicinia faſtis :
Iunge etiam externas alio ſub ſidere gentes,

Quæ

Quæ Rhenum Rhodanumq; bibũt,quas alluit Iſter,
Quas Tagus exuviis pretioſæ ditat arenæ ,
Denique luciferis luſtrat quaſcunque quadrigis
Phœbus,& Eoâ ſurgens illuſtrior undâ,
Et jam defeſſum tingens devexior axem :
Non illæ laudare queant è ſtemmate Regum,
Atque coronigeræ numeroſa ſtirpe cohortis
Vnum aliquem , qui te meritis & ſorte ſecundâ
Æquiparet, tecumque auſit certare regendo.
Sic votis fortuna tuis ſervire per omnes
Edidicit caſus,poſtquam tibi purpura ceſſit,
Et commiſſa tuis ſuprema potentia curis.
Scilicet ut primum Genius te lucis in auras
Edidit,occultæ virtutis ſigna dediſti,
Quæ te per totum vitæ eſt comitata tenorem,
Et cui ſe comitem ſocia compagine junxit
Prodiga ſucceſſu ſemper fortuna ſecundo.
Dilaniare tuos cives feralis Enyo
Cœperat, & diros pallens miſcere tumultus
Tiſiphone,ſocias acies cognataque ſigna
Committens: jam bella placent,jam luſus in armis
Quæritur,ut quam non valuerunt perdere Cimbri,
Non Picti, non Saxo ferox , non belliger Anglus,
Viribus ipſa ſuis iret gens Scotica peſſum.
Sed tua proſperitas inter cunabula victrix
Emicuit,patriæque vicem miſerata gementis
Iam conclamatis potuit ſuccurrere rebus :
Auſpiciis effecta tuis victoria velox,
Quæque tuum cœptis prætendit factio nomen
Hoſtibus edomitis victricia ſigna reduxit
Ocyus,& ſubitâ cinxit ſua tempora lauro
Tantæ molis opus lactens infantia,mirum !
Duxit ad optatum facili molimine finem.
Priſca quidem Herculeis eliſos viribus angues,
Fama refert,tener in cunis dum luderet infans,
Roboris indicio ſpem confirmante futuri :
Sed facinus quod tu pappanti crudior ævo
Auſus es,exſuperat tanti miracula facti.
Tu ſolo nutu, ſemoto robore dextræ,

Mon-

Monſtrum horrendum, ingens, gemino crudelius angue
Viciſti, curſu tam præcipitante, putaſſes
Poſſe tuum cum velle pari procedere paſſu.
Qualiter Eois rutilus cum ſurgit ab undis
Phœbus, & aurato fulget præſignis amictu,
Illico diſparent nubes, quas humida noctis
Temperies patulis cœli ſuſpenderat oris.
Aut velut in magnâ cùm tempeſtate laborat
Navita, nec quicquam prodeſt prudentia cani
Rectoris contra rabiem cœlique, mariſque
Pinum impellentis quò dirigit ira procellæ,
Ledæi geminus ſi favit ſideris ardor,
Continuò ponunt venti, mare ſternitur, æther
Ridet, & obductam clarat ferrugine frontem:
Haud aliter virtute tuâ diſparuit iſta
Seditioſa lues & tetri bellua belli:
Nec contenta tuos fines liquiſſe, receſſit
In tam lōginquas procul hinc trans æquora terras,
Vt nunquam revocare gradum te ſceptra tenente
Auſa ſit, imperiive tui turbare quietem.
Mox tibi maturis ut crevit robur ab annis,
Tam facili crevit velox prudentia curſu,
Vt populum indigenam placidis in pace teneres
Imperiis, gentes alias ad fœdera regni
Virtutis ſolo ductos ſplendore vocares.
Hinc tibi Gallorum vinclo propiore ligata
Candida corda tenes, & belli nobile fulmen
Henricum ſocio jungis tibi fœderis ictu.
Hinc faſtoſus Iber, quem nulli parcere regno
Regni ſacra fames patitur, tibi geſtit, & unum
Nititur officiis alternis vincere Regem.
Quinetiam infeſtis diſcerpta Britannia bellis
Flagrat amore tui, & Scotis debere fatetur
Facta truci præſens quod non ſit præda tyranno.
Iam vero antiquis gens nobilitata trophæis
Cimbrica, virtutis tantæ miracula cernens
Riphæos montes & Balthica littora famâ
Tranſiliiſſe ſuâ, voluit te fœdere certo
Devincire ſibi, fraternum ut ſurgeret inde
Nomen

Nomen amicitiæ nullo delebile ſæclo.
Fælix illa dies, niveoque notanda lapillo,
Qua thalamis conjunx, qua ſceptris addita conſors
Dana fuit, quæ ſi non eſſet filia Regis,
Regia non eſſet conjunx, non Regia mater,
Forma tamen dignam faceret, quæ regia corda
Imperiis premeret, ſceptrumque teneret amoris.
Vna tibi, ex omni fieres ut parte beatus,
Gloria reſtabat, Scotos ut jungeret Anglis
Non ſimulata fides, rixaſque oblita priores
Gratia diviſas gentes ſolidaret in unam,
Et Tameſin Forthæ ſocio vinciret amore:
Hoc vatum reſponſa dabant ſperare, ſed olim
Hoc tantum ſperare dabant, cum bina ſub uno
Principe regna forent, & jus daret unus utrique.
Ergo unum hoc populus votis ſuſpirat uterque,
Ergo ſatis geminis faciant ut ſidera votis,
Ecce placet Superis Arctoo lumen Olympo,
Atque Ariadneæ ſidus laterale Coronæ
Addere, regali quondam quæ ſidus in aulâ
Fulſerat, Angligenis venerabile nomen Elizam.
O nimium dilecte Deo, cui ſidera parent,
Et conjuratæ veniunt ad vota coronæ,
Adſpice quam facili nutu tibi ſerviat æther,
Dum tibi ſecuro, punctis hominumque Deûmque
Defertur, quod cæde alii, quod ſanguine quærunt.
Angla etenim, cum jam ſciret cœleſtia ſigna
Adventu geſtire ſuo, cum conſcius Atlas
Pondere venturo quateret nutantia membra,
Diſtulit illa tamen cupido ſe reddere cœlo,
Dum tibi pacatos hæredi traderet Anglos.
Sic proceres affata: Mihi jam fata ſupremum
Indixere diem, nec fas convexa tueri
Serius, en abeo gravis annis, atque trophæis,
Non immaturo moriens aut præcoce fato:
Nil vitæ me cura coquit, nil territat horror
Mortis, & adveniens laſſis ſopor altus ocellis,
Præteritæ tam grata animo virtutis imago
Occurſat, tam dulce mihi meminiſſe, tot annos
Alitibus

Alitibus fauſtis populi diadema potentis
Fœmineas decoraſſe comas, ut non niſi læta
Eliſias mediter ſedes , ubi juſta laborum
Præmia, ubi merces non fraudat fortiter acta.
Vnum hoc ſolicitam ſupremâ vellicat horâ,
Qua vobis ratione queam regnique ſaluti
Conſulere, & tantis cuſtodem adſciſcere ſceptris.
Ergo animus ſeſe partes dum verſat in omnes,
Et ſatagit laudare ducem,cui pareat ultrò,
Quem colat,& cujus ductu ditata trophæis
Anglia captivas ſuſpendat in arbore criſtas,
Herculeas juxta metas hoſtilis Iberi,
Vnum hoc occurrit : melius non poſſe caveri
Rebus & imperii rationibus,Anglica quam ſi
Sceptra manu teneat , qui Scotica torquet,eâdem.
Si pietas,ſi cana fides, ſi candida morum
Tempe ries,ſi virtutum collecta caterva,
Si magnos ſemper volvens mens ardua motus,
Lactea lingua fluens Hyblæo prodiga ſucco,
Denique forma decens,& totos ſparſa per artus
Gratia, membrorumque modus, blandita priorum
Qualem ſemideis non fingunt carmina vatum,
Imperium meruiſſe queant,hic ſolus ab iſto
Dignus erit ſolio vobis qui jura miniſtret.
Sed nihil hæ valeant,& ſint ſine pondere dotes,
At leges & jura volunt,& ſanguinis ordo
Poſcit,ut Anglorum regali in ſede locetur,
Regibus Anglorum qui ſacros imputat ortus :
Ecquid erit validum veſtram turbare quietem ?
Quæ regio in terris veſtris non ceſſerit armis,
Quum geminas jungat generoſa Britannia vires ?
Anglica ſe quantis attollet gloria rebus ;
Cum Roſa pubeſcens foliis bicoloribus Anglo,
Et quæ purpureo ſplendet Lancaſtria fuco,
Quæque Eboracenſis niveo velatur amictu ,
Fulva Caledonii diſtinguet colla Leonis ?
Ergo uni parete omnes,hic flectat habenas
Imperii,nutuque ſuo ſuprema gubernet :
Atque iſtud monuiſſe ſatis,me plura parantem
Dicere

Dicere Lethææ prohibet vicinia ripæ.
His dictis dedit ore animam, cæloque locata
Inter ſidereas fulſit fax aurea tædas,
Propitio ſpargens cælum fulgore Britannum.
Nec mora, quos fidos vivens experta probârat,
Invenit obſequiis plenos poſt funera cives.
Ex omni procerum turba florente leguntur,
Qui ſuprema tibi referant mandata puellæ
Sceptrigeræ, qui te populo ſine fine potenti,
Atque tibi populum per mutua vincla maritent.
Quales lætitiæ feſtos ad ſydera plauſus
Congeminaſſe putes Scotæ gratantia gentis
Agmina, tam grati cunctis cum nuntia caſus
Fama Caledonias tepefecit motibus auras?
Non tantum in longos ſolvit ſe natio luſus,
Non tantum paterâ noctes & carmine duxit
Miſta ſenum & juvenum confuſo turba tumultu;
Nec ſatis accenſis ſævi flammantis acervis
Iuſta fuit gratæ teſtari gaudia mentis:
Quinetiam quæ ſtare ſolent exſenſa, putaſſes
Fortunæ riſiſſe tuæ genioque litaſſe.
Abjiciens tellus hyberni tegmina panni
Verſicolore tulit diſtinctam emblemate pallam:
Suſpirans blandos Zephyrus de nare ſuſurros
Aëra cinnameis diſſectum infecerat alis.
Ipſe etiam Nereus, cujus ſtat gurgite vaſto
Inſula, pacatis adlambens littora lymphis,
Subridente leveis blandum dedit ore cachinnos.
Interea quo fata vocant, quo te tua virtus
Invitat, moliris iter, Scotisque relictis
Tendis ad affines Anglorum ſedulus oras.
Illa dies quæ te certum diſcedere vidit
Accinctumque viæ, docuit quam charus abires
Dilectusque tuis: ſubito ſe gaudia motu
In luctus vertere graves, dum pondus amoris
Accendit vigilem trepido ſub pectore curam,
Ne perdat commune bonum, commune ſalutis
Præſidium, patriæ patrem populique parentem.
Eheu ſolliciti res eſt quam plena timoris
Magnus

Magnus amor ! metuit ſemper qui diligit,& quod
Mente capit, cupit ante oculos ut ſemper oberret.
Ergo tui nequit avelli conſpectibus oris
Scotia,te ſequitur greſſum quocunque moveres.
Ordo omnis, ſequiturque omnis te ſexus & ætas,
Patriciæ, procerum turmæ, plebejaque turba,
Longævi cum plebe ſenes, cum virgine matres
Adglomerant, comitesque tuis ſe paſſibus addunt:
Tu prohibes , & quemque jubes ad priva reverti,
Contentus tali ſtudio ceu pignore amoris.
Turba ſequax, quamvis ſit letho durius omni
Extremum proferre vale,vultusque ſerenos
Principis, heu nunquam vultus fortaſſe videndos
Linquere,verſa tamen retro veſtigia flectit,
Dum ſtudet exactum geſſiſſe per omnia morem.
Et jam terga dabat,cum rurſus flectere vultum
Sollicitavit amor,talesque effundere voces
Singultu medias interrumpente querelas :
Tune potes,Rex magne,tuam ſic linquere gentē?
Sic tibi ſordeſcit, regna ad vicina vocato,
Scotia,nulla tui ſuper ut ſit cura popelli?
Quod ſi certa nimis ſedet hæc ſententia menti
Inceptum pertexere iter, fixumque tenendas
Regis & hæredis titulo ſtat cernere terras,
I fælix quo fata vocant, perge alite fauſtâ,
Dummodo prima tuis reducem te Cynthia ſiſtat :
Sed ſi perpetuum regno meditaris in Anglo
Hoſpitium, & Scotæ jamdudum pœnitet oræ,
Da veniam,juſti ſi vis extrema doloris
Imputet, in noſtris primum quod ſedibus æther
Hauſtus, & infirmis pulſus vagitibus aër,
Quod nondum primævus adhuc, imbellis,inermis
Defenſus noſtris clypeis,hoſtilia tela
Spreveris & regno fueris ſubmotus avito.
Anglia quid ? verum præſtat non dicere,nos te
Per Genium, patriam,per pignora chara rogamus:
Per ſi quid tibi dulce magis , ne deſere gentem,
Quæ nunquā obſequio cecidit nec decidet unquā,
Rupta licet rerum ſolvantur fœdera,brutum
Inque

Inque chaos redeat luxati machina mundi.
Dictabat graviora dolor, ſed jam ungula pernix
Quadrupedante tuas ſaltu ſubduxerat aures :
Tu pergis, populoque tuo poſt terga relicto,
Metiris tractus quos lati fluminis alveo
Tueda rigat, mox ſuccedis lætantibus arvis,
Quæ vicina ſuis Northumbria continet ulnis.
At tunc quos habitus, quantæ miracula pompæ
Cérnere erat ? cum tu magnâ ſtipante catervâ
Saxonidûm, fallax rumor quos ſæpius ante
Luſerat; adveniens omni dum crederis horâ,
Rura per & medias, ſolito conſpectior, urbes
Spumanti vehereris equo : creberque feriret
Aures iſte ſonus, VIVAT, multosque per annos
Temperet auguſto junctas moderamine gentes,
Ordine qui Sextus, primus virtutibus audit.
Certe ego crediderim, ſimili luſtraſſe paratu
Naſcentis quæ regna vident cunabula Phœbi
Thyrſigeri currus & patris ovantia ſigna,
Cum grex hirſutus Satyrorum, atque ebria Mænas
Euion ingeminaret, Io clamaret Iacche.
Aut ſimili pompâ ſtipatam credere fas eſt
Solis avem, cum jam reparavit morte juventam,
Et rediviva ſuo ſtruxit cunabula buſto.
Hanc volucrum numeroſa cohors, te millia vulgi
Mirantur, populus Dominum ſubmiſſus adorat,
Et laſſata quidem, ſed non ſatiata videndo
Lumina deponunt in te juvenesque ſenesque :
Præcipuè juvenes, qui te ductore perennes
Mente agitant lauros, quorum mens neſcia claudi
Finibus anguſtis queis inſula clauditur, alis
Tranſvolat Oceani reboantia ſepta, tuumque
Imperium terris, famam metitur Olympo.
En (ajunt) olim auſpiciis muliebribus uſi
E Gaditanis lauros decerpſimus arvis,
Saxonidumque roſas Hiſpano inſevimus orbi,
Et quiſquam noſtris fines præſcripſerit armis,
Imperiove modum Sexto duce & auſpice SEXTO?
Quid loquar, ut queruli patres, ut garrula mater,

Vt puer,ut virgo,te viſo,gaudia vultu
Pinxerit,& feſtos clamores plauſibus aptans,
Non ingrata tuas in laudes ſolverit ora ?
Non mihi ferrato ſtreperet ſi pectore Phœbus,
Et centum gemino manarent verba palato ;
Gratantis turbæ varios habitusque modosque
Dinumerare queam : ſatis eſt voluiſſe notare
Lætitiæ monumenta ſuæ, tenuique Minervâ
Delibaſſe tibi quos conſecravit honores
Iugiter,à primo calcati limite regni
Ad medium penetrale : caput qua tollit in auras
Vrbs antiqua,potens armis,& ſplendida luxu,
Quæque alias tanto ſupereminet intervallo,
Quantum humiles ſuperat pinus procera myricas,
LONDINVM indigenæ vocitant. Hic ultima pompæ
Pars fuit,hoc centro ceu conſummatus obhæſit
Lætitiæ tractus : quid enim ſors addere votis
Vlterius potuit ? poſt pulvinaria divum
Tot precibus laſſata venis,ut numen amicum
Vt Tutelaris ſacrans pomœria Divus.
Ergo tibi hic ſummũ quod reſtat ſolvitur, omnis
Vnanimi populus regem te voce ſalutat,
Sceptra manu ſiſtit,cingit diademate crinem,
Membra ſuperfuſo trabeæ miratur in auro,
Se tibi ſubmittit,ſua devovet,in tua verba
Conceptis properat verbis jurare, tuisque
Mancipat imperiis ſummam vitæque necisque:
Felices,queis ſors melior dedit iſta tueri
Comminus ! ac oculo propius luſtrare fideli !
Hos juſtas animare fideis in cuncta monebat
Officii pietas totius conſcia pompæ,
Ad nos tam longo tractu cælique ſolique
Diſtractos,famæ tenuis vix labitur aura.
Quid mirum ſi rauca ſtrepat, ſi murmure balbo
Sibilet ægra chelys,ſi vix milleſima rerum
Pars nervis aptata tuos enervet honores ?
Culpa quidem ingenii permultum deterit,at nos
Non adeo agreſti carmen tenuamus avenâ,
Vt tibi non olim patrio vernacula verſu

Riſerit, occultos dum ſuſpiraret amores,
Et CHARIDOREO DIOPHANTVS ferveret
Forſit & hæc, quamvis grandi faſtoſa boatu (æſtu.
Non fremat, at tenui tantum ſpiramine muſſet,
Oceani tranſvecta domos & cærula regna,
Auguſtas grata novitate morabitur aures.
Interea, Rex, macte tuis virtutibus, iſtis
Verſibus, & tanti parto diademate regni:
Crede mihi, quidquid mundi per furta Tonantis
Cepit Agenoreæ nomen de nomine natæ,
Attonitum ſtupet omne tui miracula fati.
Pluribus invaluit tam vaſta potentia ſceptris,
Quiſque ſibi ut timeat. Non tu de pulvere treſſis
Regulus, aut vilis populi ſine nomine princeps.
Quidquid ab Auſoniis eſt alter creditus orbis,
Hoc nutu tremit omne tuo, quæ ſiſtere curſum
Romani imperii potuit, tibi Scotia ſervit:
Quæ toties Gallos, toties tremefecit Iberos
Anglia, colla tuis ultrò ſubmittit habenis.
Dedignata jugum multos muliebre Decembres,
Depoſita feritate tibi famulatur Ierne.
Orcades, & maculæ plures in fronte Britannæ
Doridos, extremæ ſpectantes littora Thules
Adſcribi titulis tanti rectoris anhelant.
Quodque tibi ingentes animos & maſcula corda
Excitet, & magnos juſtâ ſpe nutriat auſus,
Non ullos natura tuo præſcribere fines
Auſa eſt imperio, niſi quos circumſona Nerei
Pertica ſpumanti metatur cuſpidis ictu:
Omine monſtroſæ ſortis, quandoque futurum,
Quicquid ut Oceanus refluis complectitur ulnis,
Te colat, & toto diſtantes orbe Britanni
Subjiciant totum lege & legionibus orbem.
Nec minus aucta novo regni cuſtode, ſuperbum
Exere læta caput, contemptis Anglia telis
Invidiæ; non jam rabies livoris iniqui
Objiciet muliebre jugum, dum juſſa capeſſis
Herois Ferguſiadæ, dum Martia corda
Rege ſub invicto patiens ratione domari.

Reſpicis Auguſtum ? tuus eſt fælicior. Optas
Trajanum ? tuus eſt melior. Iuvat addere Titum?
Et primas Iacobus habet, tam comis, ut unus
Deliciæ humani generis mereatur haberi.
  Scotia teſtis erit, quæ ſic amplexa regentem eſt,
Sic colit, inſano nec adhuc non deperit æſtu,
Vt niſi te ſociam junxiſſent mille catenæ,
Proximitas cæli atque ſoli, par cultus ad aras,
Par ſonitus linguæ, ſpecies non diſcolor oris,
Quæque animos mollire ſolent iterata viciſſim
Fœdera regalis commiſſa per oſcula lecti;
Vix raptos impunè ſuos pateretur amores.
Sed tibi rivali tantum liveret honorem.
  Nunc vero, læta atque libens hoc Sole fruiſci
Te patitur, precibuſque ſuis invitat, ut illi
Obſequioſa geras morem, cultuſque rependas,
Quos monet officium tanto perſolvere Regi.
Dilige ceu patrem, ut Dominum reverere, loquan-
Marmora muta, ſuos ſtatuæ fateantur honores: (tur,
Ficta viri vivant auratis ora figuris:
Non incus vacet ulla, pio quæ pondere vultus
Regalis non preſſa gemat, vix tota Corinthus.
Sit ſatis, ut calidis fornacibus æra miniſtret,
Effigies ductura ſuas, quas omnis ubique
Angulus, extremo quantumvis devius Anglo.
Non minus obſervet ſacro veneramine, priſci
Quam Troes delapſa polo ſimulacra Minervæ.
  Illa dies, illi qua rerum ſumma poteſtas,
Qua regni commiſſus apex, qua publica moles
Incubuit tantis primum inclinata lacertis:
Murice Gætulo faſtis inſcripta notetur:
Annuaque inſtauret feſta ſolennia pompa.
Quæ decus & famam tam chari principis, atris
Vnguibus eripiant Libitinæ, & Sceptra Stuartæ
Gentis ab hoc puncto tranſmittant perpetis ævi,
Ad natos natorum & qui naſcentur ab illis.

Epice-

Epicedium in obitum Thomæ Rhædi.

SCilicet hoc fatum eſt validæ virtutis, & acris
Ingenii hæc geneſis, dum Famæ extendere me-
Vltra buſta parat, vitæ pomœria in arctum (tas
Contrahit, accerſit funus dum funeris expers
Emolitur opus, fit & umbra ut colligat auras.
Sic querimur te Rhæde rapi: dum totus anhelas
Mnemoſynes clarum faſtis inſcribere nomen,
Et vel privatis juvat impalleſcere chartis,
Vt poſſis prodeſſe orbi, vel juſſa capeſſis
Regia, & Auſonio donatur epiſtola cultu
Ad reges mittenda alios: ſub pondere tanto
Ilia paulatim ducis: vis ignea mentis
Imperia in famulos tam dura exercuit artus,
Vt non ſufficerent vires conatibus altæ
Indolis, & magnæ captantis præmia famæ.
Sed macie exſangui pallentem lurida tabes
Occupat, & lentâ carpit præcordia flamma:
Conſumptam ſic ſæpè facem conſpeximus, omnem
Dum lucem impendens alienis uſibus, altè
Liquitur, & proprias depaſcitur igne medullas.
Si qua tamen ſpes eſt victuri nominis ulli,
Si qua Novenſilibus vis eſt conceſſa Deabus,
Cultores ſacrare ſuos, Tua poſthuma Rhæde
Innumerabilibus caneſcet gloria ſeclis.
Nempe tibi infanti, qua Scotia vergit ad Arctos,
Ipſa fuit Pallas nutrix, dedit ubera, cunas
Impulit, adduxit ſomnos modulamine cantus
Auſonii Grajique: dein cum prima tenellus
Tentamenta pedum faceres, per devia Pindi
Teſqua, per Aonios lucos & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, quæ laurus inumbrat,
Ipſe tibi rexit Phæbus veſtigia, toto
Pieridum plaudente choro: tunc firmior annis
Fælici auſpicio Sophiæ per cuncta vagaris
Naturæ ſecreta, vides quæcunque profundis
Democritus putei finxit demerſa latebris:
Mente etiam petis alta poli, velumque reducente

Vranie, humanis impervia viſibus audes
Rimari, & toto latè diſcurrere cælo.
Subſidiis fretum tantis, talique ſaburrâ
Libratum juvat à patrio ſecedere fumo,
Externaſque videre plagas. Sic matre relicta
Deſerit anguſti genitiva cubilia nidi
Alarum tyrocinium factura volucris:
Sic tractus alio quærit ſub ſole jacentes
Mercator, patriæ fructus & munera terræ
Permutaturus peregrini mercibus orbis.
Gallia viſa tibi primùm, ſed Gallia tantùm
Viſa tibi per tranſennam (ceu flumina Nili
Delibat canis) attraxit Germania philtro
Et precis & pretii, geminâque hac arte morandi
Conſilium extorſit. Geminas ſic inter amicas
Eligitur, non quæ roſeo formoſior ore eſt,
Sed quæ pervigili ſtudio magis inſtat, & urget
Fortius affectum, Paphiæque incendia flammæ.
Palladis in caſtris multâ hic cum laude meren-
Et victa de Barbarie ſcioliſque ſophiſtis (tem,
Ducentem inſignes fama victrice triumphos
Lipſia detinuit longum. Quis credidit illîc
Se ritè admiſſum in Phœbi ſacraria, Rhædo
Non pandente fores ? Quis per dumeta Lycæi
Auſus iter tentare, niſi duce & auſpice Rhædo ?
Nec tibi fama minor quà Balthica littora ſpectat
Roſtochium, paucis iſtic tibi plurimus annis
Crevit honos, nullo non admirante profundæ
Doctrinæ aggeſtos tot in uno pectore acervos,
Fælicemque viam fandi, quocunque liberet
Ore loqui, quocunque habitu producere partus
Mentis, & exanimes ſcriptis animare papyros.
Æqua tamen tantæ virtuti præmia nondum
Contigerant, non ſcena ſatis contermina luci.
Hanc tibi debebat florentibus inclyta rebus
Anglia, florenti fueras flos debitus aulæ,
Et decuit tali talem clarere theatro.
Namque Minervæi quamvis nutritus in umbrâ,
Non tamen in curis fueras civilibus hoſpes,
Sed

Sed te dexteritas genii verſatilis aptum
Finxerat ex æquo ſtudiis, aulæve, ſcholæve.
Vnde capeſſenti graviorum pondera rerum,
Tradenti & Latiis mandata Auguſta tabellis,
Incorrupta fides, ſolers induſtria, coctum
Iudicium, & priſcæ certans facundia Romæ
Hîc magnum peperere decus,quodque omnia vin-
Elogia, hîc magno Regi potuiſſe placere (cit
Contigit, & talem meritis adſciſcere teſtem,
Quo nihil in terris ſapientius adſpicit æther.
Ille tuum eloquium tanto eſt dignatus honore,
Vt tibi, non alii, propriæ monumenta lucernæ
Crediderit vertenda illo ſermone, per orbem
Quo peregrinari poſſent, & Regibus eſſe
Pro ſpeculo, non qua ſceptris ſtat meta Britannis,
Sed quacunque patent Latiæ commercia linguæ.
Iamque hîc ad ſummum voti veniſſe cacumen
Rhæde videbaris ; nihil amplius addere laudi
Fama tuæ poterat, nihil illi aut livor avarus
Detrahere , aut Nemeſis rebus non æqua ſecundis:
Verùm ô perfidiam fati ! quod demere laudi
Haud potuit, luci & vitalibus abſtulit auris.
Et tu Rhæde jaces opera inter manca, minaſque
Scriptorum ingentes , queis ſi ſuprema fuiſſet
Cum limâ porrecta manus, non ulla fuiſſet
Calliopes toto Sophiæve illuſtrior albo,
Quam quæ Rhædeum præferret pagina nomen.
Nunc ceu rapta tuis ſuperant tantummodo buſtis
Paucula furtivas ſchediaſmata fuſa per horas.
Qualiacumque tamen ſunt hæc, hæc ipſa revincent
Eſſe Caledoniis etiamnum lumen alumnis,
Et Genium, quo vel Scoti Subtilis acumen,
Vel poterunt dulces Buchanani æquare Camœnas.
Iamque vale mi Rhæde , (mei ah pars maxima quondam,
Nunc cæli pars magna) tuo mihi funere tantum
Cordolium inflixit fati importuna tyrannis,
Cogat ut inceptas lachrymis abrumpere laudes.
Heu quoties dixi, deſcendam lætus ad umbras

Elyſias, moriarque libens, modo carmina noſtro
Inſcribat tumulo Rhædus, nunc ordine verſo
Naturæ votique mei, (proh fata) ſub umbras
Is prior, & nobis demandas penſa ſupremi
Officii, quæ dum multis firmatus ab annis
Nodus amicitiæ ſatagit perſolvere, charis
Manibus obſtrepimus, non juſtaque juſta ferentes
Indoctâ heu doctam pietate laceſſimus umbram.
Tu tamen affectu placido libamina noſtri
Affectus capias, poterit meruiſſe videri,
Qui propriæ famæ impenſis tua nomina famæ
Tradere, & ad ſeros voluit transferre nepotes.

Baſia ſive Strena ad Iacobum Hayum Equitem illuſtriſsimum.

Ecce per obliqui duodena habitacula circi
Luciferis qui fertur equis, reducique rotatu
Inducit ſenium mundo Phœbeius axis,
Iam ſubit hoſpitium Iani, qui clave recludens
Sæcula, principium tribuit naſcentibus annis.
Inſtauranda pio veniunt ſolennia ritu,
Muneribuſque datis anni bona ſcæva futuri
Captanda eſt: etenim cedit fælicius annus,
Si primum fauſta tranſmittas alite ſolem.
Mene igitur feſtas deceat tempſiſſe Calendas,
Cùm paſſim genus omne virûm delubra Patulci
Ingreditur, ſupplexque pias operatur ad aras?
Mene igitur (præluſtris Eques) tua tecta ſubire
Immunem & vacuum xenio; cum plurima paſſim
Strena datur, Chariteſq; terunt vaga limina, denſis
Stipantes calathis venturi pignora lucri?
Dii melius, tu jure tuo vel dona neganti
Extorquere potes; nam blandi gratia vultus,
Acceſſus facilis, conditæ melle loquelæ,
Inſigniſque ardor bene de virtute merendi,
Me tibi devotum deſponſavere clientem.
Nec mirum ſi fortè meos prædatus amores,
Hæc ſpolia è noſtro non grandia corde tuliſti:
Tu potis es Regum tacitas adlambere fibras,

Vir-

Virtutis magnete tuæ , philtroque potenti
Indolis ingenuæ auguſtos inflectere ſenſus.
Tu rectæ invidiam menti plerumque novercam
Conciliare vales: tu numina fædere raro
Iuncta ſimul ſocias, cogis committere dextras
Virtutem & meritum : ſub quorum ſoſpite ductu
Aulai tumidum ſpumoſis fluctibus æquor
Fortiter invectus, non ut pars maxima, in ipſo
Ludibrium portu ventis undæque dediſti :
Verum evitatis brevibus, ſcopuliſque vadiſque
Omnibus, in quæ vela ſolent impingere paſſim
Aulica, ſpes omnes tuta ſtatione locaſti :
Vnde alios, jam ſecurus, poſt reddita vota
Neptuno, partim fluitantes cernis in alto
Spemque metumque inter , partim inclementibus
Disjectos ; ſic ut nec raſi vertice crines, (auris
Nec digitis ungues præſecti flectere divos
Evaleant, luges vicina ab littoris actâ.
Quando igitur ſic cuncta tuo famulantur honori,
Quando igitur ſic cuncta tuos venantur amores ;
Relligio mihi ſit non obſervare perenni
Obſequio Geniumque tuum , doteſque ſtupendas,
Quarum ope regalis, jubar exorabile, vultus
Perpetuo uſurpas, terras cum lampade Phœbus
Illuſtrat, lateri comes indiviſus adhærens,
Et cum nox piceis mundum complectitur alis ,
Contiguis recubans ſtratis, ſanctoque cubili.
Præſertim cum prima dies revolubilis anni
Cultibus officiiſque vacat, cum munere ſignet
Obſequium quicunque tuis ſuccedere tectis
Molitur ; peream potius de millibus unus ,
Millibus è multis quam ſolus aſymbolus adſim.
Sed quid agam heu demens ? aut quo te munere mactem
Infælix ? mittamne Tagus quas volvit arenas ?
Aut ab Erythræo collectas littore conchas ?
Vaſave queis pretium fecit jactura Corinthi ?
Non equidem tali vel cenſu noſtra ſupellex
Luxuriat ; nec ſi flueret jam divite gaza,

Hæc animo ſunt apta tuo. Quam vilia ſemper
Duxeris aurivoro quæ plebs affectat hiatu,
Scit Tameſis quacunque fluit; ſcit Sequana ; novit
Ipſe Tagus ; flaváque fluit pallentior unda,
Deſpectas dum ſentit opes, quas devehit alveo.
Ergo alio juvat ire, tuo quo ſtrena paretur
Par animo ; fortiſque meæ non indecor : & jam
Occurrit ſatis eſſe mihi,ſi more clientum
Non ullo gravis ære tuo me limine ſiſtam ;
Et tantum teneræ delibam baſia dextræ.
Dic verum, num ingrata jacent , num vilia ſor-
Quæ tibi ſtrigoſi tenuis dat trama peculi ? (dent
Non credo : eſt noſtris etiam ſua gratia donis,
Et proprium quoque pondus habent, quo freta ru-
borem
Deponant, ſperentque ſinus implere faventes.
Non ego plebeï condita liquoribus oris
Baſia promitto, non cuilibet obvia linguæ ;
Sed non invitæ forſan ſurrepta Minervæ ;
Sed non invitis forſan Charitumque Dianæque,
Atque Novenſilium labris decerpta Sororum.
Quæ magis ut conſtet quam ſint pretioſa , parum-
Si vacat, Aonios mecum ſpatiare per hortos ; (per
Et quo ſint cenſenda loco mea baſia, diſces
Ex ipſo, cujus ſunt hæc oracula, Phœbo.
Fama eſt intonſo dilecti baſia Branchi
Tam placuiſſe Deo, caput ut puerile corona
Ornarit, virgâque manum decoraverit aurea :
Nec ſatis eſſe ratus decoraſſe inſignibus artis,
Quæ populo reſponſa daret præſaga futuri ,
Creditur & puero ſacras ſtatuiſſe columnas ;
Creditur & puero certamina ſacra dicaſſe,
In quibus, ex omni cirrata gente vocaret
Victorem præco, qui ſublabrare valeret
Doctius ; & tenerá melius dare baſia lingua.
O lepidum ingenium ſacri certaminis , & quod
Spectaſſem potius, quam vel quos Elis agens
Alphei exhibuit vitreas propè fluminis undas ;
Vel quæ Romanus dederat ſpectacula Prætor ;

Et

Et niſi decipior, quod tu laſcive Poeta,
Cui non mille ſatis, non altera mille fuerunt
Baſia, non toties rurſus ſuperaddita mille,
Non modo ſpectaſſes oculo ſaliente, relictis
Et circo & ſcena; ſed ſi licuiſſet inire
Certamen, toto fieri te corpore linguam
Optaſſes, olim ut Naſum tuus ille Fabullus.
Nec tantum Phœbo placuerunt baſia, ſi quid
Credimus antiquis, totum cæleſtis Olympi
Conſilium tali veneramine delinitum
Ilico miteſcit. Nam cum Gentilia paſſim
Dogmata ſuſpenſos ſacro terrore tenerent
Mortales, ſi quis superûm fortaſſe catervæ
Extorquere aliquid voluit; non maſcula thura
Accendit, non farre pio ſalienteque mica,
Aut extis fecit potius, quam baſia fixit
Poſtibus; & calidæ redimitis cornibus aræ.
Adde quod hoc etiam ſæclo pars maxima mundi
Sic Divos veneratur; amant namque ire per omnes
Sanctorum exuvias, & hianti gutturis hauſtu
Lambere proſtantem cineres quæ continet urnam,
Qui cœtus Tiberine tuos, & ſacra frequentant
Romulidum, varias terræ jam ſparſa per oras.
Iam vero humano generi tam grata feruntur
Baſia, deliciis iſtis ut caſſa ſubinde
Langueat, & cœtus imitetur vita ferarum.
Verte oculos quocunq; lubet, ſeu te iſta morantur
Tempora, ſeu ſæcli repetes exempla prioris,
Invenies celebrem celebrati muneris uſum.
Ille Parens Sophiæ, cujus naſcentis in ore
Hyblæas perhibent ſedem poſuiſſe volucres,
Dum cœtum inſtrueret civilem legibus æquis,
Cavit, ut adverſos qui ſe geſſiſſet in hoſtes
Fortiter, invictoque tuliſſet pectore Martem,
Nil aliud tantæ pretium virtutis haberet,
Quam bene dilectæ pauciſſima baſia formæ.
Romanos inter veteres, gentemque togatam,
Non fora, non circus, non limina priva potentum;
Non quæ prætextos capiebat Curia Patres,

Temperat illecebras doctæ dare baſia linguæ:
Turba ſalutantum tumidi quæ limina Regis
Obſervare togâ pluviam ſtillante ſolebat.
Non alium magno cultum præſtabat amico:
Cretata ambitio faſces, ſellamque curulem
Dum peteret, per vana levis ſuffragia vulgi,
Non aliter tanti redimebat culmen honoris,
Quam totas prenſando tribus, quam baſia dando:
Quin etiam quocunque loco, quocunque receſſu,
Sive palam in triviis, ſeu clam ſub tegmine tigni,
Moris erat notos ſic exceptare ſodales:
Vſque adeo, ut quondam per tam promiſcua paſſim
Baſia, ſe totam turpis mentagra per urbem
Sparſerit, & vili fœdarit furfure vultus.
Induperatores ipſi (ſi credere fas eſt)
Reddere ſic ſoliti ſic acceptare ſalutem:
Teſtis erit magno diductum nomen Iulo,
Iulius, ingratam qui tinxit ſanguine Romam:
Cæſus ab his, queis colla, manus, queis crura, pe-
Obtulit, expectans ſoliti veneramina basî. (deſque
Par etiam (ſi parva licet componere magnis)
Par etiam caſus te nobis abſtulit, alma
Alma Dei ſoboles, magnum Patris incrementum,
Qui falſo obtentu amplexum ſimulantis Iudæ
Traditus hoſtili turbæ, crudelibus umbris
Occumbis, claviſque cruci ſuffixus adhæres.
Infidum & crudele genus, manſueta ſed atrox
Bellua, quæ falſo cultu ſic prodis amicos,
Diſperеam niſi te juſtis mea pagina diris
Hic peteret, patrioque volens demitteret Orco;
Baſia ſi juſto ſinerent ſervire dolori.
Verum apage hinc quo tu meruiſti, accedite rurſus
Baſia, plena mei veſtro ſint nectare verſus.
Vos ſapitis cuneos redolet quod fuſa per omnes
Corycii preſſura croci, quod veris honore
Dives humus, molli quod ſparſa opobalſama collo,
Divitibuſque comis lapſæ inter vina coronæ.
Sed mihi neſcio quis ſecretam gannit in aurem,
Et Beguinarum moroſo more ſuſurrat,
Baſia

Baſia turpe nefas, labris non digna pudicis,
Incauto damnoſa homini, male grata Tonanti,
Ducere lethalis ſecum contagia culpæ;
Atque animæ æternam peccati adſpergere labem.
Vana ſuperſtitio, pietas præpoſtera, quæ ſic
Deludis trepidas falſa formidine mentes,
Quære alium cui tu fugitivæ gaudia vitæ
Legitima eripias; cæcoque horrore fatiges:
Non ego victuris ſtudeo committere chartis
Baſia de luſtris & olentis fæce ſuburræ
Lecta, columbantis poppiſmata lubrica linguæ;
Tota ſui quinto quæ tinxit nectaris hauſtu
Diva potens Cypri: ſed quæ ſine crimine nato
Det genitor, mater natæ, nova nupta marito:
Qualia Chriſtiadum primævi ab origine cœtus
Dividere inter ſe ſoliti, cum cinctus ad aras
Staret, & offerret cælo pia vota Sacerdos:
Qualia, mortales olim qui morte redemit,
Infantem amplexus balbo ſuperaddidit ori:
Qualia conſtringunt certo ſponſalia vinclo,
Et prohibent ſpe conjugii data munera reddi,
Qualia dat prolytæ doctor, dum præmia confert
Detriti maſuri, & vigilatæ in Codice noctis:
His ego ſi coner juſtas addicere laudes,
Eſſe queat fraudi, ſunt omnia criminis umbra
Tam procul, ac ſacris fidei vicina ſigillis.
 Scilicet ut primâ ſpectabis baſia fronte,
Res nihili naucique putes, & nomina vana;
Sed ſimul in tacitas vires deſcenderis acri
Iudicio, effectuſque quibus ſunt fœta notaris,
Egregium invenies vili ſub cortice fructum:
Vt roſeum Phœbi fuſca ſub nube nitorem.
Nonne hoc amplexu linguarum alterna meantum
Ora per & fauces, nodo conſtricta tenaci
Fœdera pangit amor; legemque hanc dicit amori,
Vt quoties geminas libuit committere linguas,
Oſcula transfundant animas per aperta ſequaces,
Et pariter curent ut amati in corpore totus
Vivat amans, atque hic verſa vice vivat in illo?

Deſine mirari, quiſquis legis horrida tabo
Corpora, & infames lepræ livoribus artus
Indeptos priſcum per baſia ſola vigorem :
Nec magis obſtupeas, quiſquis monumenta revol-
Hebraidum, legis æthereas ad luminis oras (vens
Sedibus a Stygiis revocatam corporis umbram,
Admotis tantum labris ad mortua labra.
Myſtica vis teretis comitatur verbera linguæ ;
Non minus infundens animas, quam inſpirat amo-
Æternæque jugum fidei, & pia fœdera pacis. (res,
O fælix, nimium fælix, cui fata dederunt,
Pallenti livore procul rivalis avari,
Securos agitare dies, ac ore ab amato
Fercula prædari (dictum ſit pace Deorum)
Non minus æternæ convivis prodiga vitæ ;
Quam quæ cæleſtes onerant convivia menſas.
Sed quorſum tam multa (Equitum flos auree)
quorſum
Tam plebeja tibi, qui tantum grandia curas ?
Sit modus: adveniet tempus, modo cœpta ſecundet
Æquus amor, cum tu Dominæ de fronte legendo
Lilia, vellendo è labris violaſque roſaſque,
Experiere meæ quam ſint veracia Muſæ
Dogmata, cum dices, (niſi me mens credula fallit)
Diſpeream meus ille olim niſi vera canebat
Aytonus ; juſtas habeant ſua baſia laudes.
Interea dextræ iſta tuæ ceu ſupplicis arrham
Obſequii Aytonum primis fixiſſe Calendis
Sit ſatis, & totum vitæ cum ſanguine fundum
Addixiſſe tibi parvæ ſub imagine glebæ.
Et quandoque tibi croceo velatus amictu
Arridebit Hymen, cum pronuba Iuno favebit,
Non ſine honore tuas patiar ſordeſcere tædas ;
Sed liber, laxiſque ruens in carmen habenis,
Arceſſam ſummo Phœbum de vertice Pindi ;
Inque tuas laudes, & charæ encomia nuptæ,
Expromam totas Permeſſi prodigus undas.

LESSVS *in funere Raphaelis Thorei Medici & Poetæ præſtantiſsimi, Londini peſte extincti.*

TEne Thori obſcuris clarum caput abdidit umbris
Peſtiferi vis ſæva mali? non abſque querelæ
Et tanto invidiæ cumulo ſævire profanam
In plebem, & ſolo magnos abdomine Patres
Cæca lues poterat? Cur tu pars maxima cladis?
Cur de te tantum licuit? te maxime vatum
Te medici Coriphæe gregis? Certe illa nocentem
Plus fecit ſe morte tuâ quam mille potentum
Funeribus, quam ſi totam graſſante veneni
Profluvio ignavis vacuaſſet civibus urbem.
Amuſæ levis eſt turbæ jactura, reſurgit
Abſque labore filix, loliumque renaſcitur agris
Semine non jacto: ſed ſi Narciſſus ab imâ
Evulſus radice fuit, ſi frigore aduſta
Vel roſa, vel violæ, vel mollis amaracus, ægre
Nec niſi poſt multum veniunt exculta laborem.
Quæ nobis nunc gleba dabit, quæ cura ſecun-(dum
Subſtituet Thorium? potis eſt natura beare
Ingenio, Genium ingenio ſuperaddere curtas
Naturæ tranſcendit opes, Heroica virtus
Raro habet hæredem, doctos dat quælibet ætas,
Non quævis Thorios, concurrant ſydera oportet
Omnia, conjunctis pariant ut viribus unum
Vel Medicum inſignem, vel plenum Numine va-(tem.
At Thorius fuerat tam fœlix, unus utrâque
Vt pariter foret arte potens, promittere vitam
Pæonia, Aonia poterat promittere famam.
Rarus honos pauciſque datus producere vitæ
Fila vel invitis (ſi fas eſt dicere) Parcis:
Et mage rarus honos, Parcam exarmare ſecantem
Cum medicina nequit, pereuntis ſtamina vitæ
Supplere æterno famæ ſubtemine, & iſtam
Quæ pars eſt melior, vivendi & cauſa, perennem
Transferre in telam, quam nec livoris iniqui
Stigmata, nec poſſunt ſenii corrodere dentes.

Hoc aliis, hoc ipſe ſibi præſtare valebat
Verſipotens Thorius: quod erat mortale ſub um-
Ante diem ſi permiſit deſcendere, fati (bras
Crimen erat, non artis iners vel culpa, vel error
Artificis, quem Naturæ non ulla latebant
Arcana; herbarum cunctas cum nomine vires
Noverat, omnigenum rixas & fœdera rerum,
Quicquid & ad Medicos Chymicus calor exco-
quit uſus:
Quin etiam ætheriis quicquid deſcripta maniplis
Lumina mortales influxu operantur in artus.
Vos animæ, vos ô animæ, quas ille minaci
Eripuit monſtro cum graſſaretur Erynnis,
Spargeret & totam virus ferale per urbem,
Vos teſtor, meminiſtis enim & memorare poteſtis,
Quam bene de vobis meruit, quam fortiter ægris
Adfuit, & quoties Libitinam eluſit hiantem.
Non Cous plus ipſe ſenex devinxit Athenas
Afflictas contage gravi, & lethalibus auris,
Vnde gravem tulit ex auro radiante coronam,
Quam Thorius Luddi dictos de nomine cives:
Et cunctatur adhuc tanto defuncta periclo
Reddere protractæ ſtatuam pro munere vitæ
Plumbea gens? certè talem ſi priſca tuliſſent
Sæcla virum, non effigies, ſatis una fuiſſet,
Non umbris ſatis ullus honos, mortalibus addi
Conſuetus, certe Thorius ſuperaddita buſtis
Templa & fumantes habuiſſet odoribus aras.
Sed ſæcli vitio nec ſint ſua præmia vivis
Nec morte ereptis, jaceat ſine vindice virtus:
Non ingrata tamen penitus noſtra audiet ætas
Chare Thori, non hæc omnes infamia tanget:
Nos tibi, queis tecum communia ſacra fuerunt,
Symmyſtæ Aonii, tibi nos æterna laborum
Præmia, manſuras & conſecrabimus aras,
Non ſtructas mortali opera, ſed Numinis arte,
Quo plenum tibi pectus erat, dum ingente cothur-
Aut Magnum infami trajectum pectora ferro, (no
Ereptum aut nobis crudeli funere Daphnin,
Aut

Aut caneres læti ludens miracula fumi.
Ipſe ego de tanto minimus grege carmen ad
Appendam, leget appenſum ſic forte viator : (aras
Nil opus eſt hoſpes bijuges exquirere clivos,
Vt Phœbi afflatum captes per ſomnia ; Divus
Hic colitur Thorius, totum qui pectore toto
Et Phœbum & Phœbi natum congeſſerat, iſtas
Tantum aras ornare velis violiſque roſiſque,
Et Maneis placare pios : his functus abibis
Et medicus fælix, & anhelus Apolline vates.

Carina Caro.

HÆc Caro Carina ſuo mandata ſalutem
Mittere quam poſſit, non habet ipſa ſibi :
Nec ſcribit mandata, acri cuſtodia cura
Excubat, & calamo verba notata vetat.
Quæ cuſtos prohibere nequit, ſuſpiria, planctus,
Et lachrymæ, his curas exonerare juvat. (ædes
Quis ſcit an hæc Tameſis querulæ qua ſuſpicit
Audiet,& pronis dum petit æquor aquis,
Deferat ad turrim? Tu quanvis carcere clauſus
Aure reor patulâ murmura nota bibes.
Sed vereor ne non agnoſcas ; ſcilicet ad te
A nobis iſthæc prima querela venit.
Hactenus exortes curarum viximus una,
Vitaque lætitiæ nil niſi ſcena fuit,
Nunc qualis tragicum ſolet infamare theatrum,
Gaudia præcipiti turbine verſa ruunt.
Fortunæ tam fluxa fides ; tu raptus ab aulæ
Luce, tenebroſi carceris antra ſubis,
Ipſa ferens utero, cuſtodi tradita, culpæ
Conſcia, conſiliis ſola relicta meis
Mille modis pereo. Iam jam Lucina minatur,
Tormina mox judex aſperiora parat.
Functa puerperii fuero ſi forte periclo,
Carnificis vix eſt effugienda manus.
Fac etiam effugiam,poterone avertere labem,
Quæ famæ & genti vivet inuſta meæ?
O poſſem vel morte ; mihi quodcunque minatur

Exitio Nemeſis non ſatianda meo;
Deſpicerem penitus, lucrique in parte locarem,
Mors tua morte meâ ſi redimenda foret:
Nec ſola Alceſtis fuerit cantata poetis,
Quod potuit chari fata ſubire viri;
Sed mala quæ miſeros nunquam præſagia fallunt,
Neſcio quæ de te dira timere jubent.
Vidi ego cum multa ſtipata ſatellite cymba
Ad turrim ſpoliis iret onuſta meis.
Et nimis, heu! memini cymbam,quæ forte tegebat
Stragula, ſanguineo tincta colore fuit.
Pulla ſequebatur comitum per inane volantum
Turba, cadaveribus qualis adeſſe ſolet.
Dum crocitat, dum rauciſono ſecat aëra planctu,
Remigibus viſum eſt triſte celeuſma dari.
Adde quod in ſomnis hæc omnia firmat imago,
Quæ capite orbatum te mihi ſæpe refert.
Vana precor fuerint,& Thuſca ſcientia fallax,
Nec ſit in ominibus auguriiſve fides:
Tu nihilo ſecius noſtris divelleris ulnis,
Cogeris & letho deteriora pati.
Scilicet eſt gravius letho, Pæana canente
Invidia, inſtabiles ſortis obire vices.
Vtque ſemel dicam, famoſis ſontibus addi
Crimina, quos juſto carcere nota tenent,
Dedecus eſt omni letho crudelius, & quod
Vix unquam è faſtis deleat ulla dies.
Tene per auguſtam ſolitum dominarier aulam,
Dividere & famulis atria tota tuis,
Nunc crypta ſqualente premi! nec ſole nec aura
Nunc niſi per rimas ſemimicante frui!
Ah durus quicunque premit te finibus arctis,
Qui neget hoſpitio libera tecta tuo.
Sæviat immitis rapido moderamine cuſtos
In quos eſt pietas quam minime eſſe pium.
Tu neque regalem voluiſti exſcindere ſtirpem,
Nec dare ſulphureo ſceptra cremanda rogo.
Objicitur fidei violatæ crimen amico,
Et cæde inſontis fax hymeneja calens.

Neſcio quam verax fuerit qui detulit index,
Neſcio qua peraget te ratione reum.
Hoc ſcio quod peperi ſcelus obſtricante Locuſta,
Illa dedit faciles ad mea vota vias.
Iuſſit ut argento condirem cruſtula vivo,
Arſenicum docuit diſſimulare ſale.
Omnia perfeci miſeræ dictata magiſtræ,
Ivit & inviſum Ditis ad antra caput.
Quid facerem, noſtro remoras nectebat amori
Auſus & immeritam lædere mille modis.
Si dedit ultrices atrox injuria pœnas,
Non mea ſed juſti culpa doloris erit.
Toxica ſi data ſunt, excuſet fæmina factum,
Toxica pro telis ſexus inermis habet.
Denique quicquid erat, magni fuit error amoris,
Et facile abſolvit crimine quiſquis amat.
Dant veniam cæco populorum jura furori,
Heu nimis eſt ſpecies nota furoris amor.
Sed nihil excuſo, crimen non deprecor, immo
Nec pœnam, fas ſit morte piare ſcelus.
Fas mihi ſit quæcunque parat tibi vulnera livor,
(Qui ſequitur claros corpus ut umbra viros)
Invidia removere mea, te ſoſpite poſſem
Nec cultum ut decuit propitiare Iovem.
Sic mihi ſive dabit finem Lucina malorum,
Seu mage quod timeo, judicis urna, fero.
Læta tamen furvas deſcendam victima ad umbras,
Et Caro emoriar fida Carina viro.

De proditione pulverea, quæ incidit in diem Martis.

HEu Marti ſacrata dies, quam pene fuiſti
Sacra Iovi inferno & cæcis devota tenebris!
Sanguineo torrente ſuis te inſcribere faſtis
Cerberus & Stygiæ properabat cura catervæ,
Sed Superi vetuere nefas. Tu primus Apollo
Infandas ſcelerum fraudes, depoſta latebris
Sulphura, & ardenti glomeranda incendia ligno
Senſiſti, & roſeos potius tenebreſcere vultus
Paſſus es inſoliti marcentes tabe laboris,

Quam

Quam ſi magna ſuo viduata Britannia Phœbo
In tenebras totum traxiſſet funditus orbem.
Nec tibi cura minor nocturna Diana Dianæ
Saxonidis fuerat, te cæca ſilentia noctis,
Quæ ſceleri indictam præceſſit proxima lucem,
Deſtituiſſe ferunt flamma ductrice, & opaci
Penſa miniſterii facibus mandaſſe cruentis,
Quæ totum per inane vagæ flammante ruboris
Prodigio eriperent Arctoam protenus Annam
Cæde, cruore, rogis. Sed quo portenta Deorum
Conſiliis inſcripta polo, ſi cæca futuri
Mens hominum neſcit ſuperos audire vocantes,
Si viſis tam parca fides? Scelerata nocentum
Perfidia admiſſas fraudi laxabat habenas,
Et cœptum peragebat opus, cum Martis ab alto
Cura vigil propius, terras deſpexit inerteis,
Henricique memor, cujus victricibus armis
Deberi Imperium mundi fatale ſciebat,
Non tulit ulterius, ſed dedignatus amores
Deliciaſque ſuas in aperta pericula ferri,
Luce ſibi ſacra roſeis ubi vecta quadrigis
Venit agens Aurora diem, molimina cuncta
Criminis infandi dedit innoteſcere mundo.
I nunc & ſuperos infami fraude laceſſe
Cerbere, & his meritis inde ſperare ſalutem.

Gratiarum actio, cum in privatum Cubiculum admitteretur.

POſt malè civili ſervatum more pudorem,
Legitimoſque dies & tempora lapſa loquendi
Sera quidem penito ſed prompta è pectoris antro
Gratia Regalem geſtit penſare favorem.
Mirum equidem infami quiſquam ſua labra reatu
Damnet, & æterno traducat crimine nomen
Heu nimis ingrati. Decimum jam Phœbus ab undis
Advexit temone diem, totieſque ſub undas
Demerſit roſeo flexos temone jugaleis,
Ex quo voce tua Rex auguſtiſſime Regum
Copia facta mihi primum calcare cubile,
Obtutus

Obtutus captare ſacros,bibere aure loquelas,
Doctaque flexanimæ guſtare oracula linguæ,
Et tamen haud ullo grati ſe pectoris ardor
Prodidit indicio, non officioſa rependit
Pro tantis vel verba bonis : tantum abfuit eheu,
Vt quo par fuerat geſtu, quo more decebat
Adrepens genibus ſacris veſtigia vultu
Verreret & tactæ libaret baſia dextræ.
Siccine ſemper erit? ſic me ſic ſemper habebit
Torpor, & exſenſi tabes ignava veterni?
Sic ſemper teneræ pudibunda modeſtia frontis
Legibus officii linguam parere vetabit?
Abſit, ab expertis damnum torporis Amyclis
Non colere obnixè nocturna ſilentia diſcat
Muta Charis, pietas linguæ jam vincula ſolvat,
Ne ſi fortè ſacro grates quas debet honori
Subtrahat, exurgat culpæ Lex Iulia vindex,
Principis & læſa de majeſtate queratur.
Ergo tibi quod me famulum tam prona voluntas
Aſcivit, muſaſque meas erroribus actas
Innumeris tandem optato requieſcere portu
Iuſſerit Auguſtæ blanda indulgentia curæ,
En tibi quas animo grateis, quæ vota repono.
Di te majorem faciant ter maxime Princeps,
Nam melior non eſſe potes, reſpondeat aura
Fortunæ meritiſque tuis votiſque tuorum,
Vt tu reſpondes precibus,votiſque tuorum,
Iuſtitiæ paciſque pater, tibi ſerviat orbis
Non aliter quàm tu Superis : niſi ſerus Olympum
Non adeas, & cum repetent te ſæcula cæli
Templa fatiſcentem ſub pondere honoris & ævi;
Tunc fama factiſque tuis ſuper æthera vectus
Innumera innumero tranſmittas ſceptra nepoti.

Aulæ valedicit.

AVla vale, quid me ludis fallacibus umbris,
Quid mentem amenti credulitate necas?
Iam bis frigoribus gelidis aſtricta quievit
Terra per hibernas deſidioſa moras:

Bis Zephyro tepefacta novo pia viſcera partu
  Solvit, & in vernas luxuriavit opes:
Ex quo grande moræ pretium ſperare jubebas,
  Fataque non meritis inferiora meis.
At nunc nil miſero reſtat niſi turba dolorum,
  Poſt infælicis tædia longa moræ.
Fugerunt anni celeres, occaſio velox
  Terga dedit verſis non revocanda comis.
Quodque magis doleo, triſtes fugere Camœnæ,
  Et deſolatis rebus adeſſe negant.
Quas ego ſum toties faciles expertus & æquas,
  Nunc mihi difficiles ſors minus æqua facit.
Vſque adeo ut cum jam redeant ſolennia Iani,
  Tempus & aſſueto munera more petat:
Vix poſt diſcerptos centenis morſibus ungues
  Vnus ab exhauſto pectore verſus eat.
Adde, quod & juſtæ geminat momenta querelæ,
  Teque facit certi criminis aula ream.
Qui fueram plauſu veniens exceptus amico,
  Sibila nunc in me naris adunca jacit.
Scilicet ut nunc ſunt mores, ſordeſcere virtus
  Incipit, & vili vilior eſſe luto,
Ni comes aſſiſtens vultu fortuna faventi,
  Sublimem in celſa conditione locet.
Scilicet ut nunc ſunt mores, famuletur oportet
  Et ſimulet virtus diſſimuletque ſimul,
Aut lacera in triviis diſcurrat, & obſita pannis
  Emendicatos ingerat ore cibos.
Si qua eſt conditio melior virtutis, opimas
  Magnatum ad menſas macra analecta legit.
Me tamen haud unquam recto de tramite flectet
  Aut lucri, aut nimii cæcus honoris amor.
Sed licet obſcurus mediaque inhonorus in aula,
  Virtutem ut colui, quà licet uſque colam.
Et quandoque mihi proprio componere vitam
  Arbitrio forſan fata benigna dabunt;
Privatus vivam potius non cognitus aulæ,
  Surget ubi obſcuro pergula parva loco.
Et Phœbo Phœbique vacans ardoribus, omni
Trans-

Tranſmittam vacuos ambitione dies:
Quam ſcelerum auſpicio miſtus primoribus aulæ
Inque auro inque oſtro conſpiciendus eam.
Interea tu teſtis eris, tu cujus in ore
Suada,manu Mavors, corde Minerva ſedet,
Me quoſcunque dies fluxi & quantumlibet ævi
Subduxit ſtudiis hactenus aula meis,
Ægro ferre animo, non quod lactarit inanem
Spe ſterili ingratæ meſſis acerba moræ:
Sed quia non licuit de te bene poſſe mereri,
In me qui tanti plenus amoris eras.
Sed quia non licuit per iniquæ incommoda ſortis
Grati animi firmam conciliare fidem:
Erga illum qui flos equitum, ſol aureus aulæ
Regis amor, Patriæ delitiumque ſuæ,
Tam placido ſemper me aſpexit lumine,& unus
Muſarum in vernas officioſus erat.

Comparatio Conditionis ſuæ cum vere.

CVncta virent vireſque novas à vere reſumunt,
Deciduis languet ſpes mea ſola comis.
Ne tamen omnino diſcors à vere recedam;
Cura mea æterno germine fœta viret.
En unquam tranſcribit hyems ſua tempora veri,
En unquam brumæ ver ſua regna dabit.
Spes mea, jam tepidi redeunt cum tempora veris,
Aut exſpectata fertilitate viret :
Aut dolor æternum fundens per membra rigorem
Ocyus hoc ævi ver breve claude mei.

Pro Nuptiis Cari & Carinæ.

LEgitimas quicunque audes traducere tædas,
Diſce verecundo parcius ore loqui.
Vllane jura vetant nuptam bis quatuor annos,
Quæ gelido jacuit ſicca ſilenſque toro,
Deſerere imbelles thalamos, mollemque maritum,
Et dare ſemiviri regna tenenda viro?
Crede mihi,jus eſt Naturæ abdicere fundum
Agricolæ,qui nil quo fodiatur habet.

In Ru-

In Rumorem de cæde Regis Iacobi.

VNde paveſcentem crebreſcit fama per urbem
  Regale inſidiis ſuccubuiſſe caput ?
Hancne fecit livor, qui ſomnia fingit ut optat,
  Præcipiens animo gaudia falſa ſuo?
An potius populi pius & laudabilis error,
  Qui, ſi abſit quod amat, jam periiſſe putat?
Si livor, princeps iſthinc tibi diſce cavere,
  Si favor, hinc populo diſce cavere tuo.

De rebus Bohemicis.

DVm gener infauſtis tentat temerarius auſis
  Eripere Auſtriaco colla Bohema jugo;
Conſilium damnas Iacobe Britannice, & Orbis
  Ne te conſilii participem eſſe putet;
Permittis generum fatis, cauſæque labanti
  Suppetias ſolâ vel prece ferre negas.
Quin etiam laribus pulſos natamque nepoteſque,
  Aſpicis immotis & ſine rore genis.
Iuſtitiæ ô mirum ſpecimen! de te tamen orbis
  Quid muſſet, liceat dicere pace tua.
Hac ratione potes juſtus Rex fortè videri,
  Sed non crudelis non potes eſſe pater.

Ad Iacobum *ægrotantem cum Cometa apparuit ante mortem Reginæ.*

VIdit ut in cælo metuendum Regibus aſtrum
  Anna, repentino corruit ægra metu.
Non tamen ægra ſui formidine corruit, omnis
  Pro charo fuerat cura metuſque viro.
Tene inquit vir chare ſuo petit igne Cometes,
  Nec fax placari vilius iſta poteſt?
An nihil offenſi ſatiabit Numinis iram,
  Publica ni pereat te pereunte ſalus?
Dî melius, liceat potius tua fata ſubire,
  Proque viro conjunx victima læta litet.
Alceſtis potuit morituri fata mariti
  Morte ſua ad longos continuare dies.

Hanc

Hanc laudem non ſola feret. Vix dixerat, ecce
Lurida tabificus corripit oſſa dolor,
Et moritur. Quid nunc metuas Rex maxime, plenū
Nonne piamentum ſideris Anna fuit?

Expoſtulatio cum Iacobo Rege.

ERgo etiam immeritos ditant ubi præmia larga
Sparſa manu, ſolus præmia nulla feram?
Ergo etiam incautis veniunt ubi munera ſortis
Lapſa ſinu; vacuus munere ſolus ero?
Heu quâ labe reo, quo ſonti crimine ſors eſt
Blanda parens aliis, dura noverca mihi!
Certe ego nil feci quod nunc atrocius audit,
Aut Majeſtatis crimen olere ſolet.
Non damam aut cervum nocturnâ fraude peremi,
Sed colui ſacrum ceu tibi Phœbe pecus.
Non hauſi infames fumos quos India mittit,
Guttureque attractos reddere nare docet.
Non mihi de Catharo melior ſententia, quam de
Papicola, ob maculas ſordet uterque ſuas.
Sed ſi Pierias coluiſſe impenſius artes,
Crimen apud ſciolos degenereſque fuit:
Si perſonato neſcire obducere fuco
Verba, ſed ingenuo quidlibet ore loqui:
Si nolle obſequio ſervili fingere frontem,
Sed ſimulare nihil, diſſimulare nihil:
Hæc ſi crimen habent, fateor pejora merenti
Sors mihi blanda parens, nulla noverca fuit.

De duplici Buckingamii Præfectura.

BVckingamus Io maris eſt præfectus, & idem
Qui dominatur equis, jam dominatur aquis.
Sic inter Superos tumidas qui temperat undas
Neptunus, celeres & moderatur equos.
Et cuiquam nunc diſpliceat geminata poteſtas,
Exemplum Superis cum placuiſſe videt.

AD REGEM IACOBVM.

CArmina quæ ſcripſi, laudaſti maxime Princeps;
Et fuerant genio non malè grata tuo.
Sed laus eripuit mercedem maxime Princeps,
Heu mihi ſunt genio quàm malè grata meo!

Epitaphium Ioannis Moravi.

HVc quicunque venis, diſce hoc ex marmore, quam ſit
Invida virtuti ſors & iniqua bonis.
Moravius nulli Muſis aut Marte ſecundus,
Poſt varios caſus hâc requieſcit humo.
Primum aulæ malefida fides, mox carceris horror,
Tandem hydrops miſero fata ſuprema tulit.
Hydrops crudelis, carcer crudelior, aula
Sæva hydrope magis, carcere ſæva magis;
Vnica mors clemens, quæ hydropis, carceris, aulæ,
Tot ſimul & tantas finiit una cruces.

Epitaphium Roberti Iunii.

IVnius hic ſitus eſt. nullo plus funere Muſæ,
Aut Charites madidis condoluere genis.
Iam docti periere ſales, jam Muſa, lepores
Hellados & Latii fundere ſueta, ſilet.
Nec quicquam aut Solymas luſtraſſe aut marmora Romæ,
Profuit, aut ſi quæ rudera Memphis habet.
Scilicet immenſum cum perluſtraveris orbem,
In patriam reditus non niſi morte patet.

Cujuſdam Galli in laudem Puellæ Aurelianæ.

RVſtica ſum, ſed plena Deo, ſed pectore forti,
Sed micat eximio regius ore decor.
Caſtra virûm ſed caſta ſequor, duce Virgine fatum
Vertitur, & cantant virginis arma viri.
Redditus hoc ſceptris teſtabere Galle paternis,
Tuque nec id pulſus ſæve Britanne neges.

Quod

Quod vici, pereo, flammas cur objicis Angle?
Et nos Herculea ſcandimus aſtra via.

Reſponſio Aytoni.

FOEmineos quid Galle juvat jactare triumphos?
Vix eſt fœminea digna Ioanna fide.
Hæccine plena Deo, magicis quæ freta ſuſurris
Viſa fuit ſtultis nomen habere Dei?
Quam perminxerunt calones atque bubulci,
Hæccine caſta virûm caſtra ſequuta fuit?
Hinc viri, quos fœminei præpoſtera virtus
Exempli, & ſolus traxit ad arma pudor?
Mutavit fatum Nemeſis, non fœmina vindex,
Nec niſi ſemiviri fœminea arma canunt.
Lauda ergo ad libitum flammas, non invidet Anglus
Herculeam Gallo qua petat aſtra viam.

Alia reſponſio ejuſdem.

SI quæ de Iana jactantur, falſa fuerunt;
Quis pudor eſt falſis velle parare fidem?
Si quæ de Iana jactantur, vera fuerunt;
Quis furor alterius laude nocere ſibi?
Semper in opprobrium Galli Lotharinga canetur,
Et gemino infamis crimine Gallus erit.
Ignavus, qui ſceptra colo debere fatetur:
Ingratus, non dans debita ſceptra colo.

Anagramma,

RICHARDVS WESTONVS,
VIR DVRVS AC HONESTVS.

DVrus es ac (nomen niſi decipit) es vir honeſtus,
Hic pretio flecti non volet, ille prece.
Duritiem emollit generoſi dulcis honeſti
Temperies, ulli nec finit eſſe gravem.
Durities ut ſpina roſam ſic armat honeſtum,
Vtque ſaburra ratem, ſic ſtabilire ſolet.
Poſcit honeſtatem fiſci tibi credita cura,
Duritiem regni cætera cura petit.
Aut his ſubſidiis, aut nullis dyſcola vinces
Tempora, durus eas ac vir honeſtus eas.

In Obitum Ducis BVCKINGAMII *à Filtono cultro exſtincti,* 1628.

DVm claſſe amiſſos reparatū is claſſe triumphos,
Magnaque ſtat flatu vela datura tuo;
Fit tibi pro lauro merces, Dux magne, cupreſſus,
Claſſis & officium cymba Charontis obit.
Scilicet humanam vultu mentita figuram
Invidia eximiis ſemper iniqua viris,
In te audet cultro infami, quod nulla tacere,
Et quod nulla velint ſæcla probare ſcelus.
Dumque Dei obtendit nutum, patriæque ſalutem,
Vindictæ mactat ſacra cruenta ſuæ.
Sed ſceleri ſemper Deus eſt ſua dira cupido,
Publicaque obtendit, dum ſua damna gemit.
Nam nihil eſt commune Deo cum ſanguine, nullum
Placari numen cædis odore velit.
Afflavit parricidam furialis Erynnis,
Armavitque trucem ſæva Megæra manum.
Quicquid eras, quicquid querula de plebe fuiſti
Promeritus, non ſic percutiendus eras.
Non tua cujuſquam rubuit vel dextera letho,
Linguave, apud Reges grata, potenſque duos.
Officiis multos obſtrinxti, injuria paucos
Attigit, aut ſi quos, abſque cruore fuit.
Si tua credulitas non ſuccubuiſſet ineptis
Conſiliis, Regni dum grave pondus obis,
Si tibi quanta fides, conſtantia tanta fuiſſet,
Si ſors fortunæ fida miniſtra tuæ;
Par animo & factis ſummis Heroibus iſſes,
Nec poſſet de te terra Britanna queri.
Nunc quia pauca domi non ſunt benè geſta, foriſq;
Paucula ſucceſſus non habuere ſuos:
Creditur eſſe dolus, fuerat quæ culpa: putatur
Eſſe ſcelus, lapſus qui juvenilis erat.
Rumpatur livor, dicam quod ſentio, certè
Imprudens potius quàm ſceleratus eras.

Ætonum

Ætonum ſi Ætona ambit,ſi Ætonus & illam,
   Quis malè disjungat quos benè jungit amor ?
Nominibus ſi fata latent , affinia amantum
   Nomina,quis nutum Numinis eſſe neget ?
Maxime Rex fatis accede, beabis amantes,
   Ætono Ætonæ ſi paranymphus eris.

Per Muſas te Ætona rogat, Rex optime,ut illas
   Splendori antiquo reſtituiſſe velis.
Per Muſas quoque te ſupplex Ætonus adorat,
   Vt Muſis illum reſtituiſſe velis.
Vtrumque efficies, unum ſi feceris,hoc eſt,
   Ætonum Ætonæ ſi ſociare velis.

IOANNIS BARCLAII
POEMATVM
LIBRI DVO.

Max. & illuſtriſſ. Principi
CAROLO,
Principi Britanniarum, &c.
Ioannes Barclajus felicitatem, victorias, triumphos, P.

NIſi omnia deberem Sereniſſimo Regi, Inclyto tuo Patri, ac per hoc tuæ Celſitudini (Maxime Princeps) ego jam nuncupandæ tibi potiſſimùm iſtius ſcriptionis, tutelæque deligendæ cauſas exponerem. Nunc cùm adeò veſter ſim, ut ſi quid in rem literariam contulero, id ipſum ſit muneris veſtri; ſupereſt ut hunc librum, ſcribendique argumentum, tibi potius aut excuſem, aut probem. Erunt enim durioris ſupercilii, qui haud decorum putent, poſt ſuſcepta graviora, me ad hunc carminum ludum deſcendere. Sed ſi omnia, & præſertim laborioſa, viciſſitudine melius durant, quis hoc nobis unis negaverit, ut ſeveris ſtudiis laſſi interdum in ſuavioribus Muſis acquieſcamus? Certè in Tragœdiis, inter fictas Regum curas, ſanguinemque, & facinora, interſeruntur cantus, & illic etiam fides atque plectra locum inveniunt. Sed neque hac excuſatione ſimpliciter utor. Malo credi etiam ſerio in his ludicris eſſe verſatus. Quippe utiliſſimam Muſarum majeſtatem in vulgus contemptumque deduxere plerique, qui levitate ingenii, & ignoratione tantæ artis, ad audaciam carminum provecti ſunt, inſaniamque duntaxat putavere ad Poëſim ſufficere poſſe. Tantam labem ars illa præcipua induſtriæ non eluet, niſi ab iis celebrata qui aliquid ultra ſcholas umbramque viderunt; ut plenior ſucci ſit, reſque ut geruntur, non ut plerumque ab inexpertis docentur, continens, eum colorem recuperet, quem priſcis temporibus habuit, cùm mores in rectum efformaret, & virtutum precium eſſet perennitate famæ quam donabat.

Igitur quanquam multùm ab eo acumine diverti, quod reſtituere natalibus ſuis poſsit hanc artem, tamen olim illius doctrinæ ſuavitate raptus in ſcholis, & multis deinde jam annis in Sereniſſimi tui Patris aulâ verſatus, operam meam proferre ſic volui; ut qui de verſibus rectè judicant (quod utique rarum eſt) animum meum probent, conatumque perficiant; qui verò ex primis coloribus cuique rei pretium conſtituunt, ſciant Poëſim non adeò vilem aut puerilem eſſe, ut eam erubeſcant; qui in regis, aut ſolidioribus ſtudiis agunt. Cæterùm ſi & externus eſſem, & arbitrium huic libro fuiſſet patroni adoptandi, quî te tamen præteriiſſet, Excelſiſſime Princeps? cujus inclyta adoleſcentia, vultu ac moribus ad omnem ſuavitatem exacta, habet neſcio quid commune cum Apolline, atque Muſis, quas quotidiano commercio dignaris, & ut arbitror inutiles non putas; quandoquidem illæ ſunt quæ Achillem & Heroas in æternitatem aſſeruere. Iam per Orbem omnium vox eſt, te a Maximo, & omnibus virtutibus cumulatiſſimo Rege, non in ſceptra tantùm ſua, ſed in indolem, ingenium, mores, editum eſſe. Quis ejus juventutem meminit, qui tuos annos ac ſpiritus tanquam iteratam illius adoleſcentiam non adoret? id eſt, quis jam in Celſitudine tuâ aut deſiderare aliquid poſſit, aut omnia à maturioribus tuis annis non expectet? Lenitas, ſimulque vigor ingenii, & in oculis temperata bonitate majeſtas, & quicquid in regio animo vel adulatores fingunt, vel probi exoptant, adeò tuæ indolis, tuique impetus ſunt, ut hoc unum poſſis optare, quantus es, tantum te eſſe credi. Ad eam rem nihil aptius Muſis, quæ tuas dotes non augebunt quidem apud poſteros, ſed integras & ſpirantes venientibus ſeculis oſtendent. Interim dum illæ tanti operis Poëtam moliuntur, ego agreſtes meos calamos ſumere auſus ſum, non nunc primùm in veſtrâ familiâ auditos, veſtrave manſuetudini acceptos. Novem anni ſunt, ex quo Avunculo tuo Sereniſſimo Daniæ Regi Poëmata aliquot tradidi; quas ſylvas appellavi. Sed ætas, & ocium, majorque in viro publicæ famæ cura, in iis complurima damnavit; adeò ut quæ inde huc tranſtuli (nam haud pauca omnino ſublata ſunt) variâ emendatione mutata, non tertiam carminum &

Poëma-

Poëmatum partem faciant, quæ iſtis libellis exhibeo. Iam etiam Opuſculum ita diviſi, ut liberioris ſpiritus poëmata priorem librum conſtituant: quæ tenerioribus verſibus ſcripta ſunt, aut magis ad Epigrammatis anguſtias ſpectant, in alterum collocentur. Si hos libellos condidiſſem propitiis Muſis, ſperarem tibi per illos commendari. Nunc rudia atque aſpera carmina mitigari apud te ob eam devotionem peto (Optime Princeps) quâ ardentiſſimâ, & illa & me cum illis tuæ Celſitudini totum conſecro. Certè ut cætera reſpuas, at quæ in ſacratiſſimi tui Patris honorem paſſim totis his libellis ſparſa ſunt, non poteris averſari; ac ne hæc quidem ipſa (Illuſtriſſime Princeps) quæ de Tua Celſitudine ſic cecini:

FAma per attonitas volitans circumſona gentes,
O meritos dignata viros, ſemperque parentum
Miratrix, ſed ſueta dies contemnere noſtros;
Huc tandem cuncta ora refer; majora videbis;
Dignaque quæ totas memores ſublata per auras.
Cernis Iacobo placidos gaudere Britannos?
Cernis ut egregii faciat ſpem Carolus ævi?
Non prius indulſit tantùm Natura beatis
Gentibus, atque uno ſpondens felicia curſu
Sæcula, perpetui longè dedit omina fati.
Major erat terris, major Tirynthius aſtris,
Impar gnatus erat. Quæ magnum Theſea proles,
Æmathiumve ducem, rapidumve equavit Achillem?
Alternis dant fata viros. Sed noſtra litavit
Inſula cœlicolis: felix erit illa per ævum
Regibus, & nunquam marceſcere ſceptra videbit
Degeneri maculata manu. Iam regna Britannûm
Iacobo dederant Parcæ, ſceptroque ſub uno
Albion omnis erat, tepidos quà vergit ad Auſtros,
Quaque Caledoniis Boream petit ardua ſylvis:
Cùm Genius, cui cura ſoli, generiſque Britanni,
Lætus adit Parcas, atque hæc in verba profatur:
Numina quæ regitis terras, nec caſibus eſſe
Ius finitis, quorum placitis aſſurgit in altum,
Et ponit gens quæque caput; quo mitia thure,

Queis

Queis merui votis quæ nunc mihi fata tuliſtis ?
En mea confuſo geminæ nunc limite gentis,
Vna erit,& priſcos jam neſciet Inſula motus.
Iam non bella palàm, tacitis non jurgia bellis.
Sed minus eſt mentes , divulſaque membra coire,
Quàm tantum ſubiiſſe caput. Quem ſecula priſca
Iam tum carminibus , vatumque examine notum,
Ah quondam petiere ſibi , quemque æmula nobis
Numina ſæpe ſuis Regem optavere colonis,
Hos mihi Iacobum blandæ ſervaſtis in annos.
Hunc quoque, ſi veſtrum cunctis placabile terris
Numen ad auratos revocaret ſecula mores ,
Hunc quoque Sol Regem naſcens , & ab æthere prono
Heſperias cùm tangit aquas, hunc cerneret unum,
Cui data jura virûm , & ſancti cuſtodia ferri.
Nam cui tantus honos ? quem ſic decuere potenti
Sceptra manu ? cui par magnæ ſolertia menti ?
Par ſummis par ille diis,ſi tempora vitæ
Æqua forēt;ſed & hunc avido tranſmittet Olympo
Veſtra colus,cùm feſſus erit tot ſecula noſſe,
Tot numerare dies,Phœnicaque ſæpe renaſci
Viderit, & plures Tithono exegerit annos;
Tunc petet ille polū,ſtirpemq; in ſceptra relinquet.
En creſcunt,vivantque precor,pulcherrima proles,
Gnata deas vincens, gemini duo ſydera nati.
Hos,precor,hos ſanctæ nobis ſervate Sorores.
Cur tamen ex illis Genitrix quem cara ſupremum
Edidit (ô deſint ponduſque omenque timori:)
Cur tener heu parvos ægreſcit Carolus artus?
Heu tener ! ille quidem vultu quem candida Nais
Optet,& occultis fallens Amor improbus alis ;
Sed dubius fati, vitæque in limine pendet.
  Hæc Genius; quem Parca tuens,jam mitior ore
Incipit,& fauſtâ deducens licia dextrâ,
Grata tua eſt,inquit,pietas, qui munere noſtro
Lætus ades ; nec te fruſtra veniſſe quereris:
Namque tibi arcanas magnarum pandere rerum
Ipſa vices, noſtrique volo penetralia fati :

Ille quidem cui ſceptra damus, ſed pectora virtus
Fortunâ majora ſuâ, qui mitia vobis
Præſtat Iacobus damnatis ocia bellis,
Intemerata feret longævæ tempora vitæ,
Felix, atque animo cunctos prægreſſus avorum.
Illam etiam haud animo Superis, vultuq; minorem,
Quam tantis hilaris junxit Saturnia tædis,
Candida fata manent. Cernet Regina nepotes,
Exemplumq; ingens, moreſque animoſq; docebit,
Virtutum monitrix, ſeſeque relinquet in illis.
At prolem diverſus honos, diverſaque fata
Expectant; tu ne cauſas ne quærere perſta.
Sic ſeries æterna manet, ſic diximus olim,
Cùm rudis eſſet adhuc tellus, Divumq; hominumq;
Cœpimus immotæ ſecura evolvere penſa.
Ergo pharetratæ mox Virgo æquanda Dianæ,
Progenies Regum, quæ nunc puerilibus annis
Luſtrat Eliza tuas (Tameſi lætiſſime) ripas,
Creſcet; & ô quanto mirantes vertice Nymphas
Ipſa reget major! Certamina ponite, Divæ,
Præmia quæ veſtrûm primæ ferat aurea formæ.
Hanc quoque ſi Phrygiâ volucer Cyllenius Idâ
Adderet Idaliæ Veneri, flavæque Minervæ,
Sceptrigeræque Deæ, Cythercam ſperneret audax
Paſtor, & innocuæ munus donaret Elizæ.
Nunc attolle caput, bifido nunc, Rhene, meatu
Plenus eas, undiſque ſeca majoribus agros.
Cedet Eliza tibi; tædas experta jugales
Te colet, & magnam partu dabit inclyta prolem.
Ille autem parvis quem ſurgere cernis ab annis
In vultus animoſque viri, cui prima juventæ
Limina maturis implet mens ardua curis;
Ille tuis cultus votis, ingenſque ſuorum
Nunc Henricus honos, heu mox te flore caduco
Deſtituet. Quid fruſtra oculos, & hiantia luctu
Ora tenes amens? Ne nos ne flectere tenta;
Nec poteris; duro leges adamante reciſas
Fiximus; has nulli Superûm violare poteſtas.
Non illum teneras lanugine cingere malas
Aſpicies,

Aſpicies, nec te alme thoris Hymenæe vocabit.
Nos tamen & magnis raptos penſabimus annos
Dotibus. haud illo quiſquam vel flectere frena,
Vel melior ſciſſo vibrare haſtilia cœlo.
Iam mens digna coli, longæque in pectore curæ;
Henricum jam cuncta trement, jam cuncta loquen-
Albion & tanto felix dicetur alumno, (tur,
Cùm ſubitò mea penſa cadent. Iam cerno gemẽtes,
Cerno procul Reges, & triſti funera pompâ.
Cùm te currus aget nigro feralis amictu
In tumulos, Princeps; tardeque hunc volvere juſſi
Quadrupedes axem, alii lachrymis veſtigia tingent.
Nempe alio celſus curru, nec in agmine pullo
Sperabas miſerande vehi; lætuſque triumphis,
Et plauſus audire palam, vultuſque relatos
Huc illuc cupidi partiri in lumina vulgi
Dignus eras, Princeps; ſi non arcana vetarent,
Quæ novere dii. Quos ſum factura dolores
Vix oculis vix ſicca loquor. Sic occidet ille,
Non quater exacto Piſæi tempore luſtri.
Qualia vere novo latis humentia campis
Germina, quæ primæ nimium ſub margine brumæ,
Feſtinos apices, & florea culmina tollunt;
Mox ubi pura dies ſub adulti robore Solis
Emicat, & longo cœlum ſuccenditur æſtu,
Feſſa cadunt, heu non tantæ patientia flammæ!
Sed lachrymis ô parce tuis; diductaque fletu
Pectora, jam fatis hilaris melioribus imple.
Læta canam; tu cùm noſtris mox tempora dictis
Attulerint matura fidem, ſolemnia ſæpe
Dona feres templis, & numina noſtra vocabis.
Laurus iõ dextrâ, lauri felicia frontem
Serta tegant, diveſque oleæ circum ambiat arbor,
Nil nimium gaudere potes. Non amplius aſtris
Eminet, & parvos delet Sol aureus ignes,
Quàm tua jam terras ingentibus Albion actis
Vincet, & erectis umbrabit celſa tophæis.
Tantus erit, taleſque feret tibi Carolus annos,
Cui tu nunc ignare times. Huic aurea nemus

 Stamina;

Stamina; cerne colos plenas; non enſe recidi,
Non poterunt flammis; ſolvet vix ulla ſenectus.
Aſpicis haud forti nitentem aſſurgere greſſu,
Pallentemque genas? Cauſas ediſce latentes.
Numina quæ Stygias regnant inviſa per umbras,
Et Rabies,pallenſque Nefas,& lividus Horror,
Et Diræ,& Mortis non unquam explebile pectus,
Veſanas junxere manus, atque invida Carlo
Tela parant,fruſtra;ſpemq; illam exſcindere terris.
Henricum,cui vita brevis, minus illa furentum
Agmina terribili certant fregiſſe duello.
Iſtum animis odiiſque petunt; ſed numine noſtro
Fata invicta manent. Vivet, referetque paterna
Ora puer. Sic nempe metum cunabula quondam
Invalidi fecere Patris, quem ſceptra tenentem
Nunc colis, atque omnes auxerunt viribus anni.
Nos paribus fatis eadem in veſtigia gnatum
Ducemus: ſurgent vires creſcentibus annis;
Et gravius nutabit apex, nodique lacertis
Accedent;frontique (hæc nunc vix tuta ſereno).
Robur, & implacidi veniet patientia cœli.
Præcipuè patrias addemus pectore curas.
Sic ingens,ſic fortis erit,vique inſcia flecti
Corda geret, facilis precibus manſueſcere victor.
Idem animus, ſtudiis idem modus; omnia credas
Eſſe pares: ætas faciet diſcrimina tantùm,
Purpuraque, inque Patrem proni reverentia Nati.
Haud ſecus Aſſyrii ſupremo in cardine mundi,
Quà ventique, auræque ſilent,nec nubibus atrum
Torquet hyems cœlum, ſævitque in murmure ful-(men;
Surgit ad exerti flagrantia lumina Solis
Æthereus Phœnix,fœcundaque funera poſcens
Se parit igne ſuo; jam qui pater æthera carpſit,
Gnatus adeſt,libratque novas non inſcius alas.
Sic quoque ſic cœlo quàm tunc præſtabit Eoo
Albion! haud illic geminum Phœnica videri
Fata ſinunt, unamque novant ſua buſta volucrem,
Iſta duos ſimul alma feret,longaque videbit
Luce frui,& nullo mercari funere vitam.

Tunc

Tunc oculos, tunc ora feret, non ſydere Princeps
Deteriora tuus, famamque implebit avitam.
Cedat atrox livor. Tantæ quis pignora mentis
Ah odiſſe queat? blando trahet omnia nutu
Mitis, & effusâ redimet ſibi pectora gazâ.
Ille etiam ingenti Cyrrhææ numina ripæ
Placabit cultu. quoties Parnaſſida laurum
Carpere jure queat, tortamque imponere fronti:
Et faceret: ſed tota teget tunc tempora major
Laurea, & hos ultrò ſic diſſimulabit honores.
Iam pedes enſe minax, flexis eques acer habenis
Stabit, & anguſtos vectorem coget in orbes.
Lenta nec erranti curvabit cornua telo.
Finge animo quodcunque voles. majora paramus
Quàm voto cepiſſe queas. Vix prima nitentes
Veſtiet umbra genas, toto cùm protinus Orbe
Iam Nymphis certamen erit; quæ digna decoro
Nubere, quam tanti maneat fortuna mariti.
Poſtquàm ſpontè deum, thalamis animoque recepta
Hæc fuerit, quam fata dabunt, tunc ille Nepotes
In gremio deponet Avi, regnique, ſuique
Pignora. Semper amor patriæ nova ferre merenti
Gaudia, ſemper amor dignos coluiſſe parentes.
Vivite concordes, & quam vix purpura novit,
O ſervate fidem. Sceptris ingentibus omen
Addimus: Haud timidæ noceant convicia linguæ,
Haud ſceleris perjura lues. Sint omnia veſtri
Plena metus, majorque metu reverentia ſurgat.
Hoc erit, hoc longo pridem juravimus ævo.
  Defierat ſic Parca loqui, Geniuſque referre
Quas decuit grates. Tunc ille revolvere ſortes
Amplectique datas. Tunc lætiùs extulit ora,
Et totum effuſis implevit floribus annum.

Ad potentiſſimum & Auguſtiſſimum Britanniarum Monarcham, IACOBVM PRIMVM, Kalendæ Ianuariæ.

TErrarum pelagique potens, ô digna faventum
Cura Deûm, ô ſecli Princeps melioris origo,

Mundi primus apex, & divis proxima cervix;
Pone precor radios: Phœboque aſſueta minori
Numina,da noſtras tibi poſſe accedere Muſas.
Non ignota canent; ſed quæ his tibi viſa tenebris,
Quæq; mihi,cùm jam ſupremum clauderet annum
Luna vigil; Tu,ne noctis ſecreta beatæ
Vulgari argueris.Iamjam mihi maxima fandi
Libertas; dum capta ferox diducit Apollo
Pectora, & edomitæ cogit non parcere linguæ.
Iam novus emenſos curſus, ſolitaſque parabat
Phœbus inire vias,mundo cùm munera Ianus
Diſſipat,& feſtas toto videt ore Kalendas.
Ecce autem inſomnem thalamis, pigroque cubili,
Verſabat me cura ferox, quæ, Maxime Regum,
Digna tuis poſſem donaria figere templis:
An nudam infelix, nudam ah portendere dextram,
Ah poſſem, & largi jam nil meminiſſe diei!
Cùm ſubitò me Phœbus init,diductaque pandit
Lumina.Fas vati vultus vidiſſe Deorum.
Tunc etiam nobis,tunc viſa Britannia magnos
Moliri veneranda gradus. Nec noſcere longùm.
Nempe Deam,cultuque ſuos teſtatur honores.
Stat fronti gentile bonum,vix pejor Eoo
Gemma mari,& poſitas diſtinguens laurea gēmas.
Gramineæ per terga comæ, virideſque lacerti,
Armatæque manus; dextram Neptunia cuſpis
Degravat,& preſsâ firmat veſtigia terrâ.
Palla humeris, dignúſque Deâ radiatur amictus.
Illic & veterum facies antiqua parentum,
Illic & varios ſignat ſua pompa triumphos;
Seu Celtas iniere domos, ſeu gentis Iberæ
Littora,ſeu medias tinxere cruoribus undas;
Hoc tum Diva ferox ſanctum velamine corpus
Induerat, tantiſque memor gaudebat alumnis.
Aurea præcipitem nectebat fibula veſtem,
Aurea pendebant lucente monilia collo.
Qualis odoratos apices,& florea torquens
Brachia ab Idæis conjux Berecynthia templis
It magno placitura viro: ſubridet eunti

Lætus Hymen, ſperatque Deos Natura recentes.
Illa domum, & magni quærit faſtigia tecti,
Regaleſque thoros, queis jam ſub nocte ſilenti
Membra dabas. Thalamum Muſæ, primaſq; ſopori
Sæpe negans tenebras tuus illuſtrabat Apollo.
Vt venit, inque tuos effuſa Britannia vultus
Te gnatumque patremque vocat, tu colla genaſque
Diripere, atque avidos multùm committere vultus.
Illa autem; Salve ô noſtri lux optima Mundi,
O læto plus Sole nitens, cui craſtina pandet
Lux iterum obliqui repetita exordia curſus.
Tempus, iô, nunc tempus adeſt, quo munera nobis
Dî Superi, tuque Alme dabis. Iam Gallia dives
Magnanimis ſublimis equis, & pube feroci,
Et pedes enſiferas quæ jactat Iberia turmas,
Nec propè fœmineo fortis Germania vultu,
Conveniunt, optantque novis huc ecce Kalendis
Huc thalamos intrare tuos, mox flectere pulchris
Vocibus, atque mihi primum ſubducere donum.
Des pacem ô requiemque petent, tu ſydere leni
Aſpicias terras; tumido des vincula Marti,
Tu Pontum bellare vetes, terriſque fretiſque
Mitis, & humanis jubeas bonus ocia rebus.
Arma premas, maliſque coli; neve omnia ducas,
Stes medius cunctis, æquataque pondera libres.
Hæc tua jactabunt externæ ad limina Nymphæ;
Sed mihi primus honos, primi mihi gloria doni
Debetur; ſcis nempe, Pater; ſic munera Crete
Prima ſui, ſic prima ſui fert Delos alumni.
O mihi quem dudum per longi exordia fati,
Et ſortes vatum ambiguas, Regemque Patremque
Promiſere dii, ſat ſic ingentia nobis
Dona feres, ſi tu pridem quæ magna dediſti
Continues longùm, & tecum tua munera vivant.
Nam mihi quæ tandem, nimii licet improba voti,
Plura velim, vel plura meis, quos Pontus adorat
Auſpiciis, ô magne, tuis, & Numine tanto
Securis timidæ gaudent aſſurgere terræ?
His ſeu vicinâ pallentia littora nocte,

Seu placet Arctoas Hyemes, aut ſole recenti
Mygdoniam ſpectare diem, patet hoſpita tellus,
Vnda patet, populiſque nefas læſiſſe Britannum.
Nomen amant, nomenque timent. Hac ſede revelli
Poſſe velim, tantumque decus vidiſſe meorum.
Quod tamen ô video quantum eſt? ut fata beato
Indulſere ſolo? quoties per pinguia culta
Hæret arans, tardoſque boves, ſtimuloſque fatigat
Terra tenax? Nulla arva vacant, nulla avia, nulli
Triſte ſilent montes. Iam non aut India felix,
Aut magis auriferâ diteſcit Lydia venâ,
Quàm noſtras flavere domos, externaque cerno
Regna metalliferis in nos deſcendere rivis.
Tum longæva quies, inconcuſſiſque per ævum
Divitiis pax alma favet; nec gnara tumultus
Vxor, ab externo redeuntem Marte maritum
Quid ſint bella rogat. Spiſſis opulenta coloni
Raſtra movent, macris funduntur ovilia campis,
Molliaque aſſurgunt criſpato vellera tergo.
   Aſt animos ſi fortè juvat, ſi corda meorum
Metiri, quid fata mihi ſuperique volentes
Nunc ultra tribuiſſe queant? Hæc ſerior ætas
Conſiliis apta eſt, hæc magnis cruda triumphis,
Hinc majora manent jam lætam ſecula prolem.
Sic ubi ſurgentem latè diſtinxit equorum
Non ſimplex Natura gregem, primuſque juventæ
Impetus, hic fortes docilis cœpiſſe lupatos,
Ille tubas ſonitumque pati, ſubvertere campum
Alter, ad Iſthmiacas hic promptior ire coronas.
Eloquar edomitos fluctus, magnoque tridente
Cæruleum ceſſiſſe Patrem; meque omnibus eſſe
Numen aquis? quàm ſæpe meo ſine numine venti
Nil auſi ſævire, ſilent; quàm fortibus alis
Expectant quas ferre vices, quà verrere cœlum
Ipſa velim, juſſoque regant ſpiramina curſu?
Quid juvat Eoas toties numerare carinas,
Perſidaq;, & Danao ſpatioſam in marmore claſſem?
Nunc mihi plura licent; nunc cùm ſubtexere velis
Alta paro, pereunt ſpatioſi jugera Ponti,

Nec

Nec cœlum Neptune vides. Vix puppibus æquor
Sufficit, & totos conſumunt carbaſa ventos.
Iamque novos fines, ratibus jam littora jungi,
Iam pontem Natura timet. Si dicere fas eſt,
Et laudes fers Magne tuas, tibi cuncta fatemur
Deberi, fatiſque tuis, & fata regenti
Ingenio. Das, Alme, mihi, quòd pace verendâ
Incolumis, quòd non externis ignibus arſi,
Quòd pelagi princeps, quòd formidabilis hoſti,
Si quis erit, quòd cuncta favent, hominéſq;, diique,
Aſtráque, & Arctoas melius Sol temperat oras.
Nunc age, magne Parens, & quæ jam tanta dediſti
Dona mihi, queis me latè creviſſe potentem
Fata ſtupent, ſuperíque, & territus invidet Orbis,
Eſſe æterna velis. Hoc primo in limine Iani
Poſceris, hæc ſolùm tua dona Britannia quærit.
Mox te aliæ facilem, ſeu quas face pulcher Eoa,
Seu quas extremis moriens Sol aſpicit undis,
Fas habeant terræ. Sic te illæ parcere poſſe,
Et ſævire ſciant; timeantque colantque potentem.
Vnde ſuo largus diſpenſat Iupiter Orbi
Frugiferos imbres, & amici lumina Solis,
Hac quoque ſede tonat. Sed tu mihi munera prima
Nil vultu terrente feras. Satis omina ſanxi:
Annuis; eſtque tui propior tibi cura Britanni.
    Finierat, manibúſque datis venerabile corpus
Sternit humi, & magnū ſub Principe Numē adorat.
Ecce ſub hæc longo venientes ordine Nymphæ
Irrupere fores, thalamíque in limine primo
Intendunt clamore manus. Stat Iberia fuſcas
Pulchra genas, & pulchra manus: incertáque multis
Cultibus, & mutans etiamtum Gallia veſtem.
Mox aliæ coiere Deæ. Germania longas
Excuſat poſtrema moras. Te munera cunctæ,
Te lenem placidúmq; rogant. Mihi murmure tanto
Rupta quies; ſtratū attonitus, ſtratū omne pererro.
Vtque animo mentémque Deûm, noctíſque beatæ
Accepi monitus; juvat ô juvat augure ſomno,
Iſta ſequi, dixi, magnarum exempla Dearum.

Quippe ſub hæc Mundus reducis primordia Phœbi
Omnis ab ingenti petat omnis munera Rege;
Solus ego donare velim? quin exuo mentem
Hanc magis,atq; hilari poſco quoque munera luce.
O decus,ô ingens animoſæ gloria terræ,
O Patriæ lux alma tuæ,cui ſtamine longo
Fata dies & ſceptra ferunt,cui prodiga doni
Sors favet,atque alios promittit Iupiter Orbes;
En nova decurſos reparant jam ſydera menſes:
Tu nova da noſtræ ſuccedant gaudia menti.
Da molles aditus.Da magnam tangere dextram,
Et genua amplecti,& veſtigia verrere vultu;
Et quibus immeritum voluiſti attollere donis,
Adde aliquid. Nempe iſta tibi,nempe,Inclyte,vota
Haud ingrata reor. Non qui per thurea ſacra
Sollicitat Superos,aut lecti ſanguine tauri,
Plus cœlo placuiſſe poteſt, quàm ſi quis inanes
Tendit in aſtra manus, & nudâ voce fatetur
Majoreſque Deos,& egentem Numinis Orbem.

Ad ſereniſs.Daniæ regem, CHRISTIANVM IV, *cum in Angliam appuliſſet.*

STerne leves fluctus, cygnorumque agmina ripis
Tota cie; jam ſerta viris, jam ſerta parentur
Puppibus,& pictis vibrent vexilla carinis.
Feſtus iô terríſque dies,undíſque Britannis,
O Tameſi, noſtroque venit lux aurea mundo.
Aſpicis ut domitæ nubes,ut purius æther
Luceat,& tepidi melior clementia cœli?
Aſpicis Arctoi longè diademata regni
Nunc undis radiare tuis; & mille carinas,
Mille per anguſtos nunc fervere Numina fluctus?
Tale nihil cervice gerit,qui tecta Tonantis
Cumque ſuis fert aſtra Diis; tu ſancta decorus
Pondera,tu læti felicia munera fati
Sume lubens; tantùm, nimio dignatus honore,
Ne tumeas; tutæque rates nunc mitia ſcindant
Cærula,nunc longas jungant examine ripas.

Tu

Tu quoq; purpureo quo non ex agmine quiſquã
Majori fert ſceptra manu,quo Principe gaudet
Cimber,& Auſoniæ populator Vandalus oræ;
Cerne deos felix,& quam facis ipſe beato
Lætitiam pompamque ſolo;cerne omina tanta,
Et fruere:haud unquam paribus ratis ardua fatis
Se tulit,aut tantùm ſtudiis adjuta deorum.
Ipſa polo Pietas (quanquam rariſſima terris
Inſidet,atque homines odit contempta relictos)
Deſiluit,pelago Cimbras innare carinas
Vt vidit,claſſemqee tuam veneranda petivit;
Qualis adhuc læto celebrabat ſecula vultu
Aurea,nec læſo deformes Numine terras.
Ipſa miniſtravit velis,puppemque recurvam,
Diſſimulata deam,melioribus impulit auris.
Interea Phorcique cohors,Glaucique biformis,
Mirantur,molemque ratis,cultuſque, viroſque,
Et Pietas quod puppe ſedens per marmora latè
Curreret,atque viris ſtaret permixta virago.
O quoties naveſque tuas circunſtetit agmen
Nereidum,cauſamque viæ,nomenque rogavit!
Cuncta docet Pietas,velletque hæc ſcire jacentes
Latè omni ſub Sole domos.Non bella,nec ignes,
Hæc,inquit,bona claſſis agit.Spectate catervas,
Armataſque manus;Pacique,mihique miniſtrat
Iſta cohors.Rex ille ſui,Rex ille,Paterque
Cimbrorum,has torquet fraterna ad littora puppes.
Cauſa ego ſola viæ. Charæ ſpectare Sorori s
Ora cupit,Fratriſque jubar,parvoſque Nepotes;
Vnanimeſque ſimul ſociare in fœdera gentes;
Cimber ut Albionis ſit jam non exterus oris;
Inque ſuis flavos numeret dilecta Britannos
Cimbria,& ingentis pereant diſcrimina Ponti.
Hoc melius quàm ſi tumidâ per cærula bellum
Mole ferat,quæratque feros in Marte triumphos.
Sic Pietas;laudeſque tuas tot vocibus urget
Sedula,quot parvas cœlo crebreſcere flammas,
Surgere quot pandos cernit per cærula fluctus.
Attendunt,creduntque Deæ.Tunc oſcula puppi
Ferre

Ferre juvat,lætiſque ratem luſtrare choræis.
Iam conſanguineæ claſſis ſucceſſerat oræ;
Iam Tameſis tibi vector erat,tantoque ſuperbus
Pondere,vicinos pulſabat fortius agros;
Ecce tibi multo deductus remige Princeps,
Cauſa tuæ,preciumque viæ,qui ſancta Britannis
Iura ferens,verâ ſurrexit ad æthera famâ,
Adventat:ſtrepuere tubæ,placidoque tumultu
Rauca per attonitas ſonuerunt tympana ripas.
Ipſe coronatæ ſupremo in margine navis
Stabas,& dulci tendebas brachia motu.
Ille autem totos avidis complexibus artus
Miſcuit,& charum porrexit ad oſcula Natum.
Tum Procerũ confuſa manus,Cimbriq;,Britanniq;,
Amplexu miſcent animas.Hinc inde ſatelles,
Et ferri ſecura ſeges. per tela quieta,
Atque inter medias volitat pax aurea turmas.
Mox patriam noſtro mutaſti remige puppem,
O Princeps.Quæ tum latè ſpectacula Mundus,
Quot vidit miranda dies?Concordia Regum
Tuta fide,junctæque manus,ſociumque colendi
Ambitioſus amor.Quæ tum quæ lumina vulgi?
Qui plauſus?plenis quæ ſtabant agmina ripis?
Ripa anguſta viris,ratibuſque anguſtior amnis
Defuit,& cœlum votis,& plauſibus aër.
Sic ubi de Phrygiis Cybele turrita ruinis
Auſonios dignata lares,Tyberina ſecabat
Flumina,jam Latii cernens pia culmina regni,
Roma ſuis effuſa jugis,Roma omnis in illis
Conſtitit,& vidit venientia numina ripis;
Et votis plauſuque deos,ac fronde recenti,
Tota coronato celebrabat vertice plebes,
Iam miſtis diffuſa jocis,jam longa retexens
Secula,& Iliacos memorabat læta parentes.
Nec magis hi feſto duxere ad celſa paratu
Templa Deam,quàm vos cupidæ cinxere coronæ
O Reges, vos dum unda vehit,vel prima receptos
Ripa per inſtratos ducit formoſa tapetas.
Donec inaſpectum populis penetrale ſubiſti s,
Secre-

Secretóſque lares, quà ſe alta palatia ſolis
Regibus, & primis pandunt opulenta miniſtris.
Tunc votis tunc tecta fremunt, tunc Regia plauſu
Læta ſonat, feſtúſque dies urbéſque colonóſque
Exercet; nexis urgent ſua rura choræis,
Aut vix ſublatis reparant convivia menſis.
Cumque diis Regéſque canunt, Regéſque verentur,
Æternóſque volunt. Quæ jam dare gaudia Divi,
Aut tu plura queas? Tantùm ne tempora curſu
Præcipitata cadant, queis has dignabere terras.
Seu tibi mens totos hîc Phœbi cernere curſus,
Sit piger ô Phœbus; ſive hîc conſiſtere menſem,
Tardus eat menſis, longumque in ſecula duret.

Ad Illuſtriſsimum Walliæ Principem, HENRICVM.

DElicіæ Superum, longi poſt tempora fati
Optantes auctute Deos, cui ſanguis utrinque
Regia ab innumeris connectit nomina faſtis,
O tener, & magnis ſi ſunt natalia divis,
Penè puer, primiſque viro jam major in annis;
I, ſanctos attolle focos; i, thure Sabæo
Fac Superis: nullo ceſſes in vota paratu.
O largos tibi nempe deos, & plura merentes,
Quàm donaſſe queas! Nec te vel murice læto
Exceptum, cùm prima tibi lux panderet Orbem,
Hîc memorē, aut illos vultumq; animumq; dediſſe
Fortunæ tibi, magne, parem. Plus omnibus illis
Te tanto Genitore ſatum. Majora tuliſſe
Dona tibi haud magni potuit clementia cœli.
Is tibi, chare Puer, numenque inſigne, decúſque,
Is tibi Phœbus erit. Melior nec ſydera Phœbus
Temperat, Arctoas Genitor quàm torquet habenas.
Tu terris optate Puer, jam ferre beata
Lumina, jam primo radiis aſſueſce ſub ævo.
Diſce diu vultus in imagine figere tantâ.
Hîc priſcos agnoſce Duces, venturaque qualem
Promittunt te ſecla ſibi, qualiſque nepotes
Effinxiſſe velis. Non debuit ulla Parenti

Te proles majora ſuo. te limine vitæ
Suſtulit,& parvos erexit ad oſcula vultus.
Nec ſceptris aptare manus, animumque capacem
Fingere,nec pulchros ceſſavit comere mores.
O Princeps,non ille quidem ſuperabile nomen;
Sed cuperet vinci,teque in certamina laudis
Æmulus ipſe Parens, nimioſque invitat honores.
Tu quoq; quàm vigiles agitans ſub pectore curas,
Ne pereant præcepta caves. non femina condi
Tanta ſolo meliore queant. Iam reddita cœlo
Ecce virent,jam læta diu faſtigia tollunt.
Quis ſtudium,moreſque tuos,quis ſingula ritè
Expediat ? nunc fræna ferox,duróque lupatos
Ære quatis, nunc tela manu breviora coruſcas,
Nunc pia cum doctis ſocias commercia Muſis.
Mox ubi laſſatam ludo diffundere mentem,
Et ſtudiis placet eſſe modum; quis crederet annis?
Sic puer es,magni quondam ut cunabula Martis
Vidit in Odryſiis mater Saturnia ſylvis ;
Vt referunt creviſſe Iovem, vel, cujus in ore,
Tunc quoque cùm fieret,ſtabant oracula,Phœbum;
Talis ades,ſic ora decens mortalia ſupra
Aſſurgis,vultuque potes tot reddere divos.
Et ſi purpureas humeris criſpaveris alas,
Cautus Amor ; ſi templa coles,ſis lætus Apollo ;
Si nemus,ipſa Paphi pulchrum Dea credat Adonim.
Et nunc quod teneros Parnaſſo infigere greſſus
Approperas, perge Alme puer;fecere canenda;
Et cecinere dii ; fidibúſque armíſque potentem
Æacidem Phrygii ſtupuit vetus incola campi.
Liber ab Ogygiis Gangetica littora campis
Fregit,& Auroræ populos , Pontúmque rubentem,
Victor habet, cui ſacra tamen non vertice Nyſæ
Grata magis,quàm quæ Cyrrhæo victima templo
Ponitur,& ſociis ſurgunt altaria Muſis.
Te quoque fama manet; nec pectus purpura velat
Pulchrior, aut ſacro nitidæ quæ culmine frontis
Olim vincla geres,quàm de Permeſſide lymphâ
Hic quem nunc tibi quæris honos. Natura potentes
Sponte

ponte facit,dignoſque ſuo diademate virtus.
Vive diu,ô felix,ô tot veneranda deorum
rogenies,cui fama novas jam concipit alas,
aſſarique timet,cui tela,enſeſque,minaſque,
Iars parat; & placidas mulcet pax aurea gentes.
ive diu;magni cujus cunabula Reges
am celebrant,cultæque parant ſua carmina Muſæ.
e Sereſque Arabeſque colant,te quicquid Eoâ
uce videt,quicquid feris Sol aſpicit undis.
tque ubi creſcentes major numeraveris annos,
e Nymphæ,formoſe,colant;Te Delia ſupplex
xoret,vel quæ tunc Ægida ponere Pallas
ponte volet,nimiumque tibi manſueſcere virgo.
Iec durus ſis nempe deæ.Des numina cœlo,
rogeniemque novam.Sed cùm laſſata triumphis
Ieus erit,& totos cælabit laurea poſtes,
erius in cælum quàm te cupida aſtra vocabunt
pproperes felix;aut ſi mortalia tangunt
ota deos,terras habeas,terraſque perennis (quas.
Cum Genitore colas,nunquamq; hęc ſceptra relin-

Planctus Corydonis ad Phœbum.

PAſtor Apollinei Corydon in limine templi,
Sordidus imbre genas,& triſti pectus arena,
Hoc propè defectâ lugebat arundine carmen:
Phœbe parens,ô cui ipſe ſuas Deus æquoris un-
Tradidit,ipſe ſuos conceſſit Iupiter ignes; (das
Cur mihi,Phœbe parens,facies pulcherrima rerum,
Qua renovas campos,& das nova ſæcula Mundo,
Cur radii placuere tui?cur paſcua noſtra
Deſerui demens;& me ſpes vana fefellit?
Tunc mihi præſagæ fruſtra dixere volucres;
Quò properas Corydon?cur regia tangit agreſtem?
Cur fugis hos ſaltus, & concipis improbus aulam?
Talia dicebant,nec me movere volucres,
Nec qui congemuit,liqui cùm paſcua,taurus.
Sed veni;& geminâ cecini tibi lætus avenâ,
Forſitan & placui;certè tu vertice toto
Aſſenſus,noſtro dixiſti in limine perſta.

Per-

Perſto equidẽ; atq; auſus tenui nunc ludere verſu,
Nunc etiam poſitis cytharam tetigiſſe cicutis,
Et tentare fides,fidibuſque retundere plectrum,
Ecce animum,& duros longâ ſpe fallo labores.
Tertia jam ſylvas velavit frondibus æſtas,
Et toties nudis redierunt frigora campis,
Ex quo triſtis,inops,ſancta hæc altaria circum,
Et te,Phœbe parens,& me per vota fatigo.
Sæpe mihi dixit patrii mens conſcia tecti,
Et mihi ſæpe ſenex in cortice ſcripſit Amyntas,
Reſpice oves,Corydon,ſatis ô ſatis irrita vota
Laſſavere Deos;Corydon tua reſpice tecta.
Quid facerem? poſſemne tuis diſcedere templis?
O dolor!ad patrias remearem inglorius oras?
Quicquid in has mecum vexi trans cærula ſedes,
Corrupit jam longa dies,ſaccumque,pedumque,
Et calathum,& ſparſos quæ fiſtula convocat agnos.
Sic pudet heu rediiſſe domum.Si cedere cogor
Hinc tamen,atq; iterum pecori comes ire relicto;
Cedam equidẽ,& meritas effundet Muſa querelas,
Damnabitque Deos,& iniquæ ſtamina Parcæ.
Forſitan & noſtri linquet monimenta doloris,
Forſitan & noſtræ credent nova ſæcula Muſæ.
Quicquid erit,te Phœbe colam;te fiſtula noſtra
Semper adoratum te gramine dicet in omni,
Dum fluvius ſalices,& habebit campus avenas,
Et lupus in ſylvis, & erunt in vallibus agnæ.
Nam mihi nomen erit,vivetq; in ſæcula carmen.
Vidi ego,dum tremulis errabam paſtor in umbris,
Et mea dilectam laudabant carmina Lydam,
Agreſtes ſtupuiſſe Deas;tunc omnis arundo,
Omnis ager,noſtros referebant omnia verſus.
Vidi ego certantes,& erant tunc præmia cantus,
Et Chromin,& Nomaden;novi quid poſſit Aceſtæ
Fiſtula,ſed noſtris rarus mihi certat in agris.
Quà tumidus nigrâ Rhodanus circumtonat undâ,
Qua mutat Ligeris ſyrtes,& Sequana Mundum
Nutrit, & Eridanus,Tybriſq; in marmora currunt;
Quicquid iis latè paſtorum ludit in arvis

Tu compone mihi ; vincet mea fiſtula multos.
Hæc,mihi ſi Superi vitam, ſi tempora donant,
Immortalis erit.non hanc tuba Lydia vincet,
Non buxus Cybeles,non rauci tympana Bacchi.
Audiar Heſperiam quà porrigit ultima terram
Audaci Natura ſinu ; quà ſydera prima,
Phœbe pater, pulſas, cupidoque renaſceris Orbi.
Forſitan & noſtram cupies ſervaſſe Camœnam,
Cùm dicam gentes varias,atque extera rura,
Et falſa indignis vendam heu præconia Divis.
Et mihi ſi durus (nam nulla hoc neſciet ætas)
Si mihi durus eris,dicent per ſæcula gentes
Innumeræ : miſer es,Corydon, & crimine fati,
Et Phœbi culpâ. Phœbus non omnia vidit.
Quid mihi,quòd toto luces pulcherrimus Orbe,
Quid prodeſt medium quòd libras pōdere Mundū,
Quodque regis Muſas,tu Muſis doctior ipſe,
Si mihi nec luces, nec amas mea carmina Phœbe ?
Parce Pater, parce ô cœlorum prima voluptas ;
Iuſta queror. Si me Phrygios meus error in agros
Egiſſet, ſi barbarici ſub limine tecti
Tot mea pulſatas laſſaſſent verba cicutas,
Forſitan ipſe Midas, & duri barbarus oris
Laudaſſent verſus ; eſſent & præmia laudis.
Hei mihi ſi queſtus jam jam cùm videris iſtos,
Phœbe pater, dices,ſunt hæc bona carmina, Paſtor;
Hoc tantùm ; & ſterili penſabis carmina laude.
Sæpe mihi arridens,Corydon pete munera dicis.
Quid petat ah Corydon ? Corydoni delige munus
Ipſe pater.neſcit quæ poſcat munera Paſtor.
Sponte meâ ſanctas pendebit carmen ad aras;
Sponte tuum noſtræ reſonabunt nomen avenæ ;
Sponte tuâ mihi dona feras .Non improba poſco.
Thura Iovi ferimus : fœcundos Iupiter imbres.
Pro mulſo ſegetes reddit frugum aurea Mater,
Nyſæuſque pater pro cæsâ vina capellâ.
Aut mea ſi gravis eſt tam parvo fiſtula ſumptu,
Redde pedum,calathumque,& paſtoralia ſigna
Quæ tuleram mecum,quæ longus deterit uſus;

Redde precor, Pater alme: per ô tua pignora quæſo,
Delicias Divûm, & venturi ſydera Mundi.
Sic te tam ſuperent, tàm poſt ſe Phœbe relinquant,
Quàm tu ſceptrigeros viciſti Phœbe parentes.
Finierat Corydon, ſanctique in pulvere templi
Sternebat miſeros effuſo vertice crines.
Audiit, equè ſuis Phœbus Pater annuit antris.

Corydonis Carmen Euchariſticon.

QVeſtus erat Corydō; morituraq; lumina ſolvēs,
Oſcula jam poſitis dederat ſuprema cicutis,
Cùm pater arcano Phœbus reſpondit ab antro;
Parce queri, Corydon, non dices extera rura,
Nec falſa indignis vendes præconia Divis.
Noſter eris; noſtramque ſenex cantabis ad aram.
Dixit, & auguſtam conceſſit ad oſcula dextram.
Tunc verò & vultus, & livida lumina terſit
Auditus Corydon, tollenſque ad ſydera palmas,
Phœbe pater, dixit, quo non vel pulchrius æther
Numen habet, vel habent noſtræ fœcundius auræ,
Da veniam lachrymis, & vano parce timori.
Nam mihi, linque greges Corydō, majora dabuntur
Præmia, dicebas; & te promittere vana
Phœbe nefas, ſanctoque nefas diffidere Phœbo.
Sed me tempus iners, inimicaque fata Camœnis,
Magnaque terrebat reliquorum culpa Deorum.
Nunc mihi ſpes lentæ, poſito nunc cura tumultu,
Securuſque timor, placet & dilata voluptas.
Iam neq; ſylveſtres quæram ſub fontibus umbras
Paſtori, pecorique, & in altæ devia rupis
Deducam faciles ignota per arva capellas.
Nec patriæ reducem crudelis Muſa Lycotæ
Ridebit, digitove malus monſtrabit Aceſtes.
Iam non paſtor ero; non ſi Pan ipſe cicutam
Promittat; non ſi quærant mihi paſcua Nymphæ,
Inque lupos donent medicatas cantibus herbas.
Ite greges, longumque mihi mea cura valete;
Quaque ſub ingenti vix lucent arbore Soles,
Huc illuc varius deducat carmina Paſtor;

Ruſti-

Ruſtica vel facili meditetur dona puellæ,
Aut volucrum nidos,aut plenis fraga caniſtris.
Vita quidem felix, & quam ſat poſſit amare,
Quiſquis nec Superos,Phœbi nec limina novit.
At mihi nunc meliorque dies,& purius æther
Lucet,& optati propior ſtat linea cœli.
Iam mihi non calami,ſaliciſque è cortice lento
Fiſtula,quæq; movent agreſtes carmina Nymphas:
Sed plectrum,doctæque fides, citharæque,lyrçque
Nomen,& auratâ magnum teſtudine carmen.
  Phœbe pater,lux prima Deûm;quē ſydera preſſis
Ignibus,& poſitis venerantur cærula ventis,
Phœbe ſalus terræ,cœlorum gloria Phœbe,
Plectra quidem laudeſque ſuper mortalia vincis
Carmina, teque poteſt tantùm tua dicere Delphos.
Te tamen audebit Corydon tuus ardua ſupra
Ferre poli,factiſque tuis ornare Camœnas.
Atque tuis raucum ſeu claſſibus ingemet æquor,
Seu duras acies,lethaliaque arma per Orbem
Miſcebis regale fremens;aut mitia victor
Iura dabis,vinceſque tuam fortiſſimus iram;
Quicquid ages,mea plectra canēt; famaq; perenni
Munera perſolvam,ſeu quæ jam Phœbe dediſti,
Seu quæ Phœbe dabis. Nulliſq; hoc excidet annis.
Et tua me virtus,non inclyta munera, Phœbe,
His egere locis. Teſtor citharamque,lyramque,
Quam mihi das,& quas liqui jam major avenas.
  Tu quoque Phœbæi cuſtos ſanctiſſime templi,
Seu te Theſtoridem,ſeu Thiodomanta vocari
Præcipis,aut longè cernentem fata Melampum:
O decus,ô ingens,Phœbi ô digniſſime cultor,
O tantùm Phœboque minor,Phœbique miniſter;
Tu mea non altos mittentia thura vapores
Commendare deo,tenueſque advertere fumos
Dignatus,magni placaſti numina Phœbi.
Accipe nunc grates,teque hoc ô ſancte ſacerdos,
Hoc audire juvet.Non irrita dona tuliſti.
Audiet hoc tellus,quamcunque liquentibus undis
Littora vel pulſant,vel plenis flumina ripis.

Audiet hoc æther,nulloque tacebitur ævo,
Paſtor erat Corydon, paſtoris vota Sacerdos
Detulit ad Phœbum,vatemque hunc fecit Apollo.
Hæc Corydō;Phœbumq; ſimul,Phœbiq; miniſtrū
Supplicibus votis,& multo thure vocavit.
Nec mora,jam major,facili jam Numine lætus,
Iam ſua majori fixit veſtigia plantâ.

DAPHNE.

ARſerat in Daphne,quæ formoſiſſima rerum,
Threicius Corydon,dilectus Apolline paſtor;
Ille quidem multùm veteri dignatus amore
Leuconoës Nymphæ;ſed ſic nova fata ferebant;
Sola placet,ſola eſt Corydoni candida Daphne.
Ergo illi virides de ceſpite condidit aras,
Thuraque cum feſtis poſuit redolentia ſertis.
Sæpe novæ meſſis primas adolevit ariſtas,
Sæpe novos fœtus pecorum;ſuper omnia cantus
Addidit,& tantos verſu celebravit amores.
Spes quoq; longa fuit. Daphnē tunc fortè regebāt
Eximii Heroës,Divûm genus.His ſua ſæpe
Vota tulit Corydon;ſæpe illi verba dedere;
Spemque ſimul.Spes ô reliquis magis anxia curis!
Donec eheu triſtes vultu dixere ſevero;
Vana petis Corydon;non eſt penetrabilis igne
Noſtra tuo.Corydon paſtor;Daphne una dearū eſt.
Horruit auditu Corydon,atque obvia latè
Tunc fregit virgulta manu,ſeſeque doloremque
Affatus,ſolis erravit torvus in agris;
Ac tandem miſeræ poſitâ caligine mentis,
Sedit in adversâ, dixitque hæc carmina,ripâ:
O mihi non dextro dilecta Cupidine Nympha,
Nympha decus ſylvæ,quis te in faſtidia noſtri
Egit, & inceptos crudelis rupit amores?
Anne quod heu prono veni ad tua limina vultu
Supplex,& foribus poſui ſæpe oſcula nudis,
Hinc humilem rata nempe virum,virtutis egenæ,
Suppliciis damnas,faſtuque aſſurgis iniquo?
Falleris ô;me Leuconoë ditiſſima campi,

Me fovet,& blandis auget ſua munera verbis.
Nunc mihi lacte novo,pomis modò temperat æſtū;
Sæpe tulit cyathos,dextraque rubentia fraga
Sæpe tulit,plenis quæ legerat ipſa caniſtris.
Aſt ubi bruma nives canentibus increpat alis,
Extruit illa focos,& quas nos cœpimus ambo
Torret aves,duplicat noſtram quoq; ſedula veſtem.
O quàm cara mihi,ſi tu non carior eſſes!
Sed ferus urget amor. mallem quæ dona paravit
Hæc debere tibi.Vel ſi quoque parva darentur,
Grande tamen donis pretium(ſcit quiſquis amavit)
Donatrix faceres,& te mirarer in illis:
Inque vicem totâ ferrem tibi munera dextrâ.
Paſtor ego?Paſtor Phœbus fuit. & mea multis
Fama volat campis.Non ignorabilis hoſpes
(Pande fores Daphne) nec iners tua tecta ſubibo.
Ipſe pedo poſſum quicquid potuere parentes,
Nunc dare ſigna gregi,nunc vulſas tollere glebas,
Et terrere lupos,& foſſas jungere ſaltu.
Dî melius,quàm me poſt longi turbinis orbem
Decipiat juſſas fundâ lapis actus in oras.
Nec tibi jam tantùm placeas ô candida virgo; (ri.
Digna coli Daphne eſt,Corydō quoq; dignus ama-
Dicam equidem,vultuſque meos,& cærula novi
Lumina;rarus erit formā tibi paſtor ad iſtam. (res?
Quid tamē hęc ſurdas memorē male ſanus ad au-
Stat tibi (proh Superi!)Corydonē perdere Daphne:
Ergo ferox,totieſque meis repetita camœnis,
Spernis adorantem:nec me mea culpa,nec error,
Sed vilem fecere preces?Da ſurgere in iras,
Da verſus mihi Phœbe truces, da digna rependam.
Audiat & juſtos ultrix Rhamnuſia queſtus.
Quid loquor infelix?vitæ (ô pulcherrima) noſtræ
Ius tibi fecit amor;jus eſt quodcunque libebit.
Nympha nihil peccas.Hujus peccaſtis alumni
Eximii Heroës,divum genus.Vnde ſeverum
Fulmen io?tanto cur me jam perditis ictu?
Quis mihi non veſtrûm lætis prius omina verbis
Spemque dedit,magnos timidè cum faſſus amores,

Hei mihi,dilectæ quæro ſervire puellæ?
Quiſque mihi ſpondebat opem.Quā quiſq; dediſtis
Spem mihi,cur omnes (miſerū!) cur tollitis omnes?
Aſt ego magna quidē,ſed nō tamē improba,poſcēs,
Vota rependebam. Colimus quoque Numina votis.
Quin loquor?& verbis ſaltem ſic conſcia corda
Allevo?Non ullum vetat hæc ſolatia fatum.
Vota quidem;at votis etiam majora parabam.
Igneus Eoo qua ſe pater exerit axe,
Quaque facem condit nocturnis feſſus in undis,
Veſtrum fama tulit latè decus;omnia laudes
Implerunt veſtræ;cœli quoque ſydera pulſant.
Ille tamen periturus honos,ævoque ſeneſcet,
Cùm vos rapti oculis,& erunt ſua regna futuris.
Sic alii micuere prius,quorum ardua virtus
Tandem paſſa ſitum eſt;& nomina rara ſuperſunt.
Solis vita manet quibus indulſere cicutæ
Paſtorum inſignes,quales mihi tradit Apollo.
Dixerat hæc Corydō,ſubito cùm murmure cœli
Rupta dedit nubes lucentibus omina flammis.
Pura fuit mundi regio,qua ſurgere Phœbus
Suevit,& à lævâ dextrum ſonuere volucres.
Ille ſalutavit præſentia numina Divûm,
Ille oculos frontemque manu derſit,& ingens
Speque ſimul vultuque fuit;poſitiſque querelis,
Nympha mea ô,dixit,Nymphæq; Heroës alumni,
Parcite;vos fallax duros mihi fama ferebat:
Non eritis;Rubuit cœli plaga fauſta ſiniſtri,
Et juſſit poſuiſſe metus:Mihi lactea Daphne
Cedet;& ô duros poſthac ne fingite vultus;
Veſter ero:credo Superis,cœloque loquenti.
Voſque ego,dum terras aër,cœlum ambiet auras,
Et fines terris,& erunt ſuo littora ponto,
Semper honoratos,ſemper poſt Numina primos
Et Iovis & Daphnes,precibuſque & thure vocabo.
Hæc Corydon,Daphneſq: ſibi ſpondebat amores
Credulus anne nimis monſtrantibus omina divis?

D A

DAPHNIS.

TExerat horrentes furvâ caligine vultus
Sol Pater,& toto ſqualebant ſydera cœlo:
Tityrus,& Corydon, lævas imitantia buxos
Ora manu nixi,flebant te maxime Daphni,
Daphni decus campi;diro quem vulnere raptum,
Non tantùm agricolæ,non gens paſtoria tantùm,
Sed flebant elementa palam,telluſque,poluſque;
Et ſua concuſſæ vexabant brachia ſylvæ;
Triſtius & raucos volvebant æquora fluctus.
Illi inter lachrymas,abruptaque verba querelis,
Reddite,dicebant,nunc reddite,ſydera,Daphnim.
Tityr. Vivimus?an nigro miſeri conceſſimus orco?
Quod ſcelus?undè iræ Superum? proh ſæva Sororū
Penſa,nec in tantos quondam ingenioſa furores!
Aſpice;non idem campis color,omnia marcent
Gramina,nec gelidis Boreas afflavit ab oris.
Iam trepidæ pallent frondes,jam lurida meſſis
Tingitur,& nullum conſumpſit carmen ariſtas.
Arva ſibi deſunt;& nunc trahit omnia ſecum
Triſtis, & è luctu virtus cognoſcit alumnos.
Reddite nunc nobis,nunc reddite,ſydera Daphnim.
Coryd. Tityre mitte pedū;pecoris non cura juvandi;
Non jam lucis amor,nulli poſt talia riſus.
Occidimus;parvoque ſimul mors horrida ferro
Paſtoreſque gregeſque tulit. Iam Daphnide rapto
Marcet ager,mutuſque procul per devia terror
Sparſit inane pecus. facinus neſcite futuri;
Penè facit ſontes hæc tanta injuria Divos.
Reddite nunc nobis,nunc reddite,ſydera,Daphnim.
Tit. En modò lætus ager,nullo plus pōdere gaudēs,
Quam ſua cum noſter premeret veſtigia Daphnis,
Daphnidis heu cæſi diro nunc vulnere ſparſus,
Et non ſponte rubens;quo mœſta piacula fonte
Ponere,queis ſeſe poſſit luſtrare ſub undis?
Eluite,ô Superi,fuſis miſerabile nimbis
Crimen;& in toto ſi deſunt nubila cœlo,
Reddite nunc,ſaltē,nunc reddite,ſydera Daphnim.

Cor. O Divæ ô celeres nemoralia numina Nymphę,
Sueta choris Daphnin admittere, ſueta petenti
Incautas monſtrare feras, & ducere tela,
Spargite nunc crines laceros, nunc rumpite vittas.
Nuſquam Daphnis adeſt, nuſquam lætabile carmē.
Heu blandæ periere genæ, læta ora, nec illo
Deterius lumen pulſis quo Lucifer aſtris
Pandere ſepta monet, madidoſque reviſere paſtus.
Plangite ferali marcentia pectora more,
Plangite Sylvicolæ, medioque hæc addite planctu,
Reddite nunc nobis, nunc reddite, ſydera, Daphnim.
Tityr. O Chaos ô ingens! pereunt diſcrimina rerum.
Omne venit terris ſublato vindice crimen.
Nunc aries cornu, petulans nunc hœdus in herbis,
Debile de viridi latè pecus æquore pellit.
Quique boves cervice tument, queis robora fronti,
Septa feri rumpunt, & quæ pinguiſſima paſtu
Arva placent, longâ circum inſedere coronâ.
Aſtupet omnis ager, ducunt jejunia damæ.
O cohibete nefas, vel qui regat omnia, rurſus
Reddite nunc nobis, nunc reddite, ſydera, Daphnim.
Coryd. Quanta per everſi tempeſtas culmina mundi
Miſcuerat terras, orſus cum paſcua noſtra
Auſpicibus divis quondam componere Daphnis!
Vt tunc Marte fero rapidas egiſſe per Orbem
Addecuit fundas, atque obvia ſternere ſaxis!
Tityr. Quanta dedit victor pacatis ocia terris,
Cum rapidæ ceſſere feræ, lymphataque corda
Daphnidis ad verſus miſeros poſuere furores!
Nec ſua complevit magnâ modo paſcua famâ.
Quiſquis ad arctoas hyemes, Phœbumve cadentē,
Paſtor oves egit, vel lætas rupe capellas,
Quem petit igne Nothus, radiis qui flavus Eois,
Daphnidis ad vires ſuſpectaque robora pronus
Horruit, aut tantis captus virtutibus arſit.
Heu victor bello, ſævæ jacet hoſtia pacis.
Reddite nunc nobis, nunc reddite, ſydera, Daphnim.
Cor. Daphnida, qualis erat, nunc Tityre, cōcipe mēte.
Cerne gravē baculo dextram, quem myrtea longū
Sylva

Sylva dedit;cerne & meritis innexa coronis
Tempora;quercus erat,lauruſque,& mitis oliva.
Quà graditur læta arva nitent,& ſibila ponit
Anguis,& omnigenis curvatur fœtibus arbor.
Cerne decus frontis,trepidoſq; ad ſingula tauros
Verba,ſed effuſis pingues palearibus ire,
Ire & oves ſaturas,Saturnia regna redire;
Tityre tunc dices (lachrymæ tua verba ſequentur)
Talis erat paſtor Meſſenis Cynthius arvis.
Tityre tunc dices,noſtra ille in commoda vixit;
Reddite nunc,dices,nunc reddite,ſydera,Daphnim.
*Tityr.*Cerne magis fuſo pallentia ſanguine membra,
Et lapſos vultus,& livens pectore vulnus;
Tunc Corydon dices,heu noſtra in funera Daphnis
Occidit;ille brevi ſublatus ad aſtra dolore:
Sed facient longos terris ſua vulnera luctus.
Reddite nunc nobis,nunc reddite,ſydera,Daphnim.
*Coryd.*Sit mitis,placetque Deos,ſint omina noſtri
Caſſa metus;mens tuta polo,terriſque perennis
Fama procul duret;corpuſque umbramque tegenti
Sit leve pondus humo;ſint & de ſanguine flores.
Tit. Semper & ad tumulũ ſint triſtia ſacra,piumque
Agmen,Eleuſinos vincamus & ignibus ignes.
*Cor.*Tityre pone metum, placavimus æthera luctu.
Ecce redit cœlum vibratis lætius aſtris.
Daphnis habet cœlum, Daphnis tenet aſtra,nitetq;
Ipſe novum ſydus (numera modò ſydera) Daphnis,
*Tit.*Daphnis habet terras;novus en regit omnia Da-
Ille quidem parvoq; pedo,fundaq; minore, (phnis
Creſcentique manu;genius tamen omnia major
Implet,& ô quantos illi jam deſtinat annos!
Ite pecus lætum,conſuetaque carpite prata.
Ite gregum domini (nunc ô bona ſecula ſurgunt)
Ite per umbriferas (Daphnis regit omnia) ſylvas.
Ergo & vos Dryades,& vos quæ montibus altis
Erratis Nymphæ,longos jam ſolvite luctus:
Frangite jam molles riſus,jam fingite crinem;
Hic aget hic veſtras patrio de more choreas,

Nobiliſsimo Comiti Sarum, Roberto Cecilió, *Summo Ærarii, & Secretorum Regiorum Præfecto*, &c.

QVòd tua non fortes tentant præconia Muſæ,
Parce precor: cecinere Iovē. poſt talia credunt
Per cunctos fas ire Deos. (ô gloria noſtri
Orbis, & ad ſeros famâ venture Nepotes)
Sed vatem, Muſaſque fove; nam copia tanti
Nunc ô nunc operis, quanquam Divaſq;, novemq;
Sollicitat; jam quæ ſumant exordia quærunt
Laudibus, extremis quæ pars aptiſſima plectris.
Ceu, novus Hyblæis cùm jam de vallibus omnes
Evocat annus opes, & ſe cultiſſima cingit
Floribus, atque hilares Natura reſumit amictus,
Emiſſæ cunctantur apes, qua ſidere parte,
Quid primum libare velint; nunc mollis amellus,
Nunc violæ, parvas nunc audit amaracus alas.
Si tamen Herois pulchros in imagine vultus,
Dum Muſæ luſtrantque tuos, releguntque penates,
Si vidiſſe queant, cujus tu ſanguine cretus,
Qui famę monſtravit iter, nec cedere curis
Edocuit, ſanctæque fidem præſtare tiaræ,
Hinc reor in juſtas ſument primordia laudes.
O quoties blando defixus in oſcula riſu
Te patrius demulſit amor, preſſitque ſenectæ
Pondere, nec vanæ fudit præſagia mentis,
Te fore quem coleret Virtus, cui cedere Pallas
Vellet, & attonitâ proles Cyllenia linguâ.
O quoties ſummis formare capacia rebus
Pectora, & ingentes regnorum evolvere caſus
Cùm voluit, tete majora in ſemina mentis
Creſcere, ſeque etiam ſtupuit jam poſſe doceri.
Nunc quicunq; tuas tumulus circuntegat umbras,
Nunc audi, memorande Senex; ni nomine tanto
Obſtaret tua progenies, ut ſæcula priſca
Viciſti, longos poteras viciſſe nepotes.
Sed famam premit iſte tuam, ceu ſydera pallent
Lucifero renovante diem, ceu flumina pulchra,
Vel pulcher Tameſis, gemini vel cornua Rheni,

Vaneſcunt pelago,& ſecum ſua nomina mergunt.
Nec tibi de tantis nunc quicquam illuſtrius actis,
Quàm tantũ hunc genuiſſe virum.Si credere fas eſt
Diverſas migrare animas,membriſque ſub unis,
Seu nemore Elyſio,meritos conſiſtere manes;
Te Nato, cum mors triſtis tua fata peregit,
Inſediſſe putem;tunc addita robora menti
Protinus,atque animum tanto creviſſe ſub æſtu.
Sic ubi cæruleis non obluctatus Hydaſpen
Excipit Indus aquis,ſurgit mirantibus arvis
Alveus. Aſt illi properant confundere vires,
Atque auctas ſtringunt jam non duo flumina ripas.
At tu magnanimi proleſque animuſque parentis,
O decus æquoreæ gentis,quem flava Britannûm
Agmina,quem poſito commendat Iërna tumultu,
Ne precor ô juſtas dubites agnoſcere laudes,
Et paulùm gratare tibi. Non altior ullus
Conſiliis animiſque fuit.Si te illa tuliſſent
Sæcula,ab Oebalii Latium quibus arce Tarenti
Æacides belloque ferox,atque arte premebat
Arduus;haud eſſet Cyneæ memorabile nomen.
Auſonium intraſſes Româ plaudente Senatum
Mitis,& hinc Regi,Patribuſq; hinc fœderis author.
Aut ſi te Phrygio Danaæ ſub littore claſſes
Vidiſſent,Danai tacuiſſent Neſtora vates.
Nec te quæ ſummum vario temeraria nutu
Largitur fortuna locum,ſed candida longè
Evexit virtus, humaniſque extulit aſtris.
Ipſe potens rerum,primo cui fata,bonuſque
Iuppiter, & melior tradit Fortuna Britannos,
Agnoſcit,laudatque tuas,patriæque,ſibique
Gratatur dotes,& jam nihil invidet aſtris.
Hic tecum hic magnæ partitur pondera curæ,
Sanctaque ſydereæ pandens penetralia mentis,
Tecum fata facit:ceu conſuluiſſe Tonantem
Credimus interdum ſtupefacti oracula Phœbi.
Nec quo belligeros patrii maris unda Britannos
Alligat,& geminum diſcriminat obice mundum,
Hoc laudes,nomenque tuum,famamque decoram

Fas hæſiſſe fuit;quam non incerta carinæ
Ventorumque fides peregrinis protinus oris
Detulit;ipſa procul Virtus ingentibus alis
Subnixam tumidi vexit per cærula Nerei.
Illa per occiduæ Tarteſſia littora gentis,
Per Rhodanũ,Ligerimq; volat,per clauſtra potentis
Naturæ,& gelidas emenſa eſt protinus Alpes.
Teque Orbis pars una colit,pars una veretur;
Miranturque omnes. nec te ſublimia tantùm
Pectora,vel celſi patientia lumina Solis,
Sed vulgus,rudibuſq; puer tremebundus ab annis
Cognoſcit.Te fœminei per longa ſuſurri
Compita,te faciles narrant per rura coloni.
Iam nova jam cupidi vota invenere parentes,
Nutricumque inſanus amor,cuniſque precantur
Quas toto preſſere ſinu,quas floribus augent,
Non Ithaci mentem,magni non robur Achillis,
Tithonive dies,ſed,parve,Cecillius oro
Sis,referunt,ſimilemque geras pulcherrime mentẽ.
O quoties primo cùm nondum Phœbus Eoo
Æquoreis abſceſſit aquis,jam turba clientum
Ante fores timidis laſſat tua limina votis?
Nec de plebe viri;ſed quos cultuſque,decorque,
Nataleſque volunt tumido conſurgere faſtu,
Et tantùm ceſſiſſe tibi.Tu fronte ſerenâ
Hos audis,iterumque illos:tantuſque loquenti
Tam mitiſque decor,precibus ſive annuis illis,
Sive negas,te ſemper amant;æquuſque repulſi,
Admiſſique animus. nec te quamquam undiq; curæ
Circunſtant, vigileſque jubent tranſmittere noctes,
Vidimus irato mutantem lumina vultu.
Par cunctis,ſemperque tibi.Sic omnia quamvis
In mare declives evolvunt flumina fluctus,
Hoc Nereum ſentire pudet,nec major in altum
Exurgit,fluviiſque,ſuaque capacior unda.
Nunc precor hos ſerves vultus,frontiſq; benignę
Dulce decus,cùm ſe tua noſter ad atria Phœbus
Siſtet,& ô teneris fac ſit fiducia Muſis.

Ad Illuſtrem fama ac genere Virum, Guilielmum Barclaium, *Parentem dulciſsimum*.

MAgne parẽs, quẽ ne pigra quæcunq; ſub Arcto
Aſtra nitent una credat ſtatione teneri
Mundus, ab æquoreis juſſit fortuna Britannis
Externo migrare ſolo, Lothariſque ſub oris
Pulchra Caledoniæ conjungere ſtemmata famæ;
Nondum lucifero curſum temone peregit
Phœbus, & omniferum coiit revolutus in annum,
Ex quo me patriis cingens mitiſſimus ulnis
Foviſti gremio, & quæ per ſuſpiria tranſit
Infudiſti animam, cùm me veneranda benigni
Principis ad patrios revocarent juſſa Britannos;
Et mihi jam longo te jam mihi ſæcula curſu
Invidiſſe puto. Quoties me dulcis imago
Sollicitat, blandoque trahit præcordia motu?
Quæ mihi cùm primâ tuleram de luce ſalutem
Verba dabas, quæ cùm poſt ſera cubilia ſolis
Sobria jungebat lætus convivia veſper,
Nunc redeunt, dulcique animos carpuntq; foventq;
Alloquio, quamvis totis nos cærulus undis
Dividat, & ſurdis Nereus interſtrepat undis.
At tu, ſeu placidam curis ſubducere vitam,
Et canos mulcere juvat, feſſoque ſub ævo
Laude frui, atque actos lætus reminiſceris annos,
Seu placet aſſueto multùm decurrere campo,
Quà te ſancta Themis, quà te mens ardua raptum
Impulit, & meritæ monſtravit præmia famæ:
Nunc certè vireſque, parens, primamque ſenectam
Incuſas, quòd te patriis procul amovet oris
Debilis, & noſtras vetat heu inviſere terras;
Et tibi quod terris, patriâ quod & amplius aurâ,
Iacobi negat ora tibi: plus ora cupita
Nempe tibi, quàm Sidonius læta aſtra videre
Optaſſet vates, trepidum cùm pulſa reliquit
Corpus, & in ſanctam fugit lux abdita mentem.
Si tamen hic tumidum, ſi fors tranſmittere pontum
Te jubeat, rurſuſque tuos luſtrare Britannos,

Non vires,non te ſpatium pontique ſolique
Terreat,atque omni ſpatio crudelius ævum.
O genitor,deſiſte queri;ſatis ille ſuperque
Approbat ingenium,corpuſque excuſat & annos.
Tu modò,ſeu dulces humanis Andibus agros,
Seu colis Auſtraſiam,quà multo colle Moſella
Vitifer inſerpens depreſſos egerit amnes,
Parce tibi;neu caſſa labor jam membra fatiget
Amplius;& meritis indulge mitior annis.
Ipſe velis natoque tuam ſervare ſenectam,
Conſortique tuæ,primis quam junxit ab annis
Fidus Hymen,qua te toties dixere beatum
Conjuge,qui tanto toties dixere marito
Auſtraſias inter felicem hanc eſſe puellas.
Si mores probitaſque placent;ſi præmia virtus
Accipit,Inachiam facilis,Lædamque,Europamque,
O non invideas Superis,unamque quod ultro
Quod facis,æternis obſerves ignibus Annam.
Hæc,tua ſeu placidi ſinuarunt carbaſa venti,
Seu fremuere undæ,gemuitque exterrita pinus,
Fida comes ſemper lateri,colloque pependit
Dulce onus, atq; animum nullo dejecta timore eſt.
Felices; ô quot patitur per ſecula vitam
Aſſyrius Phœnix,ſenii qui tædia tandem
Ignibus,& nimios nil territus exuit annos;
Tithono quot diva dedit,quæ lumine Solem
Advocat,aut vates Phœbum Cumæa popoſcit,
Tot vobis dent ſponte Deæ, queis jura ſeveri
Staminis,& nunquam vivaci membra ſenectâ
Exoptent laſſata mori.Si vivere certe eſt,
Dum nomen virtuſque manent,dum fama ſuperſtes,
Omnia perpetuâ vincetis ſæcula vitâ.
Tempus erit cùm vos prono veneratus honore
Amplectar,tangamque manus,atque oſcula figam.
Tunc ego de charis orſus narrare Britannis;
Tunc referā quid Rector agat;quàm frōte benignâ
Dignetur famulos,& miti temperet ore
Fortunā. quàm pulchra genas,quàm lumina ſancta
Majeſtate nitens noſtri matrona Tonantis;

Quàm tener,& parvis dudum maturior annis,
Creſcat in attoniti Princeps miracula Mundi.

Epicedion illuſtris puellulæ, Iſabellæ à Boſchoit, Nobiliſſimorum Conjugum, Ferdinandi à Boſchoit, & Annæ Mariæ à Zamudio, filiæ.

QVis mihi,quis Divum gemitus,& triſtia donet
Carmina? quis digno laxabit pectora queſtu?
O dolor!ô pietas!ô cruda exordia magnæ
Indolis,& nunquam lachrymis explebile fatum!
Non ego Cyrrhæas jam poſcere plectra ſorores,
Funereoſque auſim cantus;pro virgine parvâ
Nempe gemunt, poſitâque lyra turgentia plangunt
Pectora,nec vatem poſſunt audire vocatæ.
Nec te,cujus erat virgo hæc pulcherrima munus,
O Natura,vocem:nam ſi Natura valeres,
Non peritura fuit quâ tu exultare ſolebas,
Quā monſtrare Iovi, aut comitem ſpondere Dianæ.
Tune Iſabella peris? tantæ mors ſemina mentis,
Spes tantas inſana rapit? Natalia nondum
Quinta tibi pleno circum Sol egerat orbe,
Cùm meritis tranſgreſſa dies,terriſque relictis
Iuſſa ſubire polos,radiatis concolor aſtris,
Et nondum expertæ temerata cupidine vitæ.
Vera loquor?vel falſa ferunt inſomnia mentem?
Tu modò læta choris,tu ſimplicis ocia vitæ
Sancta trahens,ſemperque novo gratiſſima luſu,
Heu tumulos Iſabella ſubis?Quæ fulmina tantâ
Mole cadunt?noſtris quis ſic Deus invidet oris?
Ah memini, quanquā eſt ingens meminiſſe bonorū
Quæ fugere dolor:totieſque amittimus illa)
Ah memini(cùm tu veſtigia læta movebas,
Imperio citharæ,fidibuſque aſſueta canoris.
Tunc tibi de nudo nutabat vertice crinis,
Sponte decens,parvo collectus in aëra nodo,
Quà capitis ſtat ſummus apex.Hæc hæret imago,
Hæret adhuc,cùm blanda genas, cùm colla parentū
Cingere vix gemino poſſes conata lacerto.
Hoſpita tum cunctis (nam nondum conſcia formæ)

Vltrò ibas, ultrò dextramque & verba ferebas.
Vt decuit crebris agitantem jurgia verbis,
Promere nunc parvaſque minas, iraſque calentes,
Nunc etiam trepido culpam defendere vultu!
Quid tibi cùm tædas, ô inſons, auſa paciſci,
Inque dies mutare tuas? æqualibus ingens
Iam votum pueris, aſt uni debita cælo.
Sic ſocer ipſe fui, ſubito qui funere lapſam
Penè nurum lugens, nunc juſta hoc carmine ſolvo.
Quicquid erat, quo te ſtudiumque ætaſq; vocaret,
Miſta jocis, anniſque tuis, feſtoque lepori,
Semper erant, virgo, venturæ ſemina mentis,
Si finerent Parcæ, & rebus mors invida noſtris.
Sic ubi plena tument verno pomaria Sole,
Cùm vix primus honos ramis, cùm brachia tantùm
Summa virent, & opes nondũ ſatis explicat arbor,
Frondibus in mediis per ſerta nitentia ſurgunt
Purpurei flores, obnoxia germina ventis;
Speq; ſimul formaque placent; ah ſi invidus Auſter
Flaverit, exactâ pendet ſpes irrita formâ.
Vix tibi vix ætas puerilia vincula linguæ
Solverat, & notæ commercia jungere vocis,
Heſperiis, Galliſque, procax, flaviſque Britannis
Iam poteras, Rhenique feras cernentibus undas
Miſceri pelago, quà littora turbidus intrat.
Te multùm maternus Iber, te Belgica tellus
Iactavere ſuam; te læta Britannia parvam
Excipit, atque ſuis vult annumerare puellis;
Dum tuus à magno Legatus Principe noſtrum
Incolit hîc genitor Tameſim, gratiſſimus hoſpes.
Hîc finem tibi fata dabant, hîc exitus ævi
Externa regione fuit: nec tarda peregit
Mors facinus. quanquam ſæva eſt atq; inſcia flecti,
Te tamen hæc lento timuit torquere flagello.
Lucifer is primùm qui te mœſtiſſimus ægram
Aſpexit, virgo, ſerâ cùm nocte rediret
Heſperiis invectus equis, tibi molle recidit
Stamen, & æthereas raptam deduxit ad oras;
Matris ab amplexu raptam, cui frigidus hauſit
Ora

Ora dolor,ſimiliſque tuæ,pulcherrima,morti.
Quæ facies tectis,quàm diſcors pectora luctus
Vertit,ubi heu ſenſim vacuos lethalis in artus
Venit hyems?nunc muta domus,nunc horrida fletũ
Tollit,& alterno pietas accenditur æſtu.
Stat Pater attonitus;ceu quos Deus igne coruſco
Terruit,& ſubitis libavit fulminis alis.
Incertuſque ſui, lachrymas nunc ille ſevero
Ore tenet,nunc clade minor ſe cœtibus aufert,
Et gemitus ſolvit,ſecretaque verba profatur,
Quæ potuit dixiſſe pater, pater orbus,& ipſis
Conqueritur fatis,nec curant fata querentem.
At miſera interea genitrix ſua pectora plangit,
Et fruitur luctu, gnatæque inſtrata tepenti
Conſumit lachrymas,miſerandaq; murmura volvit.
Heu quoties quotieſque feros prohibere dolores
Aggreditur conjux?quoties prohibere parantem
Idem ardor flendi juſtique inſania luctus
Frangit,& inceptis tollit conamina verbis?
Vt tamen hic primùm miſeris deſæviit ardor,
Et ſubiti poſuere æſtus, tunc pectora cœlo
Tollit uterque parens,indignatique dolori
Exorant veniam:nec enim decreta ſeveri
Sollicitanda poli;ſanctum Deus æthere celſo
Quicquid agit,quæcunque ſolo dat fata trementi.
Tunc in ſe rediere ſimul,tunc corde recepto,
Conſenſere Deo. veluti cùm montibus altis
Præcipitem Boream ſubitus furor intulit orno.
Illa quidem primùm nutans,flectitque relictas
Improviſa comas,mox celſior æthera totum
Occupat,& vanis ſeſe objicit æmula ventis.
Sic planctus poſuere feros,ſic fortibus auſis
Pugnavere malo. ſed ſe meminere parentes
Interea,& juſtos gemitus natura reliquit.
Nox erat,& mœſtis lachrymæ fecere ſoporem;
Cùm tu flammigeris virgo jam celſior aſtris
Gaudebas invecta polo:jam ſpernere terras
Dulce tibi,atque artus vitâ meliore caducos.
Sed tamen & caros multùm miſerata parentes,

Protinus

Protinus in terras & nota cubilia tendis.
Agnovere ſuam,luctataque brachia ſomno
Amplexus petiere tuos;mox territa,cœptis
Abſtinuere ſuis.Stabat namque ardua fronti
Majeſtas Iſabella tuæ.Te mente pererrant,
Attoniti,timideque petunt conjungere dextram.
Major eras;alio radiabant lumine vultus;
Et nitidi crines,& de cervice decorâ
Palla fluens,latè veſtigia tota tegebat.
Et tandem ſic viſa loqui:Deponite curam.
Vivo equidem:& quod vix ætas matura dediſſet
Ingenium mors læta dedit. puerilia liqui
Syderibus jungenda meis. nova membra,novoſque
Induimus ſenſus:vile eſt quodcunque videtis.
Sunt alii Soles illic,nova ſemper in aſtris
Gaudia,divini nunquam faſtidia vultus.
Et niſi quòd noſtras tetigiſtis luctibus aures,
Iam terras oblita fui.Si filia vobis,
Si placui,noſtris læti gaudete triumphis.
Nempe dedit fatum pro raptis æthera terris.
Quid mihi tale dares,genitor,tuque optima mater?
Certè ego jam veſtro poteram de ſanguine gaudens
Egregios numerare patres,& nota per ævum
Nomina,Belgarum proceres,& gentis Iberæ
Stemmatibus complexa meis;me regia proles
Inter honoratas potuit legiſſe miniſtras,
(Et legiſſet enim) generum matura dediſſem,
Forſitan & parvos utero felice nepotes,
Atque alias mox inde nurus.Hæc gaudia vobis
Promiſit de me cupidis ſpes irrita votis.
Fac Parcas voluiſſe meas;quàm miſta ſeveris
Illa malis eſſent,quàm non ſincera voluptas!
Aſt ego ſecuris ſuperans mea ſydera votis,
Nunc àlias tædas,alios meditabor honores,
Perpetuùm virgo,& nunquam marcente juventa.
Major ego ſceptris (abſit mihi livor) & ipſis
Major ego queis me famulam fortuna dediſſet.
Cœli tecta colo;paribus jam miſta puellis
Semper ero,ſemper magno vicina Tonanti,

Iam ſecura mei,jam veſtris anxia rebus.
  Sic ait,inque polum liquido mox rapta volatu,
Amplexus non paſſa redit,poſtque omina tanta
Deſerit haud mœſtos & nox & cura parentes.

Ad Lectorem benevolum.

SCias,Lector,quædam ex his quæ hîc dedi Poëmata,cum defunctis,tanquam cum adhuc viventibus loqui. Nam & Poëma in Illuſtriſsimi Principis Henrici *gratiam extruxi, cùm adhuc incolumis eſſet; etiam in illius ſummi viri,Comitis Sarum;& celeberrimi ſuaviſsimique mei parentis: quos jam à nobis raptos, injurioſum fuiſſet ab hac editione eximere; ſuperſtitioſi etiam animi, ea ſic aptare quæ de ſpirantibus ſcripſi, ut poſsint mortuis convenire. Alioqui vel ſingulis penè editionibus obnoxia Poëmata erunt; vel ſaltem poſt ſeculum (quod certè longævorum hominum vitam definit) intempeſtiva, ſi ſermoni poſt eorum obitum cum quibus eſt habitus,durare non licet. Vale.*

IOANNIS BARCLAII
POEMATVM
LIBER SECVNDVS.

Corydon ad Autumnum: cùm Phœbum ſuum eâ anni tempeſtate ægrum videret.

POmifero Autũno, cùm jã gravis annus in atras
Effuſus nubes languenti incumberet Orbi,
Palleretque dies,& rector lucis Apollo,
Sollicitus Corydon pro tanto numine dixit:
  Pomifer,emerito qui nunc Autumne ſub anno
Vltima ſolicitis promittis dona colonis;
Seu prope maturis aſpiras mitior uvis,
Seu ſpem ſeminibus venturi concipis anni,
Exaudi,quamquam non multo thure vocantem,
Sed tenui calamo. nam quid mage paſtor habebã?
Ecce meus triſti pallens in turbine Phœbus

Nube ſua noſtrum terret nil territus Orbem.
Non hoc bruma nefas (quamvis albentibus horrens
Illa comis, raucoque nihil placabilis Auſtro)
Non tumidi tantum conata audacia veris;
Aut quæ flammigeris æſtas ſua crimina poſſet
Aſcripſiſſe feris, quarum hæc latratibus amens
Perfurit, illa ſuos rugitibus incitat ignes.
Solus in hoſce metus, in tanta piacula ſolus
Sufficis, ô aliis potius dignande trophæis.
Triſtis humus; triſti languentia ſydera cœlo;
Nec placidi fluctus. Quærunt nunc omnia Phœbũ.
At tu illum thalamis, ægrique in liminis umbra,
O Autumne, tenes. qualem ſibi Luna nitenti
Axe ſuperſtantem mirantibus eripit arvis.
Cerne per attonitas pallentia lumina gentes,
Cerne graves vultus, atque ora jacentia luctu:
Sic populos vidiſſe juvat? Si deſit Apollo,
Qualis erit tellus? quæ ſub caligine tanta
Heu virtus durare queat? Non tempora paci
Iuſta bonæ; Marti deerunt ſua jura cruento.
Fas, leges, raptoſque deos nox obruet una.
Quodque omnes latè referat ſub Tartara gentes,
Vnum funus erit. Redde ô ſanctiſſima Phœbi
Lumina, & hos etiam triſtis reverere timores.
Sic ô lenta tuas decerpant flamina veſtes,
Sylvaque non prima nudet ſua brachia bruma.
Et tibi magna ferant certantes vota coloni.
Sæpe tuum cernas vino maduiſſe recenti
Limen, & haud flavâ tibi ſit minor ara Minervâ.
Quid facis? exaudis gemitus? an durus, & ipſe
Crimine fortè tumens, poſſis quod tanta nocere,
Has ſpernis violente preces? Extinguere Phœbum,
Ne credas, non ſæve potes: ſed luce ſerena
Hunc monſtrare ſolo, paulumve recondere nube,
Fata dedere tibi. regnorum ea ſumma tuorum.
Quod niſi jã mœſtis properas hunc reddere terris;
Fœdus aqua rumpente vias, caligine longa
Triſtis eas; ſed non depreſſis ſordidus uvis.
Nam neque muſta fluant, nec baccâ pingue ſolutâ
Luxuries

Luxuriet Pallas, ne quid tibi debeat annus.
Dum ſævit, mutatque preces in jurgia paſtor;
Interea exierat madidi de turbine nimbi;
Splendidiuſque nitens , Autumni munere nullo,
Ipſe ſuis Phœbus ſiccaverat æthera flammis.

Armilla, à Melidoria donata.

ARmillâ Melidoriæ revinxi,
Quam dono Melidoriæ tenebam,
Felicem nimis ô nimiſque dextram.
Tum manum lepidam manumque charam
Tum dixi quoties, beatulamque,
Et quas blanditias ſolent amantes
Suæ dicere dexteræ, revinctam
Si quando ſimili vident corona?
Armillæ tamen hujus haud ſciebam
Quas ſenſi modo ſentioque vires.
Illâ ſive meum ligo lacertum,
Cor eſt protinus in meo lacerto;
Seu longa colo baſiatione,
Et hærentibus imprimo labellis,
Iamjam cor fugit ad meum labellum,
Et mutum prope deſerit labellum,
Et tandem puto deſeret, fugamque
Illam morte luam. En meos per artus
Iam mors labitur, horridumque frigus.
O noſtri decus ô Puella ſecli,
Exaudi gemitum, ultimamque vocem.
Poſtquam menſque animuſque de labello
Meo fugerit inſcius redire,
Armillæque tuæ inſidens vigebit,
Ah plus pectore quam meo vigebat;
Armillam recipe hanc tuam, Puella,
Et dextra lepidam, aut ſinu reconde.
Tunc felix animuſque corque totum
Armillam quoque tunc puto relinquet,
Vt poſſit ſinuive dexteræve
Tuæ protinus inſidere, Virgo.
Sic quæ vita mihi antehac fuiſti,

Sic jam mors eris,& ſinu benigno
Præbebis tumulum, ultimamque ſedem.
Hoc mortis precio,ut mori juvabit!
Et vilis mihi ſponte ni recedat
Vita,ac me ſinat hanc obire mortem,
Vt nihil minus ah peribo vivus,
Et vitam tumulum hunc ſubire cogam!

De Melidoria

QVid tantum pereo (dii deæque,)
Quid tantum pereo,& valet,vigetque,
Propter quam pereo (ô Dii) puella?
Cur valet Melidoria (ô Amores)
Et veſtras quoque deſpicit ſagittas,
Et quæ pectora ſauciant ſagittæ?
Si permittitis hanc abire inultam,
O Dî,jam periiſtis,ô Amores.
Exemplo nocet hæc nimis nimiſque.
Hæc eſt imperii ruina veſtri.
Dicebam hæc Veneri,Cupidinique,
Et movi Venerem,Cupidinemque.
Sed vides mihi faſciâ ligari
Capta lumina,rettulit Cupido.
Incerto vaga ſpargo tela jactu:
Hinc errant juvenum improbæ catervæ;
Hinc amant temerè,aut amare nolunt.
Vis pectus feriam hoc tuæ puellæ,
Quod tu frangere non potes gemendo?
Tolle vincula;liberis ocellis
Vt certam modò deſtinem ſagittam.
Sic dixit Puer,& manu parabam
Vinclum tollere candidis ocellis,
Vt cerro queat imperare telo:
Cùm me mens bona,ſeduluſque terror,
Incautam jubet abſtinere dextram.
Noſtran' ô operâ exuas tenebras,
O fallax Amor,ô procax puelle?
Certè ſi videas meam puellam,
Vret te tuus ignis, hanc & ures
Tibi,perfide,non mihi,Cupido.

Ad

Ad Sereniſsimum Daniæ Regem Chriſtianum I V. *cùm ex Angliâ ſolveret.*

O Quem magnanimi tellus Mavortia Cimbri
Vix patriâ abreptũ, vix littora noſtra tenentẽ,
Iam revocat, Regemque ſimul, Patremque fatetur,
Egregio devota metu; quid gaudia tantùm
Vt tollas, radioſque breves, heu parce dediſti?
Quò tantùm novus hoſpes abis? Iam concita claſſis
Nabit, & à noſtrâ curres per cærula ripâ.
Sed ſi digna precor, novitque Britannia juſtos
Exorare deos, obſtet tibi fluctus eunti;
Languida non ullis tumeant tua lintea ventis;
Puppis abire neget. Tuque iſti ô Maxime voto
Sponte fave, Princeps, auraſque audire recuſa,
Heu ſi vela vocant. Nam quid tibi ſpondeat Orbis
Dulcius? & noſtris potior cur Cimbria terris?
Hîc tibi certè ingens Regum terrorque, decorque,
Hîc ingens tibi frater adeſt, hîc oſcula jungit
Chara Soror, cupiduſque innectit brachia Princeps.
Quòd ſi tantus amor patriæ, ſi Cimbria nobis
Invidet, & numerat promiſſas anxia luces,
Hanc precor hanc toto cuſpis Neptunia fundo
Vellat, & in noſtri ducat confinia ponti;
Aut tecum medios jam læta Britannia fluctus
Naviget, & Cimbris jungat ſua littora campis.
Nec ſuperant mea vota modum. Miracula mundo
Iamdudum majora datis, vos lumina rerum,
Vos gemini Reges, geminataque Solis imago.
Non tantum Occiduas Eois jungere terras,
Non tantum eſt mutare ſolum, ſolidoſque receſſus
Frangere, non certas cœlorum evertere leges,
Quàm Regum firmare fidem, quàm jungere mẽtes,
Parque aliud veſtri miranti oſtendere mundo.

In Obitum Illuſtriſsimi Principis, Ducis Aurelianenſis, Chriſtianiſsimi Regis Ludovici XIII, Fratris.

O Modò parve puer, nũc ſydus in æthere magnũ,
O modò parve puer, cur te properantia fata
Eri-

Eripiunt terris? melius quam tollere dona,
Non donaſſe fuit. Piget ah ſperaſſe, pigetque
Læticiæ, quam Parca dabat non omine recto,
Sed tantum in noſtros ut gaudeat impia luctus.
Ceu jubar Eois nitidum cum ſurgit ab undis,
Ceu cum florigera pubeſcit germen in Hybla,
Si Boreas florem, Phœbum ſi præcipit imber,
Sic cadis, alme Puer, ſic expirantia triſti
Lumina nube tegi, qui non gemuiſtis Amores!
Progenies Regum, primis matura ſub annis,
Ah nimium jam digna polo, mens inſcia curæ,
Et noſtris ſubducta malis, & funere felix,
Si modo non audis illic lamenta tuorum.
Progenies Regum, numero jam lilia deſunt
Terna ſuo. Cernis mœrenti purpura cultu
Vt fraterna gemit, nec ſe regit Inclyta Mater,
Et circum injuſſæ plangunt ſua pectora turbæ?
Has tamen ô ſpernis lachrymas, nec ab æthere celſo
In corpus remeaſſe velis. Tune ergo ſerenus
Vt niteas cælo, lachrymarum hic tingimur imbre?
Quæ precer heu! quæ digna precer, populoque ge-
Læticiæq; tuæ? Ne mors rurſum audeat ulla (menti,
Hoc domui præſtare tuæ, raptamque ſub auras
Ferre polo, populiq; pios confundere vultus.
En rata vota tuli. Tuus en per ſæcula Frater
Noſter erit, fruſtra aſtra volens, fruſtra ardua cernēs,
Et patriæ æternum ſceptris damnabitur oræ.

Ad Camellam.

O Tam ruſtica, tam Puella turpis,
Quam te pellepidam, ô puella, credis;
O ô purpureo invenuſta naſo,
O cujus tumet hoc & hoc labellum,
Vt quæ per Libycam æſtuant arenam;
Cur tot nomina veſtium ſuperbis
Aptas pectoribus? quid illa gemma
Quam rubris tremulam inſeris capillis?
Sic fucum facere, ô Camella, credis?
Sic te ſic tegis? ô Camella, peccas.

Quiſquis

Quiſquis te aſpicit, improbamque pompam,
Diî perdant, ait, horridam puellam,
Quæ iſtos polluit haud miſerta cultus.

In Eandem.

MAnè dum thalamo egredi volebam,
Incautus ſuperum inferumque limen,
Heu frontis tetigi, & pedis ruina.
Turbato mihi, primus inter omnes
Occurrit rigido Æthiops capillo.
Reſpexi miſer, horruique cernens
Dextra fulgura, dexteras volucres,
Et lævum nihil eſſe præter omen.
Nec fatum modo ſimplicemque mortem
Diî portendere tot minis volebant,
Sed quiddam gravius ſeveriuſque,
Heu ſævi mihi! Nam Camella turpis,
Quam non vel puto videram per annum,
Occurrit mihi territo, procaxque
Poſt tot tempora baſium popoſcit.

De Auguſto.

QVæ domus Auguſto jucundi conſcia furti
Præbebat tacitæ ſedulitatis opem;
Dum cupidum laſciva tenet, dum gaudia jungit
Heu propè ferali non bene tuta thoro;
Nocte ſub horrenti quantos dedit uſta timores?
Stridulus ut fumos ignis in aſtra tulit?
Seu fortuna fuit, ſive hæc injuria fati;
Sive ignis nimio Regis ab igne fuit:
Iam propius propiuſque malis allabitur alis
Peſtis; eunt tota murmura ſæva domo.
Ille ignem,teſtemq;timens,fremituſq; propinquos,
Frigidus è thalamo membra calente rapit.
Talis ab Iliacis ſurrexit in arma favillis
Æneas,monitis,Hectoris umbra, tuis.
Talis ad Ætneos multum ſtupet inſcius ignes
Advena, cum ſubitis mons rubet ille focis.
Nec menti ſpatium,nec mens ſatis apta timori;
Quæ rapere intrepidos ſuevit in arma gradus.

Sic confuſus erat, Danais ceu navibus Ajax,
Cùm fugeret magnum territus igne Iovem.
Nec ſibi jam latum curat circumdare clavum,
Prætexto tumidos nec legit orbe ſinus.
Sed malè ſuccingit medium velamine corpus.
Sic properat nudam præcipitare fugam.
Dumque ignes homineſque fugit, veſtigia cœnum
O pietas! fœda fortè fefellit aqua.
Procidit in curva majeſtas tanta lacuna,
Quique viam faceret,non ibi lictor erat.
O Superi, dixit, cur me duo numina torquent?
Sit ſatis heu undis, vel ſatis igne premi.
Sit ſatis, invidiam tantæ heu quod turbine flammæ
Lemniaci luimus Marſque Venuſque dei.

De Chloë, & Nape.

BEata quondam Principis luxu Nape,
Dum totus ardebat Napen;
Poſtquam juventus atque Princeps deſerit,
Ah ah dolet lepidam Chloen
Illis calere Principis complexibus,
Opulenta carpentem oſcula.
It torva in iras, & placet ſæva manu
Hanc vindicare pellicem.
Ferro cruentas talis in bello ſolet
Aperire Amazon ſemitas.
Vt ergo abibat vecta quadrigis Chloë,
In hanc ferox Nape irruit;
Et ipſa totidem nempe ſublimis rotis;
Equeſtre ſic fit prælium.
Effunde habenas, dixit aurigæ Nape,
Ah vix ſatis potens loqui.
Effunde habenas, & Chloës currum obrue.
I, bella felix incipe.
Auriga paret, & Chloën curſu petens
Committit axes axibus.
Conſiſtite axes; ſi quis è vobis cadet,
Prægrande humo dabit malum.

Proh

Proh Rex Cupido! quis fuit vultus Napes
  Chloën videntis? quis Chloës,
Ictum trementis quem facit currus Napes?
  Quis illa pictor finxerit?
Arguta verba non diu tulit furor,
  Ad arma proſiliunt ſua.
Iam ſciſſa ſparſis ora livent unguibus,
  Iam tunſa fervent pectora.
Scrutantur oculos, atque ſuggeſtum comæ
  Alterna rabies deſtruit.
Hinc ſe flagellis prorſus aurigæ terunt;
  Hinc ſe miniſtræ vellicant.
Hæc paria Romæ nullus ædilis dedit,
  Quæ dat Venus Alexandriæ.
O ô ſeveris natus auſpiciis dies!
  O ô cruentum prælium,
Ex quo his miſellis fœminis ſuperfuit
  Nihil pudici ſanguinis!

Ad Phœbum.

DVm patriã repeto, Phœbi dum tecta relinquo,
  Tecta per auratos ambitioſa gradus:
Quid facio demens? patriâ meliore carebo.
  Nunc ero fallaces Tantalus inter aquas.
Exul & in patriâ, patris in complexibus orbus.
  Hei mihi læticiæ triſtia verba meæ!
Tu tamen ô facias, ô qui potes omnia, Phœbe,
  Spes mihi longinquas leniat apta moras.
Friget ut hæc æſtas te pallida Phœbe remoto;
  Proxima ſic caleat ſydere bruma tuo.

Ad Megadorum.

MEgadore felix, ô tui ſecli decus;
O parce ſi quod ſponte conſilium fero.
Audemus omnes ſapere. vulgus curiam
Intravit omne. parce ſaltem ſeculò.
Megadore felix, conjugem gnato tuo,
Tuæque nurui quòd virum jungis, ſat eſt.
Quid cum trecentis hi trecenti conjuges

Tuum puellis obſerant palatium?
Cur facis in unis nuptiis tot nuptias?
Grateſne quæris?certius donum para.
Ambigua ſors eſt. fortè pervorſum cadet.
An vota poſcis?vota plus juſto dabunt.
(O abſit omen.fata nec ratum ſinent.)
Pars media felix ut ſit horum conjugum,
Iſtas trecenti devovebunt nuptias.

In Camellam.

SI credis mihi,non,Camella,vives.
Nam quid te juvat his Camella terris?
O ſi vel laqueo horridam placebit
Vitam ponere,vel placebit undis
Corpus perdere non prius lavatum!
Quos cultus tibi poſteri rependent!
Vt es funere tunc futura felix!
Ceu Phœbe dea perfidi veneni
Multùm Theſſalio invocatur agro,
Ceu furtum ſibi,ceu procax libido
Finxit Numina,præſideſque divas;
Sic templum tibi,ſic ſtruentur aræ.
Sic eris dea turpium,Camella.

In eandem.

HÆc eſt hæc ſpecies meæ Camellæ.
In latum gravibus toroſa membris
Orbem panditur,eminenſque cervix
Craſſo tubere deprimit ferentem.
Eſt corpus breve;nec putes nigellum;
Nam viret magis is color,nec impar
Baccis Palladiæ arboris vetuſtis.
Lumen purpureum,aureique dentes;
Labra pinguia,pinguiorque mens eſt.
Nec eſt cortice levior puella.
Dî concedite nil nimis petenti,
Vt qui me oderit,hic amet Camellam.

Epiſto

Epiſtola leporum Neumarchienſium ad Regem.

HOs leporum fugitiva cohors, Neumarchia rura
Qui colimus, nullis nemorum ſecreta tenebris,
Hos tibi Rex verſus nos ſcribimus. accipe lenis;
Accipe quo vultu canibus gratantia verba
Dicis, & heu noſtrâ mulces à cæde calentes.
Quod noſtrū innumeris decrevit mortibus agmē
Te coram, & multo pingueſcunt ſanguine terræ,
Non iras hoc poſſe canum, ventoſaque crura,
Roſtraque captatis credas latrantia ventis.
Sunt campi, ſpatiumque fugæ, celereſque timores,
Et ſemper mortiſque pavor, vitæque cupido.
Sed fugiſſe piget; dulce hæc in funera naſci,
O Princeps, avidoſque canum per viſcera morſus
Ad nutus ſubiiſſe tuos. Te Maxime Regum,
Te ſeu prima domus ſurgentis ad æthera lucis
Senſerit, occidui ſeu ſera cubilia Phœbi,
Submittent tibi cuncta caput, te cuncta rogabunt;
Cuncta Caledonio concedet purpura ferro.
Ergo ille ô cujus magni ſub pondere nutus
Inferior Natura pavet, trepidique Tyranni,
Ille etiam noſtras dignatur viſere cædes!
O Superi, jam fata placent, nec nobile lethum
Effugiſſe juvat. Iam ſic peregrina ferarum
Turba perire velit, gregibuſque accedere noſtris:
Quaque per abrupti potis eſt divortia ponti,
Littus in hoc obliqua tuens, ô Inſula, clamat,
O felix, quâ ſunt tanti ſub Numine Regis
Tum dignæ cecidiſſe feræ, tum vivere gentes.

Ad Melidoriam.

OMni durior, ô puella, ſaxo,
Omni ſurdior, ô puella, ponto,
Quam dudum timet æmulus Cupido,
Ingemens miſer has bonas ſagittas,
Quas de laurigera exigit pharetrâ,
Attonſas lateris tui ſeverâ

Heu heu duritie obſtupere, virgo;
Quid tè fingere pergis innocentem,
Quæ cædis titulum indies recentis
Quæris improba?quid ferox triumphas?
Quid faſtidia tam cruenta promis?
Hos hæc laurea non decet capillos.
Heu quot per Stygias vagantur umbras
Præcoces animæ,tuamque narrant
Illis Iudicibus ſeveritatem,
Quos dicunt hominum,puellarumque,
Subter Tartara vindicare faſtus.
Et fors hi quoque Iudices amarunt,
Et poſſunt miſereri,amantiumque
Ire funera ſic inulta nolent.
Fac ſis aſpice,ſi cupis ſevera
Illa numina mitigare,virgo.
Vides me ſtygia in ſecreta ferri
Magno vulnere quod mihi dediſti.
Nunc mî blandior,aut minus ſevera,
Fac ſolatia fac precor cadenti;
Vt jam cùm moriar tuis reſiſtam
Procis qui periere,dîſque dicam
Illis Iudicibus ſeveritatis,
Omni dulcior eſt puella melle,
Omni ſydere blandior puella,
Omni durior,obſtinatiorque
Quæ quondam fuit heu puella ſaxo.

De Eadem.

DIcebam Veneri,Ecquid hic tenellus
Circum lumina faſciam revinxit?
Ecquid,Cypria,tam bonos ocellos
Hoc velo tuus obruit Cupido?
Cùm triſtis Dea ſic referre cœpit:
Rex quondam fuit hic meus Cupido.
Hunc Regem decor,hunc nitens venuſtas,
Lepos,deliciæque,gratiæque,
Hunc omnis coluit juventa Regem.
Tum frontem nivea ambiit tiara;

Nec

ſec dextræ ſua ſceptra defuiſſent,
'i dextrâ rapidum obtineret arcum.
ic dum luxuriat decorus ille,
'erras, ſydera, territans regenſque,
h fors incidit in tuam puellam.
lic ſubſtitit, invidoſque vultus
ut irâ miſer, aut pavore tinxit.
'eu vinci prius inſcium puellum!
'am cùm ſe domitum imparemque ſenſit,
t vultus nimis intuens decoros,
amnavit ſua labra purpuramque;
deſte ô tenebræ, ô adeſte, dixit;
ic ſic mergite jam meum pudorem.
altem ne mihi quis malus videnti
nſultet deus, aut puella victrix.
ic dicens, niveâ improbus tiarâ
elat lumina, turgidoſque luctus.

Oſtenda capta.

ˆ Cena ferox pugnæ, longi domus ardua belli,
Dumque diu incerti fervent divortia cœli,
is inſana deûm, non primi fulminis alis
andem feſſa premor. queſtus iramque ſiniſtri
onite cœlicolæ; captivo in pulvere verſo
elliquias triſtes. necdum audet credere victor.
ui tamen heu populi, qui non ſenſere cadentem?
ollegi quacunque viros, & funera ſparſi.
efuit incolumi nomen. nunc addita magnis
rbibus, & Phrygiæ miſerabilis æmula famæ
lade meâ vivam. Non eſt non vivere tanti.
t fatis pugnaſſe meis: placet ire ſub umbras,
um jam terra deeſt direpta furentibus undis,
ggeribuſque meis, tumulisve inſumpta meorum.
ec queror exitium, ſic ô feliciter icta
uòd potui texiſſe viros. Non gloria deerit
uic tumulo, & ſeſe multi ſupereſſe querentur.

Oſtenda in M. Germanum, qui eam incondito & maximè obſcuro verſu luxerat.

CVm me ſydera, fata, flamma, ferrum,
Vno vulnere prorſus occupaſſent,
Dicebam, nihil amplius timendum eſt.
Non eſt vulneribus locus ſecundis.
Sed proh ſydera! proh ferax malignæ
Sortis ingenium in meas ruinas!
Reſtabat mihi maximum malorum;
Reſtabat (miſerum!) malus Poëta.

Cùm idem reſpondiſſet ſub perſonâ Oſtendæ querentis, ne ſibi quidem planctum per nos liberum eſſe, hanc Elegiam extorſit.

QVis prohibet planctū? tibi fas, Oſtenda, dolere.
Fas tibi funereos ore ciere modos.
Non deerit tibi mortis honos; non gloria buſto;
Perge libens; laceras nunc quoq; ſcinde comas.
Scinde comas, & juſta tuis ſuſpiria mitte
Manibus, heu tantis inferiora malis!
Et quamvis ſileas, totus tamen aggemit Orbis,
Siccaque vix etiam lumina ſervat Iber.
Mox etiam Heroas facies, nova fabula mundo;
Fecit ut Ogygius, Pergameuſque labor.
Quæque tuam ſero lux obruet ultima famam,
Hæc reor humanis ultima rebus erit.
Queis ſubſidet humus, quos ingens hauriet æquor,
Clamabunt ſimili ſe tibi clade premi.
Cumque ferox populos exuret Seirius, illo
Oſtendam, dicent, perculit igne lues.
Nec vetui fletum; ne perge inceſſere crimen.
Mitior in noſtro pectore ſenſus ineſt.
Nil ego queſtus eram, niſi quòd ſub clade recenti,
Tu veteres mavis ambitioſa ſonos;
Queis Turnum Euander devovit, & horrida Troas,
Cùm jugulum vittis fregit Amata ſuis.
Hæc fera cum duris perierunt ſecula verbis.
Quid facis? extincti quid tibi moris ineſt?

Fallor

Fallor ego?an moriens umbrarũ aſſueſcere linguæ
Incipis,& Stygii diſcere verba fori?

De Melidoria.

NOn eſt hæc mihi res moleſta non eſt,
Quòd Phœbus ſimul,& ſimul Poëtæ,
Tentant omnibus expedire plectris,
Quo vultu dea,quàm decora venit
Monte ſub Phrygio,æmulaſque divas
Vicit Cypria;vel Diana qualis
Seſe fontibus abluit beatis.
Quis pulchræ nitor oſculumque divæ,
Cùm ponit galeam,ægidemque Pallas,
Et ſe mitibus addit una Muſis.
Quas Aurora comas,comaſque Iuno
Effingit tepido erudita ferro;
Dum quærit Cephalo hæc probare formam,
Suſpectum colit illa dum maritum.
Illis amplius ampliuſque rebus,
O Dî,nunc mihi nunc opus relictum eſt,
Intactum omnibus,ô Dii,Poëtis;
Vt lumen Dominæ meæ,oſculumque,
Tentem audacibus expedire plectris.
Hæc dum proloquor audiit Cupido,
Et riſit petulans,tenellulaſque
Ad plauſum quoque convocavit alas:
Et ſimplex nimis ô nimiſque,dixit,
Intactum omnibus hoc putas Poëtis,
Quod non de numero hic vel ille vatum,
Sed Phœbus ſimul,& ſimul Poëtæ,
Tentant omnibus expedire plectris?
Namque concinere aut meæ parentis
Vultus,queis Phryga judicem tenebat,
Aut qualis liquido it Diana fonte,
Quàm pulchræ nitet oſculum Minervæ;
Cùm ſe mitibus addit una Muſis;
Quas Aurora comas,comaſque Iuno
Effingit tepido erudita ferro;
Non eſt non Dominæ hoc tuæ lepores,
Non eſt hoc Dominæ expedire formam?

Tumulus præclaræ virginis T. M.

SIſte,viator,iter;cernis lachrymabile buſtum.
Aggeme:ſic nullis cauſa doloris eas.
Virgo quater quinos nondum ſuperaverat annos,
Quam tegit hîc molli pulvere triſtis humus.
At mors hanc,animis metita capacibus annos,
At mors hanc nimium cæca putavit anum.
Dum ſocias inter caſtis vacat illa choreis,
Exultantem animam febris iniqua tulit.
Quid flet uterque parēs, & quid nos flemus amici?
Anne quòd æthereo pulchrius axe valet?
Forſitan & fatum,promiſſaque funera cernens,
Cygnæo voluit funere læta mori.

Vota modeſta.

DA mihi thura puer,tu vates concipe verba.
Nam facimus patriis hæc pia ſacra diis.
Eſte procul,ſi quos ſontis mala crimina vitæ,
Aut occulta jubent vota timere deos.
Vota fero coram;rata vos hæc eſſe jubete
Cœlicolæ, ſi non invidioſa peto.
Magna precum pars eſt,ſtem veſtras purus ad aras.
Sit mihi præcipuus vos coluiſſe labor.
Hoc mihi ſit ſanctum quicquid coluere parentes,
Et damnare ſuos mens mea nolit avos.
Anxius haud quæram cur terris ſordida virtus,
Et ſceleri pretium,nec tonet igne polus.
Non me ſollicitet tantæ ſapientia molis.
Nil facit ad mentem cura ſuperba piam.
Sit pacata domus;felix cum conjuge proles;
Nec ſuperent cenſus pignora chara meos.
Nullus amicitiæ divino nomine fallat;
Nullus amicitiam per ſua damna luat.
Ocia non judex,non tollat turbidus hoſpes;
Ocia Caſtaliis quàm benè danda choris!
Non me divitibus mentiri cogat egeſtas,
Laudibus & miſtas inſeruiſſe preces.
Sint ſomni faciles, quæ nunquam fœnora rumpant:
Fida cohors longos non ſinat eſſe dies.

Sint

Sint hilares menſæ;nulli ſine conjuge riſus.
O Dî!ſed me hominem ſim tamen eſſe memor.
Ne cupiam, timeamve mori,ſint gaudia ſemper
Miſta malis;ſed non hæc mala longa nimis.
Sit ſenium felix;quod cùm fata ultima ſolvent,
Fama meæ reſtet non violata lyræ.
En ſatis eſt,placui Superis;ſic flamma refulcit,
Et crepuit puris laurus aduſta focis.

Genius novæ Baſilicæ ad venalia mercimonia extructæ
LONDINI.

SVm recens deus ædium recentum,
Et natum modò Numen,ô viator,
Quod natas modò porticus tuerer.
Ergo fraus vetus,& vetus Laverna,
Et tu fronte puer,vetus Cupido,
Qui merces malus inter æſtimatas,
Vendentes etiam æſtimas puellas,
Hinc abſiſtite,dum recente curâ
Horum,qui poſuere me,domumque
Sacram Mercurio,integræque menti,
Pudentem bonus ordior juventam.
Fors cùm ſæcula deinde multa,ſaxis
Iſtis,mîque alios dabunt colores,
Corrumpar quoque fraudibus vetuſtis;
Pareſque ingenio & pares ſenectâ,
Vos in hoſpita tecta tunc vocabo.

In Camellam.

GAudete ô Superi dii deæque,
Gaudete ô medioximique & imi,
Et quotquot faciunt deos Poëtæ;
Et tu præcipuè beata Clio,
Tuo numine protegens Poëtas.
Nunc irata mihi eſt ferox Camella,
Iam non dat mihi dexteram Camella,
Iam non oſcula,ſpiritumque turpem.
Ecquid commodius,venuſtiuſque?
Antè incommoda fecerat puella.

Quòd ſi numinibus Camella veſtris
Iraſci volet, ô dii deæque,
Nec altaribus aut avara thura,
Aut fœdas dare baſiationes;
Tunc gaudebitis, ô dî deæque,
Tunc altaria tunc magis placebunt,
Tunc veſtras magis incoletis aras.
Tunc vox hæc erit omnium deorum,
Nihil commodius, venuſtiuſque,
Antè incommoda fecerat puella.

Ad Camellæ Matrem.

O Formâ meliore quàm Camellæ
Matrem oportuit. ô miſella mater,
Vnde ô unde habet hunc Camella naſum,
Frontem, pectora, dexteram, capillos?
Cùm de te nihil hæc gerat Camella,
Et vultu propè te neget parentem,
Cùm ſis pulchra, nitens, lepore plena,
Si potes meminiſſe, dic precanti,
Quis fœdus genuit pater Camellam?

Ad Præſides imbrium Deos; cùm ſub vere, diurnis ſolibus & nocturno frigore, ſicca arva urerentur.

IRi, per obliquos ſeſe cingentis Olympi
Inſignis radios, tuque ô quæ nubibus atris
Cùm placet horriſonum Iuno quatis ardua cœlum,
Dicite, conſuetis ô quæ nunc ocia nimbis?
Auſter ubi, Zephyruſque leves qui torqueat auras
Stridulus, atq; herbas jam mulceat imbre recentes?
Aret humus, ſteriliſque necat ſurgentia Phœbus
Gramina; tum pigro lucentes frigore noctes,
Si qua dies parcit, Bacchum, ſata, pabula tollunt.
Proh Superi! Scythiæne ſimul, Libyæque labores
In noſtram immani fato concurrere gentem?
Sæpe tamen longo criſpatæ vellere nubes
Huc illuc coëunt, & fulmen ab æthere lucet.
Radit hirundo ſolum, multus de flumine piſcis
Emicat, atque alias ſaltu prænunciat undas.

O píe-

O pietas!dumque ora ſiti flagrantia tellus
Pandit,& optatos miſeri ſperavimus imbres;
Ecce ferox Boreas Scythico de limine cœlum
Verrit,& heu noſtras toto bibit ore pruinas.
Sic ſitit inter aquas,refuga ſic pendet ab umbrâ
Tantalus,& vacuos eludit in aëre morſus.
Interea attonitis ingens mortalibus horror,
Et non una lues. Nunc venis lividus ignis
Æſtuat,hîc cœco pulſantur tempora motu,
Illic rara quies;illic marcentia languent
Pectora,& ignavo ſtipantur lumina ſomno.
Quòd ſi nunc hominum vilis ſi cura videtur,
O Superi,veſtris at ſaltem parcite Nymphis.
Quà recubent non herba viret,quo pectora laſſæ
Fonte lavent,nullus ſolito ſe gurgite tollit.
Cur Nymphas,hom̃ineſq; placet,pecudeſq;,ſub unis
Perdere vulneribus,rerumque evertere leges?
Quin magis ô noſtris (humentia Numina) votis
Annuite;ingenti ſtatuent altaria cultu
Agricolæ,Bacchumque dabunt, oleamq; Minervæ,
Et quicquid veſtris redimet ſibi nubibus annus.
Vos modò pallentem ſpiſſis obnubite Phœbum
Nubibus,& mitis ventis ceſſantibus imber
Paſcat agros;tepidæ ſudent per gramina noctes
Rore bono, quem non gelidis aſtrinxerit Eurus
Orbibus,aut Geticis Boreas iratus ab antris.
Ne tamen (ô Superi) nimio ne munere noſtram
Obruat Auſter humum,neve iſthæc jurgia Phœbus
Audiat,in madidi revocandus nubila cœli.

Britannia,antea in Angliam & Scotiam diviſa,nunc ſub uno Auguſtiſſimi Regis Iacobi imperio compoſita.

TErrarum domitrix,tumidi Regina profundi,
Quas ego Marte potens , & magnæ conſcia mentis,
Quas potui metuiſſe vices,quæ bella,deoſve?
Quis ſceptris armiſve modus?ſi tota,nec exors
Ipſa mei crudas agitaſſem in prælia vires;
Egiſſem ſub jura ferox,Sol quicquid Eous,

Et ſerus mediuſque videt;ſed vulnere diro
Fata meos partita ſinus,ſecuere cruenta
Viſcera,meque odiis in me erexere nefandis.
Et geminum nomen,totidemq; heu ſceptra dedere.
Tunc quoties exanguis ego,cùm rupta paterent
Pectora,cùm noſtros iret cruor ater in artus,
Quem propriæ fudere manus!ut poſſe perire
Tunc cupii petiique amens?dudumque periſſem:
Sed mortem vetuere dii.Nunc ponite curam
O Superi;redeunt concordi viſcera motu;
Nunc ſimplex,nunc una vocor.Vix ulla cicatrix
Arguerit vulnus.Sic Rex ſic omnia curans,
Vix morbi meminiſſe ſinit.Sub Numine tanto
Vt valeam,doluiſſe juvat.Sub Numine tanto
Orbis ero,& reliquus vix ô vix Inſula Mundus.

Ad Angelum Chariam, cùm ex pedis ſui dolore imbres conſtanter auguraretur.

QVid hoc,ô Charia,ô decus Sororum,
Quæ montis nemora incolunt bicornis,
O ſacri decus arbiterque juris?
Dies auſpicio pedum tuorum
Lætos currere,nubibuſve condi,
Et nigrâ faciem impedire pallâ?
O res Theſſalico amplior veneno,
Quòd potes modico pedis dolore
Cælo protinus imperare nubes!
Ah non audiat hoc ſuperba Iuno,
Cui jus & Boreæ,& tepentis Auſtri.
Ferret in ſua regna te venire?
Quin illam invidiam amove,pedique
Eſſe deſine credulus dolenti.
Aut hunc jam ſuperi dii deæque,
Hunc per quem pluit,improbum,tenacem,
Hunc ſalvo pede perduint dolorem.

Pugna

Pugna Gallorum Gallinaceorum, cui Rex interfuit.

BEllum, ô Pierides, referte bellum,
Pugnacis nimis & nimis volucris,
Quæ cantu ſolet advocare lucem,
Lucem purpuream; at vagos leones,
Et vagos quoque territare manes.
Sic per Caſtalium excubent cacumen,
Et vos cantibus excitent ſonoris,
De cognomine gente ſi quis audax
Templa in Delphica rurſus arma tollat.
Eſt parvis locus editus columnis,
Ductus artifici manu in capacem
Et certaminis & cruoris orbem;
Sævis area bellicoſa gallis.
Non illic bibulam ingerunt arenam,
Quæ tot vulnera ſanguinemque celet.
Flava ſtramina, textilique nodo
Arcta, huic aptius intulere campo,
Qui veſtigia nec profunda tardet,
Nec curſus malè fallat incitatos.
Circum (nam populi hîc graves locantur)
Aſcendunt gradibus theatra curvis.
Quò poſtquam vario corona diſcors
Conſedit ſtudio, & diis vocatis
Rite quiſque ſuæ eſt avi precatus,
Galli de geminâ eruti latebrâ,
Cum luce horridulum intuentur hoſtem.
Scires ex habitu diu eruditos
Athletas ſolito introire campo.
Nam criſtæ decus, & genas rubentes,
Doctâ forcipe perdidere cauti;
Ne quà figere roſtra poſſit hoſtis,
Et prædam nimio obtinere morſu.
Falcatæ quoque nulla pompa caudæ,
Ne certamine rupta ſub calenti
Sit fallax mora cruribus citatis.
Vt cultus fuit ille militaris!

Vix permenſi oculo æmulum viciſſim,
Seſe in prælia concitata librant,
Et collum quatiunt,levantque plumas,
Seu jubas leo cùm quatit minantes.
Putes hæc odio hæc agi vetuſto,
Et condicta avibus jam adeſſe bella.
Hinc illinc furor,& brevi volatu
Primùm pectora turbidi laceſſunt;
Obſeſſos aries ut ille muros
Tentat,machina quem ſecreta ducit.
Poſtquam pectora ſic retuſa crebris
Fregere ictibus (ô genus virile!)
Tandem ſpiritus ægrior fatigat
Obnixos animo artubuſque totis,
Et captant vacuo aërem palato.
Sed ſuperbia pertinax calentum
Laſſari negat,ac rotante gyro
Quærit vulneribus locum inſerendis.
O ô ingenium ferocitatis!
Nunc brevi properant adire ſaltu,
Et doctâ velut arte nunc recedunt;
Quærunt lumina,vellicantque ſævi,
Pugnantes etiam igneis ocellis.
Tantâ fas generoſitate credi
In magnum Æacida Hectorem fuiſſe:
Aut dum ſydera devovent gygantes,
Aut dum ſydera Iupiter tuetur,
Acri fulmine diſſipans gygantes.
Nec dolis caret hæc ſuperba virtus.
Nunc hic nunc fugit ille perſequentem;
Et quiſquis fugit,hic remittit alas
Queis veſtigia jam caduca verrit.
Cùm ſic cùm domitum putes, repente
Idem viribus ingruit refectis,
Et rurſum fugit.Alter haud moratus
Fortunæ imperium,aufugit viciſſim.
Sic tu Martie feceras Horati,
Fata Romula cum manu gerenti,
Ceu vero fugeres pavore plenus,

Inſtaret

Inſtaret miſeræ ille miles Albæ,
Quem tu mox vario horridus recurſu
Straviſti, patriæ ah ſuæ ruinam.
Dî mortalia membra cur dediſtis
Tantis ſpiritibus? ſuperſtes illis
Iam non vox erat, aut color, ſed una
Mens tantùm ardua, cùm ultimo furentes
Miſcentur coitu (ô decora fata!)
Sic ſic impliciti in ſuo ſimulque
Hoſtili benè corruunt cruore.
Dum jacent, & hiant, & ora jactant,
Fecere ambiguum, memorne pugnæ
Hic ardor ſupereſſet, an ſub ipſo
Fato pectora laſſa palpitarent.
Illis viribus, aut ferocitate,
Certatum prius à pari volucrum,
Non rerum monumenta, non vetuſtæ
Famæ credulitas, nec ipſa vani
Vnquam audacia rettulit Poëtæ.
Nec fors has temere excitavit iras,
Sed pugnæ precium ut fuit decoræ!
Vt gallis fuit ardor ille juſtus!
Vt mors nobilis illa! cùm viderent,
Te, Britannice, te ſuas remiſſo
Paulùm Numine viſitare pugnas.
Seu forent tibi victimæ calentes,
Seu ſpectacula bellici tumultus,
(Regum maxime) ſenſerant volucres,
Se digno nimium interire letho.

Imago Aloyſiæ.

PInge meos (dixi) pictor fidiſſime vultus;
Pinge. Feret longos iſta tabella dies.
Paruit his pictor, digeſtiſque ordine conchis,
Ergo meam verbis duc, ait ille, manum.
Primùm, inquam, qui me capiet locus, orbe pudico
Sit ſimilis templis, liminibuſve meis.
Non mihi plebejo ſpecies ſit vilis amictu,
Non ſtola ſit luxu conſpicienda ſuo.

Sed faciles cultus,& quos velit eſſe maritus.
  Præcipuè falſus non tegat ora color.
Nam nec Arabs nobis,nec mittit Iberia vultum,
  Nectit adoptivas nec mea dextra comas.
Sit mihi vir juxtà,quem toto lumine figam;
  Lumine,quod varium non ſinat eſſe pudor.
Sit mihi jurantis facies,non ulla dearum
  Connubia his noſtris anteferenda thoris.
Nec fiet, ingrato qualis marceſcit amore,
  Frons mihi,ſed parili qualis amore nitet.
Adde quoque & Floræ ſignum, ſignumq; Minervæ
  Artificis.Sunt hæc Numina magna mihi.
Denique pinge lares,fac parvos ludere natos.
  Hæreat hic dextræ,pendeat ille ſinu.
Has ubi reddideris formas,ne nomina pone,
  Vt quondam,faceret cùm rude pictor opus.
Sit ſatis hos verſus ſub imagine ſcribere noſtrâ:
  Hæc ſunt hæc animi pignora vera mei.
Nulla maritarum plus me dilecta marito;
  Pluſque ſuum coluit nulla marita virum.

GVLI.

GVL. BARCLAII M. D.
POEMATA.

Ad Gul. Leſſium.

LEſſi, prime ſodalium meorum,
Procul natus in ultimis Britannis,
Sed in qua regione non puderet
Poëtas ſua collocare Tempe.
Iſthæc ſanguine lavit arva Danus;
Hic pulchri poſuere caſtra Picti,
Hic ver menſibus haud ſuis, & æſtas
Quando eſt horrida, & hinc & inde bruma.
Hanc interſecat hoſtis amnis oram,
Qui fano excidium ultimum minatur;
Fano quo nihil axis iſte noſter
Vidit ſplendidiuſque, cultiuſque.
Sed ô prime ſodalium meorum,
In primis popularium tuorum:
Te Moravia tanta non tenebit;
Non te Marria ſic amata Muſis,
Non, ſi audis tibi ſana conſulentem.
Ito ad jam celebres diu Batavos;
Illic Meurſius audiatur, illic
Fælix Heinſius, ille, quem magiſtri
Multus Scaligeri polivit uſus.
Si faſtidia territant aquarum;
Ito Lovanium, alteras Athenas;
Illic pulpita Lipſium loquentur,
Reddentque illius oſſa te eloquentem.
Qui vivus docuit diſertiores,
Eſt jam materies diſertiorum.
Si tandem jubeat te adire Gallos,
(O ſuaviſſima terra Galliarum)
Si tamen jubeat te adire Gallos
Aut fama, aut favor eruditionis,
Quæſo videris è via Duacum.
Hinc te Parriſios agas, ut omnes
Iunctim Apollinis haurias liquores.

Si venti paterentur hinc vocantes,
Si jam carbaſa tenſa non tumerent,
O quam Parriſios ad aſtra ferrem!
Vnos Parriſios ad aſtra ferrem.
Sed fors laudibus à Marone ſcriptis
Captus, Italiam videre curas.
Leſſi, multa habet hoc iter monenda,
Cis citraque nivem Alpium potentem.
Sed me Parriſiis tenent amici,
Tenent Parriſii meos amicos,
Et me Parriſii meis cum amicis.
Ergo Pariſiis redi ad remotos
A mundo altero ad alterum, Britannos.
Hic Regina mariſque & inſularum,
Altrix Anglia pacis, atque belli,
Quæque nec timet arma nec minatur.
Hæc talis te aliquot docebit annis,
Seu colas ubi foſſa Vandalorum,
Quo miſit Probus improbos colonos:
Nunc regnant ſacra ſancta literarum,
Et flaventia ſerus arva tingit
Flos, qui vincit odore mille Tmolos;
Seu vivas ubi doctor ille noſtras
Subtili peperit volumen arte;
Quod volumen ab occidente Sole
Ad Solis penetrat rubentis ortum.
Hic Muſea ſuperba ad aſtra ſurgunt,
Gloriofius hic Apollo degit,
Quam olim degit in Atticis Athenis;
Aut nunc degit in Italis Athenis.
Ad tuos properas redire Scotos,
Tandem dives opum utriuſque linguæ?
Londinum prius intimè videbis;
Tot palatia, caſtra, templa cernes,
Vncto vectus & elegante lembo,
Aut curru Iove, vel ſorore, digno;
Per mundiſſima ſtrata latus, ibis
Ad campos, propria ambulachra Divûm,
Tot feſtis ubi millia ambulantum,

Quot

Quot fauſto duce funderent Iberos.
Aut turrim ædis Apoſtoli eminentem
Scandas,unde videre microcoſmum
Poſſis,atque homines homunciones.
His actis propera domum redire,
Vt ſis,quod cupio,unus è Senatu;
Vel,quod ſuadeo,candidus petitor;
Vel,quod jure merêre,ſis patronus
Diſertiſſimus omnium patronus.
Sic ſpes altera Curiæ ambigentis,
Sic eris pater unus innocentum,
Sic eris pavor omnium nocentum:
Sic eris,quod es,& quod es futurus,
In primis popularium tuorum
Leſſi,prime ſodalium meorum.

In Vappam Circulatorem.

VAppa peſſime,vappa peſſimorum,
Nullos hendecaſyllabos mereris
Manes melliflui pios Catulli:
Sed merere celerrimos iambos
Acria Archilochi venena linguæ.
Abundat tua toxico cataſta;
Fœtet materie officina putri;
Quam Batavia miſit exoletam
Ante annos aliquot tibi ut recentem.
Hinc miſelli operâ tuâ coloni
Emunt & colocynthidem,atque mortem.
Sed tu vappa loquacior cicadis;
Et mendacior omnibus Pelaſgis;
Inter pocula,crimen innocentes
In morbos jacis;interimque celas
Turpem avaritiam calumniator.
Vinum non bibis;at quid inde?noſtras
Fermentum facit ebrioſiores,
Quo madeſcis in omnibus tabernis;
Dives Pharmacopola,cujus omnes
Merces unius æſtimantur aſſis.
Chirurgi quoque vendicas honorem,

Nec

Nec audes tamen aut ſecare venam,
Aut interritus ulcus intueri.
Inter garrulus ebrios ſodales
Es ſodalibus unicus Galenus.
O vita mihi charior vel ipsâ,
O dulciſſima patria, inter amnes
Duos edita, qui dedere nomen,
Impoſtor reus hauriat cicutam,
Bibatque ipſe domeſticum venenum,
Qui dat civibus exterum venenum:
Aut portetur in inſulam ſceleſtus,
Ne ſolatia ſentiat ſuorum:
Aut ſaltem jubeatur urbe veſtrâ
Clitellas redeat citò ad paternas.
Aut detur remanere in urbe veſtra,
Sit inter capite, abſque honore, cenſos.
Vel ſi lictor adivit ad tenebras,
Diſcat mancipium manus ligare.
Ne credat ſibi me eſſe non amicum,
Sit lictor ſibi, ne ſit otioſus,
Vtque ſe expediat, libens iambos
Mittam, funibus & furore plenos.

D. Ioanni Scoto Clariſsimo viro, equiti aurato & Cancellariæ Directori.

VIs dicam tibi Scote veritatem,
Quam cum non minimo dolore dicam;
Sed vox hæret, & ipſe contremiſco
Labes dicere patriæ, atque laudes
Tuas, quas tribus explicabo verbis.
Scotorum ultimus omnium videris.
At ne quis Latii leporis expers
Putet me temere ultimum vocaſſe;
Poſthac judicio vocabo primum.

D. Geor-

D. Georgio Strachano populari ſuo, obitum Patricii Setoni juvenis exſpectatiſsimi undatim lachrymanti.

ABſentem ferè cogitant amicum
Vix è millibus hujus ævi amicis
Vnus, vel duo. Tam novum eſt amare.
Abſentem haud modò cogitas amicum,
Nec mortem modò lachrymas amici;
Sed das vivere lachrymis amico.
Te Strachane Setonius beavit,
Cujus morte vocaberis diſertus:
Tu Strachane Setonium beaſti,
Cui jam vivere mortuo dediſti.

Ad Eundem.

NOn fugerem Strachane diem illum tam omnibus atrum,
Si poſſem lachrymis morte natare tuis.

EPISTOLÆ HEROIDVM ET HYMNI,

AD IACOBVM VI. REGEM.

SIderis Arctoi nitor auree,lumen avorum
Nobile, venturæ poſteritatis amor:
Primus in orbe Deus,qui jungis Pallada Marti,
Et facis ut titulis cedat uterque tuis:
Adſpice,ni pigeat,teneri pigmenta Poetæ.
Difficilem facili carmine falle diem.
Nec mirere mei ſi frons macilenta libelli,
Agricolæ tenui debile prodit olus.
At ſi tu fundum clementi afflaveris aura,
Agricolæ Domino nobile ſurget opus.

EPISTOLÆ HEROIDVM.

Atalanta Meleagro.

QVod tibi promiſſo nobis Atalanta marito
Deductum timido pollice mittit opus,
Clam lege;nocturno ne te mea Cynthia cornu,
Neu comes iratæ viderit ulla Deæ:
Neve Lycaonidæ compar ego crimine Nymphæ
Inteream,telo bellua facta meo.
Et licet incumbit tenero pudor igneus ori,
Et cohibet facilem ruſtica cura manum:
Aſt erumpit amor,tu mî quoque parce fatenti,
Deſtituor ſenſu,depereoque meo.
Vt picturatæ dubius proreta liburnæ,
Infima cum ſummum tingit arena ſalum,
Humida difficili damnavit lintea vento,
Eque ſinu triſtes præcipitavit opes:
Pinus & iratæ neglecta relinquitur undæ,
Seu Caſtor lentam,ſeu ferat alter opem:
Sic ubi me ratio miſeram neglexit,inermis
Deferor,& me quo paſſio pellit, eo.

Attamen

Attamen oble&#x1F;ctat mea me dementia,ſtultæ
Gratulor, & læſi depudet ingenii.
Seu viſcum volucri,trepido ſeu vincula cervo
Tendo:ſeu campo lilia cana lego;
Seu telam Domini texo:ſeu licia tauris:
Seu regit immitis ſpicula lenta manus:
Hæc Pleuroneæ quæ me dedit ultima ſylvæ,
Lux ſubit:infælix proterit illa dies.
Anne locum memorem?decedant jura Lycæi,
Claraque Mænalio Parraſis ora jugo:
Et decor Æmonii campi Peneia Tempe,&
Lambit Orenteæ quod nemus imber aquæ.
Eſt locus in terris multa denſus cypariſſo,
Eueni quernas eluit unda comas.
Eduræ hic coryli,præſtanti corpore myrti,
Hirta verecundis arbutus apta feris.
Hinc prælabenti procumbit pampinus undæ,
Hinc ſeges ,& domino candet ariſta ſuo.
Intus aves querulæ,lynx aſpera,torva leæna
Fervet in induviis,luxuriatque ſuis.
Attamen imprimis veſtræ corruptor avenæ,
Qui tibi nunc decori,gramina pavit aper.
Nimirum temptæ triſtis cenſura Dianæ,
Cùm coleret reliquos impia turba Deos.
Ire negant alii,pugnæque pericula tantæ
Qui non horreret te ſine nullus erat.
At ſimul Oenides cælató lucidus auro
Prodieras,famæ tactus amore tuæ:
Conveniunt tecum Cures,Ætolus & Argi,
Et quæcunque acres tela tulere manus.
Et quæ de noſtro, ſi qui decor hoc erit,Argo
Venatrix veni,regia virgo fui.
Non vellus Tyrium,putrique edocta veterno
Aurea Mæonio ſtamina nere colo.
Arcus adeſt humero,ſpirant in ſpicula venti,
Dividit errantes mollior aura comas.
Robore ruricolis,pedibus contendere Cauro,
Pectore diſcuſſæ trajiciuntur aquæ.
Contulimuſque plagas, diſtinctaque retia nervis,

Augetur

Augetur magico cura miniſterio.
Luſtrantur ſectæ in partes indagine ſylvæ,
Vis Lacedæmoniûm fervet odora canum.
Inter at Ætolos ut tu caput exeris, ut te
Tum decuit celerem per juga ferre pedem?
Lucent Mæonio tibi pallia picta metallo,
Tinxit & Aſſyrio quæ tibi concha cado.
Enſis adeſt lateri, digitoque reguntur eburneo,
Arctant quæ pariles licia lenta canes.
Vir velut Idalio Veneris nitet inclytus arcu,
Dum pulcher prædam & frigora captat Adon.
Aut nemus Amphryſi dum Cynthius errat, & amni
Incubat, affectæ compediuntur aquæ.
Interea viridi prorumpit ab ilice, dentes
Concutit, & duro murmure frendet aper.
Irâ commotæ ſtrident in tergore ſetæ,
Fervet in attritis ſpuma cruenta genis.
Diffigiunt comites, tantum Plexippus, & ipſa
Siſtimus. Ætoli nil potuere tui.
Te notat armatum ſus igneus, inque morantem
Tendit, at ingenio frangitur ira meo.
Arcus virgineam ſtridebat ductus ad aurem,
Erumpunt docili ſpicula lenta manu.
Annuit innocuæ Deus ignifer, ilicet armum
Tranſadigit leni triſtis arundo ſono.
Subſiluit ferior, rubicundaque defluit unda
Corpore, tum facili vulnere læta fui.
Territus at nihilum nec amaro tardior ictu
Frenduit, inque tuas irruit ultor opes.
Excipis impavidus, trunco venabula querno
Nixa deerrantes ſuſtinuere manus.
Vi ruit, & latam exhaurit ſub corde bipennem;
Sanguinis hirſutos eluit unda toros.
Sternitur, extremo torpentque natantia ſomno
Lumina, tu totus laudis amore rubes.
Abſcindiſque caput, ſpolio jacet orbus arenâ
Truncus, & infauſtæ pabula præbet avi.
Id videt, & viridi procumbens Delia ſaxo
Horruit, at bili temperat illa ſuæ.

Sed

Sed Venus annoſæ latitans ſub tegmine myrti,
  Et puer Idæus cum face riſit Amor.
Nec ſemper noſtro pugnas violente marito,
  Non eſt qui metuet ſemper Adonis, ait.
In me contuitu ſed tu defixus inerti
  Spreviſti Paphiæ mollia verba Deæ.
Te tamen obliquo contemta notavit ocello,
  Et quamvis nolles, inquit, amator eris.
Si potiar prædæ ſpoliis Atalanta peremptæ,
  Decreta abſenti gloria prima mihi.
Magnus honor, fateor, ſed tu mihi munere tanto
  Vt placeas, olli ſis comes, ipſe veni.
Ipſe veni, mea lux, referes meliora, furenti
  Eripies, molli quæ pudet ore loqui.

Callioneira Diomedi.

VT malè deperii, ſi ſic quoque prima periſſem
  Improbe, delicto Callioneira tuo:
Crimina dicturæ potuiſſem credere chartæ
  Parcius, & noſter pene lateret amor.
Sed pudor, & pietas, & fidi cura mariti
  Tam procul impuro fugit ab ore tuo,
Quam procul à Syrio ſejungitur Adria ponto,
  Quam procul à nobis perfidus exul abes.
Nec benè ſe quiſquam pelago ripæque ruenti
  Credidit; æquoreæ mobilis ira Deæ.
Nec benè, qui cœlo patriam mutavit iniquo,
  Mobilior vitrea miles & exul aqua.
Hei mihi! quid feci? quo me furor egit amantem?
  Quid mihi? quid generi Callioneira fui?
Scilicet hoſpitio Diomedem admiſimus hoſtem,
  Nota peregrino facta paterna viro.
Nec ſatis; intacto potui quoque ſiſtere lecto,
  Nec modo mî cenſus, ſed malè ceſſit honos.
Hei mihi! quid feci? nec erant quoq; numina curæ.
  Heu! Iuno vitæ nunc inimica meæ,
Quando meis veſtræ caruerunt lancibus aræ,
  Victima num ſacro defuit horna tuo?
Sæpe mihi tenues vinxerunt tempora vittæ,
  Sæpe mihi læva fictilis urna manu.

Optavi fido demum potuiſſe marito
  Nubere, legitimo vivere poſſe toro.
At nihil indultum, coram neglecta pependi
  Flebilis, & duræ deſpicienda Deæ.
Et modo, quam patriæ petiit pars prima juventæ,
  Tu qui contemnis miles & exul abis.
Hæc quoque fortunæ veniunt ludibria, vitam
  Qui mihi debebas, eripis ipſe mihi.
Per tua,Tydide, ſimul & mea gaudia, mecum
  Per tibi quæ primum præbuit herba torum,
Per benè ſi de te merui; miſerere cadentis:
  Hoc nimis infælix exue mentis onus.
Iam medio tremuit cælo nimboſus Orion,
  Et viget in vitreâ vis Aquilonis aquâ.
Nec licet irato prætendere lintea ponto,
  Bruma Lycaonio ſidere rupit iter.
Finge tamen ſinuent celeres tua lintea venti,
  Fac levis in puppim ſibilet aura tuam:
Quo miſer exibis? tibi quanta pericula menti?
  Quas miſer in terras miles & exul abis?
Nec licet Ætolum penitus confidere regno,
  Nec venit in mentem terra paterna tuam.
Nec tibi confecto repetentur Pergama bello,
  Nulla Mycenæo ſub duce tela feres.
Menè fugis? nec erunt tibi juncta cubilia tanti?
  Quique fluit ſicco ſpiritus ore meo?
Hi quoque, qui crebro viciant mea lumina nimbi?
  Quæque metum paſſæ diſſiliere comæ?
Quid nunc perficiā?proh!nunc mihi fraude perēptæ
  Quæ ſpes? quam repetam ſola relicta domum?
Quod ſi ſanguineo procedam præda parenti,
  Tunc ego non Lyco nata, ſed hoſpes ero.
Huic hominum diræ tinguntur cædibus aræ,
  Sanguine crudeles mitigat ille Deos.
Meque voraturis daret & mea viſcera flammis,
  Inque manum jugulo tingeret ille meo.
At nihil offendi, ne te violaret inermem,
  Quod vetui, culpæ ſumma peracta meæ.
Nec pudet officii; neque me pietatis ineptæ

Quod

Quod piguit, veniens arguet ulla dies.
Sed tibi diſceſſus ſi ſtat ſententia, tecum
Me vehe,ſimque tui pars prior exilii.
Non tibi dedecori fuero, nitet ore juventa:
Non oneri, potius fœmina demet onus.
Si pudet officii, formæque pericula tantæ
Si metuis, viſum pellitur arte malum.
Sæpeque ſuſpectæ nulli nocuere ruinæ,
Nec grave præviſo verbere vulnus erit.
Maſcula præfecto renitebit forma capillo,
Audebo celerem carpere tuta gradum.
Laxaque formoſis dementur pallia limbis,
Strictaque, quæ velet fœmina, veſtis erit.
Hæc quoque reſpicies nitidoque notabis ocello,
Pars erit hæc vultu ſæpe notata tuo.
Si tibi continget picto contendere curru,
Tunc mihi victuri lora regentur equi;
Si pedes ignoto committes prælia campo,
Caſſide velato vertice miles ero.
Inſidias pecori facies venator adulto,
At tibi quæ tendet retia ſemper erit.
Hamis cærulea ludes piſcator in unda,
Remige me ſummæ percutientur aquæ.
Denique funereum deſcendat in ilia ferrum,
Vnica deletos conteget urna duos.
Tantum crudeli ne linquar præda parenti,
Tantum tu vitæ parce proterve meæ.
Quid tamen, ah! meditor demens? mihi gramina (campi,
Et prius Ioniȩ dinumerentur aquæ,
Quam mihi Tydides errantem præbeat aurem,
Et quam perfidiæ temperet ille ſuæ.
Id me vicino quoties ſtans noctua tigno
Edocuit, fati nuntia penna mei?
Id quoties vetulæ, contemptaque pabula corvo
Quæ dedit infælix, edocuere manus?
Hoc vos Iliaco Danai didiciſtis in arvo,
Edocuit pactam fallere Troja fidem.
Phyllida Demophoon pariter decepit amantem,
Hoſpita dum Danao crederet arva viro.

Deſtituit medio Theſeus Minoida ponto,
Crimen Echionii quis putat eſſe Dei?
Eſt quoque qui Sicula currit vagus exul in unda,
Et multa æquoreas decipit arte Deas.
At te, Tydide, mollem dum fallis amantem
Perfide, qui vincet crimine nullus erit.
Deſpicis Ægialem, pulchri quod amore Cometæ
Capta maritalem polluit ante torum.
Tuque mei fidi contemnis fœdera lecti,
Quod vitio vertis, mobilis erro, facis.
Sed qui Threicio Marti pugnavit inultus,
Qui Paphiæ teneram ſtrinxerat enſe manum:
Connubiumque domi qui ferreus odit, & uſque
Currit in ignotâ mobilis exul aqua;
Ille mihi quid erit? ſed cur ego pluribus? arma
Expedii, gravior comprimit ora dolor.
I modo fluctifero peregrina per æquora vento,
Nos ſequimur læſæ quo vocat ira Deæ.

Silvia Marti.

HAnc tibi Threïcio mittit tua Sylvia Marti,
Infœlix furto facta puella tuo.
Heu tumet ingrato vitiatus pondere venter!
Et rubor à nobis & decor omnis abeſt.
Vbera dimoto turgent lactentia ſucco,
Et lavat incurvos uda papilla ſinus.
Et gradimur lentè, fœtaque retundimur alvo,
Et faſtiditus temperat ora cibus.
Dum facit Iliacæ ſacrum pars cætera Veſtæ,
Ilia compoſito figitur una toro:
Vanaque diducto repetit ſuſpiria rictu,
Et trahit ignavum deſidioſa diem.
Sæpè ſacerdotii comites timuere moranti,
Et traducta levi ſuſpicione fui.
Sæpe Lupina ſoror reliquis audentior infit,
Et ferit occluſas dura puella fores.
Ilia quid facies? quis te furor urit inertem
Improba? difficilem Sylvia pande forem.
Pande per has lachrymas, Veſtæ per jura ſacelli
Vulne-

Vulnera dilectæ detege Nympha tuæ.
Detege, ne metuas, nec enim mihi numina tanti,
Ni faveam comiti caſta Lupina meæ.
Horrida ſi timidam terrent te crimina,per me
Tuta ſubinviſo ſurripiere metu.
Si nihil admiſſum, neque te nova crimina tangunt,
Quid prohibet comiti tecta patere tuæ?
Non fas Tyrrhenæ ſacrum contemnere Veſtæ,
Nec licet æterno ſemper abeſſe foco.
Nobile Palladium, veteris præconia Trojæ,
Solaque cultori numina nota ſuo:
Et pius æditUus tecto te ſæpe morantem
Evocat, occluſam Sylvia pande forem.
Credidimus comiti tam relligioſa loquenti,
Ingreditur tectum fida Lupina meum.
Oſcula contulimus, crebroque madentia nimbo
Lumina labenti ſurrubuere mihi.
Quid facis? exclamat comes inclyta, pelle timorem
Ilia, mœroris commiſereſce tui.
Annuimus comiti faciles, & murmure tandem
Enarro furtum debiliore tuum.
Ver erat & foliis nodoſa virebat arundo,
Et maduit tenui rore revecta dies:
Egreſſæ templum Tiberinam venimus undam,
Sacra ſuburbanis eluerentur aquis.
Fictilis è capitis ſummâ vix ponitur urna,
Reſtituitque leves mobilis aura comas.
Ecce pruinoſo nectuntur lumina ſomno,
En ſopor æſtivum pellit ab ore diem.
Protinus advertit Deus enſifer, inque ſupinam
Irruit, & teneras comprimit ille manus.
Tendit & interius, Nymphæque cohæret inerti,
Sic abiit pulcher virginitatis honor.
Decepit primum ſopor arduus, inde voluptas
Improba, ſic triplici milite victa fui.
Excitor interea, dubiæ mihi labile turget
Fœmen, & incedo languidiore gradu,
Et pudibunda femur feriens,proh Iupiter! inquam;
Pol! ſimul arrectæ diriguere comæ.

Proh ſcelus admiſſum! repeto, tum fontibus urnam
Implevi, culpæ conſcia ſola meæ.
Et moribunda domum redeo, capiente miniſtra
Ponitur è ſumma fictilis urna comâ.
Inde torum veniens caput inter lintea condo,
Et ferio timida viſcera læſa manu.
Sæpè femur ferii moriens, crebroque putavi
Crimen contactu poſſe fugare meo;
Sed mage quo tetigi, gravior ferit ardor inertem
Criminis, & jaceo vulnere lapſa meo.
Tunc ſopor evicit luctum, jacuique ſepulta:
Non tamen ut volui tuta ſopore fui.
Adfuit heu! iterum Deus enſifer, inque ſupinam
Irruit, infælix utque peregit opus:
Stirps ait Æneadum pia Sylvia, diſce timorem
Pellere. Mavortis ſemine fœta jaces.
Tempus erit geminum reddent tibi viſcera partum,
Et fies partu Sylvia Diva meo.
Dixit & ad Venerem rediit, ludoque peracto
Exiluit. comiti Dii meliora tibi.
Sic tumet ingrato vitiatus pondere venter,
Affer opem ſociæ, fida Lupina, tuæ.
Hæc ego dum memoro, deſævit in ilia partus
Integer, & vivas imprimit ore notas.
Et vigor æthereas paulatim tentat in auras
Maſculus, & furti pignora nota tui.
Sic malè diſperii, Deus enſifer, ira tyranni
Mobilis, & fato ſæviet ille meo;
Meque voraturis dabit, & tua ſemina lymphis,
Nec clypeus magnam, nec feret enſis opem.
Hæc ego dum memoro, diſtenta per ilia partus
Labitur, optatam proh ſoror affer opem.
Affer opem Lucina Rheæ, divi ea parentis
Semina! mî partu reddita vita meo.
Martia frons, grandes oculi, tectumque capillo
Sinciput, & grandis tibia, lata manus.
Vera Dei ſoboles, greſſum prohibete profani,
Nunc mala qui plectet crimina mundus habet.
Pro dolor! hoc gemino removentur numina partu,
Araque

Araque Tyrrhenæ contremit icta Deæ.
Crimen ineſt generi, Tiberinæ exponite lymphæ
Pignora, funeſtas adde Lupina manus.
Nec ſcelus agnoſcat contemptor Amulius æqui,
Neve ferus vitio ſæviat ille meo.
Nam tu ſi Deus es, ſi ſint tibi grata parenti
Semina, neglectos nectare paſce tuos.
Plurima non licuit, patrui quia lictor inermem
Evocat, & tumidas fata minantur aquas.

Antigone Hæmoni.

CRimina criminibus reparantur, pabula nimbo:
Falce tumet vitis; vomere turget humus.
Vulnera vulneribus medicamina. ſolus inerti
Antigone duro carcere creſcit amor.
Vincta domo teneor, viciantur compede nervi,
Funerei vultus, pulverulenta coma.
Imbreque continuo turgent mihi lumina, tantum
Libera picturis una relicta manus.
Hanc quoque torpentem, niſi me mea fallat imago,
Oſtendet morbo multa litura ſuo.
Vt Iovis Hercæi ſua funera tracta ſub aram
Reſpicit arrectis ſæpe juvenca comis:
Sic ego reſpicio toties odioſa Creonti,
Dum me qui feriet lictor, & enſis erit.
Quilibet at veniat, poteris modo charior ipſa
Tu procul à pœnis Hæmon abeſſe meis.
Hæmonis Antigone, crudo damnata parenti
Non moriens aliâ voce Creonta voco;
Quam caveat properum ne te mea funera tangant:
Ne pereas Dominæ victus amore tuæ.
O puer Aonii generis fiducia, Thebæ
Gloria, venturæ poſteritatis honor,
Cujus maturæ decedunt candida formæ
Lilia; qui ſuperas nobilitate Deos:
Vlla movent ſi te vinctæ ſuſpiria Nymphæ,
Si tibi ſub memori pectore cura mei;
Pone modum metui, temerè pugnare parenti
Deſine, judicio ſæviat ille ſuo.

Scilicet ut fluviis gravius comburit Aſbeſtos,
Vt focus exigua plenius ardet aqua;
Sic prece, ſic pretio violentius ira tyranni
Candet. erit fletu ſævior ille tuo.
Et ſubit, & timeo, ne te graviora petentem
Occupet, immiti dum timet imperio.
Nec mihi ſuſpicio levior, tua terret inermem,
Occurritque ægræ lævior umbra mihi.
At ſatis Aonio maduerunt ſanguine campi,
Et nimis adverſos gens habet iſta Deos.
Heu! domus Oedipodæ fundataq; mœnia Cadmo,
Ah nimium nobis pernicioſa domus!
O utinam tunc, cum Tyrio præcinctus amictu
Attigit Aoniam mobilis exul humum,
Mœnia Sydonio cum deſignavit aratro,
Et tu Cadmæis regia, dixit, eris,
Obvia ferali jacuiſſet pabula corvo;
Sive Lycaonio præda cruenta lupo.
Aut tunc, cum reliqui comites cecidere, periſſet.
Sed vincunt ſoli qui valuere dolo.
At nos quid duro cives certemus Olympo?
Qui prius offendit, conditor urbis erat.
Cadmus Agenorides ſuperos contempſit, & iram
Quam meruit pœna pertulit ille ſua.
Nec ſemel exilio patriam mutavit acerbo,
Et jacet Illyria mortuus exul humo.
Hunc genus Antiopes, ſoboles dilecta Tonanti,
Expulit, & cœptam perficit ante domum.
Longa rei ſeries, ſuccedit Lajus, iniquo
Nubit, & incauto credula mater avo.
Atque novo læſi repetuntur crimine Divi,
Temptaque fatidici carmina dura Dei.
Naſcitur, & ramo ſuſpectus pendet ab alto
Oedipus, & fati neſcius ipſe ſui.
Hinc genitorque, illinc genitus, concurrit uterque
Impius: at nati ſternitur enſe pater.
Sphinx cadit, & certo volvuntur ſidera cælo,
Sanctaque materni vincula rupta tori.
Heu domus infælix, & lamentabilis! atque

Iam

Iam nimium crebro crimine nota tuo.
Naſcimur interea, neque nos meliora videbant
Sidera, ſed motu deteriora ſuo.
Exul abit Polynix, regni tenet alter habenas,
Et nova neglecta fœdera rupta fide.
Tydeus, & ſoceri repetuntur, miles Adraſti.
Candet in Oebalia civica flamma domo.
Principium pugnæ par heu! miſerabile fratrum
Edidit. hic ferro fortior, ille dolo.
Par fuit impietas, ſævæ par exitus iræ,
Et cadit alterna victor uterque manu.
Quid tamen ? an patrio juvenes privare ſepulchro,
Membraque ſupremo fas prohibere rogo ?
Tabida vicinis damnare cadavera corvis,
Regia carnivoro credere membra lupo?
Nec ſatis, alterna noſtros cecidiſſe bipenni,
Atque pari læſos cæde piaſſe Deos.
Scilicet Antigone miſero perſona theatro
Vltima defuerat, ſed, quia poſcit, erit.
Sit comes Iſmene claro prius apta marito,
Nunc jacet in viduo frigida Nympha toro.
Sit comes Argiæ, ſummo quia tradidit igni
Mecum defleti membra cruenta viri.
O ſoror Argolicum decus, ô Argia Tonanti,
Et ſoli ſummo nubere digna Deo.
Cum bibit Oceanum, rutilo cum Phœbus Eoo
Surgit, & admiſſis altior ardet equis;
Non te permenſo quicquam perſpexit Olympo
Nobilius, ſociam da pia Nympha manum.
In nos inculti deſæviat ira tyranni,
Et madeat tepido ſanguine ſcena meo.
Id genus Oedipodæ, ſcelus id genitoris adempti
Expetit, at ſociam da pia Nympha manum.
Tu tamen immitem, mea lux heu! parce parentem
Flectere, ne damno ſæviat ira tuo.
Nam mea turbatam laniant inſomnia mentem,
Et mihi quod nolles, Theſſala narrat anus.
Seu pariunt celeres nocturna ſilentia ſomnos,
Seu condit lumen cura diurna meum;

Hæc tua confecto ſub pectore currit imago
  Flebilis, & tepido ſanguine tincta tuo.
Et mihi viſa fuit querulo ſpirare labello,
  Heu lædent ipſos impia verba Deos!
Hæmonis Antigone diro damnata parenti,
  Et tibi mens ſine me, candida Nympha mori!
Non, furis incaſſum; tibi nam tuus Hæmon eunti
  Fit comes. Elyſia valle beatus erit.
Pone modum flammæ, mea lux, da pauca petenti;
  Scilicet haud duplici funere poſſe mori.

Lamia Demetrio.

VEr redit, & Lybici patuerunt cornua Tauri,
  Et Zephyrus triſtem flamine verrit humum;
Protinus humenti redeunt ſua gramina campo;
  Luxuriatque novis arbor, ut ante comis.
Pendet odoratis iterum frons cana liguſtris,
  Et matutinæ ſubrubuere roſæ.
At ſimul occidui reſpirant frigora Cauri,
  Et tegit humentes cana pruina domos;
Marcent Æmonio canentia lilia campo,
  Et ſola in ſylvis garrula mœret avis:
Sola pruinoſo pendent vaccinia trunco,
  At cadit in viduam vile papaver humum.
Sic ego Demetri, Regum pulcherrime, mî, mî,
  Exorior vultu deficioque tuo.
Frons tua temperiem referet mihi candida vernam,
  At tua ſi cedent lumina, bruma venit.
Mortales alii venerantur ſydera, Phœbi
  Fulgur, & argentum candida Luna tuum,
Amphytrioniadæ torrentia tela, nepotem
  Atlantis, lucri ſit licet ille Deus:
Mî pro ſideribus fuerint tua lumina tantum,
  Demetri, Divus nam meus eſſe potes.
Quando ego te colui tantum, neque nota fuiſſem
  Ductori Danaum Lamia bella tibi.
Libera cirratos quatiebam fronte capillos,
  Et ſedi læto tuta ſupercilio.
Clara perurentem vibrabant lumina flammam,

Eque

Eque meis oculis cum face luxit amor.
Lesbia Threiciis ſocio dum carmina nervis,
Et motum niveo pollice ſpirat ebur;
Mene verecundo fixiſti punctus ocello?
Inque laboranti pectore flamma fuit?
Nunc oculi, nunc frons, & eburnea fila papillæ,
Imaque ſunt vultu crura notata tuo.
Erubui fateor, minuitque modeſtia formam,
Nec potuit tacto pectine lingua loqui.
Ducebant aliæ choreas, mihi dicis eunti,
Anne potes mecum, Lamia ferre pedem?
Ferre pedem potui, ſimul impulſare frequenti
Pollice Threïciæ fila coacta lyræ.
Reſpondere lyræ modulamina dulcia cantus,
Inque modum celeres diſpoſuere pedes.
Te periere alii, Danaûm pulcherrime, tu me,
Victor eras reliquis, ſed mihi victus eras.
Excipiunt epulæ choreas, prodire timenti
Dixiſti tacitè, Lamia bella veni.
Obſequimur timidæ, ſuſpectaque pocula Bacchi
Non penitus vanum mî peperere metum.
Pocula ſelecti generoſa fronte puelli
Præbuerant, læto ſanguine fervet opus.
Incaluere animi, veterique madentia Baccho
Pectora legitimum depoſuere metum.
Dum coëunt calices, tremulo dum lingua ſuſurro
Sibilat, & motu liberiore fluit;
Intrat Acidaliæ puer igneus, inque morantes
Torſit inhumana ſpicula lenta manu.
Protinus ejicitur pudor aureus, omnis honeſti
Cultus, & in timido pectore regnat amor.
Humida colliſis libantur baſia linguis,
Ipſa lacertorum vimine colla tepent.
Immoritur gremio Domini, tactuque puellæ
Turget, & in tepido perfurit aura ſinu.
Oris inhumentes exhaurit ſpiritus auras
Aridus, & motu baſia ſicca ſuo.
Hæc faciunt reliqui; ſed tu laſcivior omni
Paſſere Lamiolæ totus in ore tuæ es.

Conſtringunt hederæ ut faciles ramenta corymbi,
Ilicis & ſalicem tortilis uva ſuam :
Sic mea nexilibus cinxiſti colla lacertis,
Affigiſque novis baſia mille modis.
Depoſui frontem fateor, tactuque frequenti
Accendit Veneris mota medulla facem.
Erubuit vultus ferior, motantur ocelli
Crebrius, & motu torqueor acta meo.
Nequior advertis, mea lux, repetiſque furenti
Baſiolo, & domina tendis ad ima manu.
Labimur immemores vitæ, tenuique ſuſurro
Diximus, immites, improbe, tolle manus.
Plurima prætereo, ne delicioſa loquentem
Arguerint penè languidiore Sophi.
Hæc quoq; commemini, Danaũ decor inclyte, ne tu
Poſſis delicias dedidiciſſe meas.
Te tamen oblectat nimium nova fœmina, Myrtus
Putida, Cecropii vincula connubii.
Et temulenta movent Iunonis fœdera, fratri
Vilior, & ſummo ſit licet illa Deo.
Nec nativa Venus, Dominæ neque colla catenis
Libera, ſollicita te domuere manu.
Alitis Idalii neque tela moventia flammam,
Sed tua cum tædis imperioſa Venus.
Quid facis ô Divum decor inclyte? pulchrior omni
Sidere, qui Getico promptior enſe Deo.
Dum te dira monent funalia, vota parentum
Improba, dum nuptæ ruſtica cura tuæ:
Dumque ruis præceps in retia, perdis amantem
Lamiolam, lento conteris oſſa rogo.
Lamiolæ Veneris curæ, puerique tepentis
Flammululæ; tepidam tolle proterve facem.
Tolle facem urentem, puer improbe, deme puellæ:
Vel libertati me cito redde meæ.
Lamia ſola toro jacet ignea, lentus amator
Friget, & eſt tepido Lamia ſola toro.
Ah! qui connubio primum conjunxit amantes,
Et vetuit Paphiæ libera facta ſequi,
Pendeat in mediis, ſitiens uti Tantalus, undis,
Dira

Dira nec oblatus temperet ora cibus.
Efferor incaſſum, miſeræ ſuccurre petenti
Dive, vel hoc ſumma contege pectus humo.

Euridice Orpheo.

IMperjurata carmen tibi mittit ab unda
Euridice, caſto fœmina cæſa viro.
Non mihi quod poſſis morienti occurrere, tanti
Non teſtudineæ fila canora lyræ:
Sed me nec lethi latices, nec numen Averni
Pernoris cultu ſurripuiſſe tuo.
Eumenidum ſylvæ, fœdique ſilentia regni,
Et chaos & pigræ quæ memorantur aquæ,
Non mihi, Dî teſtes, pariunt oblivia veſtri.
Vnius Euridice fœmina ſemper ero.
Seu liquor Eridani, tenuique madentia nimbo
Arbuta, quæ purum temperat Elyſium,
Seu Iovis occurrit nati ſitientis imago:
Seu redit à nigra portitor udus aqua;
Forma tua Euridicæ per inania ſemper eunti
Fit comes. hæc triſti notior umbra mihi.
Et ſubit illa dies, quæ me tibi prima canenti
Prodidit. infælix & premit illa dies.
Collis erat, memini, collemque per ilicis umbras
Ambiit inducta purior Hebrus aqua.
Ceſpite tu viridi, diffuſa ſed undique laurus,
Et myrti urentem diminuere diem.
Pectus ebur, ſtellæque nitent tibi lumina, nempe
Vt ferit Ionias Caſtor, & alter aquas.
Et retro pexi refluunt in terga capilli,
Suavè verecundæ ſubrubuere genæ.
Pictaque Mæonio veſtis tibi fluxerat auro,
Ornavit veſtem plurima concha tuam.
Plurima munditics, impexa papavera, calthæ
Virgula, purpureis lilia picta roſis.
Qualiter intonſi graditur ſub fronde Lycæi
Cynthius, impexas dividit aura comas:
Aut puer Iliaco quem ſuſtulit alifer arvo
Iupiter: aut Venerem cum puer ambit Adon.

Sed ſimul impuleras, digitoque coacta frequenti
Spirant Phœbeæ, ſtridula fila lyræ:
Læta repercuſſæ feriunt mea pectora fibræ,
Nec licuit celeres continuiſſe pedes.
Ipſæ Threiciæ deſerto ceſpite ſylvæ
Ilicet excuſſis intremuere comis.
Huc nemus Heliadum, pomoque onerata rubenti
Arbutus, Ioniæ debita pinus aquæ;
Fraxinus Herculeum decus, & devota Tonanti
Eſculus, Idaliæ myrtus amica Deæ:
Amnicolæ ſalices, curvataque glandibus ilex,
Et platanus folio delicioſa ſuo,
Fluminei coryli, vincenti præmia palmæ,
Tonſa prius pecori parva myrica meo.
Nec genus arboreum, nec ſaxa ſilentia tantum
Movit Apollineæ ductilis aura lyræ:
Sed ſimul, ut memini, ſonitu permota frequenti
Limpida diductis ſubſilit unda vadis.
Vernaque commoto tremuerunt gramina campo,
Et Flora, & Superis non odioſa Ceres.
Vidiſſes motum trepidantis in æthere nimbi,
Et ſimul aliferæ conſiluere feræ.
Cornipedes aquilæ, cauda candente pyrargi,
Accipiter, vultur, noctua, milvus, olor.
Nec modo penniferum genus, exiliere cavernis
Quadrupedes, tanti roboris aura fuit.
Mole labans elephas, violento pectore tauri,
Ipſaque demiſſis torva leæna toris.
Capreolæ, catuli, ramoſo vertice cervi,
Inque modos magni membra feruntur equi.
Pan pater Arcadiæ calamum tunc tempſit inertem,
Et luctum cantu leniit ille tuo.
Exiliunt niveæ liquido de flumine Nymphæ,
Et duxit faciles ipſa Diana choros.
Conveniunt Dryades, genitorque præivit Apollo,
Claraque natali Calliopæa tuo.
Tunc ego te quoties obliquo lumine fixi,
Eque meis oculis nuntius ibat amor,
Sæpe mihi læſæ nocuerunt murmure nervi,

Sæpè mihi timidæ mens fuit iſta loqui:
O puer Idalio quem nec Deus igneus arcu,
Nec ſuperat formâ mater Acidalia,
Cui nondum teneri flavent lanugine vultus,
Dum pellis curvæ ſtridula fila lyræ:
Reſpice quæ celeres torrent mea pectora flammæ,
Nec levis in vultu ſit medicina tuo.
Vt rubor, & facies teneram deſignat amantem,
Vt patet obtuitu prima favilla meo!
Nec leve ſupplicium,nec inani carpimur igni,
Heu patitur duros ſpiritus iſte Deos.
Fælix Chaoniæ vivunt in amore columbæ,
Si ferit, hic ſubito vulnera curat amor.
At pudor humani producit ſemina morbi,
Et timor, & charæ cura pudicitiæ.
Cura premit teneras, ſed quæ ſua vulnera tantum
Pallida detexit ſola puella ſapit.
Hæc ego dum meditor,cytharam tuus ardor eburnã
Pellere, ſed cytharâ tentior ipſe tuâ.
At male diſpereat, qui nos ſecrevit amantes,
Tentavitque tuas durus adulter opes.
Sed tibi ſi veteris ſuperant accendia flammæ;
Si tibi ſub memori pectore cura mei:
Qui cythara ſylvas, qui ſaxa ſilentia flectis,
I, Phlegetonteas fortè movebis aquas.
Intereà lentâ lethi nos ſpargimur unda,
Sed placet hoc tenui carmine paſſa mori:
Chara pudicitiæ coluber me jura tuentem
Suſtulit, ultores hortor adeſſe Deos.

Clytia Phœbo.

VT nitor incocti flammâ denaſcitur auri,
Vt levis hyberno flavet arundo die:
Sic in cæruleis Clytie tua nobilis undis,
Improbe Latoni, pallet amore tui.
Reſpice ſubducto torpentia lumina ſomno,
Vt premit impexas vilior herba comas.
Concava pallentem referunt ut tempora buxum
Concolor Idæo lurida bucca rubo.

Vbera detonſi ſquallent ut tubera tigni,
 Vt docet arentem livida vena manum.
Phœbe per has lachrymas, per ſi tibi gratior ante
 Phœbe fui, Nymphæ commiſereſce tuæ.
Parce tuæ Clytiæ, fletu miſerere peremptæ,
 Sit ſatis admiſſo me doluiſſe meo.
Sic levis Æthiopum rapias Pyroënta ſub undam,
 Sic tuus Aſſyrias tingat Eous aquas:
Sic iter immenſi facias per cornua Tauri,
 Sic tibi cum ſpatiis menſis & annus eat.
Vt Clytiæ parcis, Deus improbe, parcis amanti,
 Vt Clytiæ poſito dure ſupercilio.
Non venit in mentem duro, non illa recurſat
 Quæ me crudeli credidit hora tibi?
Cum nimis infido te me tetigiſſe lacerto
 Flevimus, impuram ſuppoſuiſſe manum.
Credideram,memini;fugiens mea pectora lymphæ,
 Et levis amplexu ſeparor amne tuo.
Nec tibi de Clytiâ præter data baſia; factæ
 Inſidiæ labiis, cætera caſta mihi.
Sæpe pruinoſam coram dimovimus undam
 Pectore. tuta ſalus, ſed malè tuta quies.
Brachia ſæpe tibi ludens ſinuoſa tetendi,
 Sæpè mihi fictum teſtor adeſſe Deum.
Tu tamen adjungis doctæ ſuſpiria linguæ,
 Et quæ nunc temnis munera,Phœbe, petis.
Per caput hoc Clytiæ,perq; hæc tua pectora dixti,
 Et per virgineas, quas lavat unda comas:
Pulchras per gelidam ſuras quæ interluit undam,
 Ad ripam refugas dirige, Nympha,manus.
Riſimus, ah! memini, tamen hic Cytherea furenti
 Adfuit, ô teneris inſidioſa Venus!
Et tua me facies, doctæ perjuria linguæ.
 Et tua cæſaries & tuus arſit honos.
Fluxerunt faciles circum tua tempora lauri:
 Suſtinuit paſſas labilis aura comas.
Arcus adeſt humero, ſpirant in ſpicula venti,
 Et me de fluviis evocat alba manus.
Lucus erat, memini, puræ conterminus undæ,

Texit

Texit inerrantes plurima laurus aquas.
Fõs quoq; nõ procul hinc,vallo præcinctus acerno,
Araque perpetuo relligioſa foco.
Adnavi facilis, findunt vada cærula palmæ,
Aſperior nudos atterit herba pedes.
Ilicet in ſuperos fallacia lumina torques,
Lumina lætitiæ nuntia,nequitiæ.
Perque tuos currus, & per tua ſidera dixti,
Vincis hyperboream, candida Nympha,nivem.
Vincis Agenoream, nec inani pectore tauri,
Te viſa, latâ Iupiter iſſet aqua.
Nec Thetis immenſa toties prodiret ab unda,
Ad Ledam noſter rarius iret olor.
Mitis Acidaliæ quondam mihi notuit umbra
Nuda,nec inditio vilior illa meo.
Et me non latuit caſtæ frons ipſa Minervæ;
Sed cedat Clytiæ numen utrumque meæ.
Hæc mihi dicebas prius,improbe,Nympha manerẽ
Dum pia, dumque doli non patuere tui.
Sed ſimul incalui, ſimulac tibi fido proterve,
Vota mihi toties fugit ab ore fides.
Notaque multiplici tua ſunt perjuria Nymphæ,
Et pluſquam volui pellice læſa fui.
O decus Aſſyriæ Babylon, fœcunda puellis,
O Clytiæ luxu perniciosa tuo!
Vt te, qui primum curvo præcinxit aratro,
Qui junxit primâ turpia tigna manu;
Obvius annoſo jacuiſſet pabula corvo,
Interlabenti naufragus iſſet aqua.
Non tua Leucothoe Clytiam turbaſſet amantem,
Non foret Aſſyrio lentior ille toro.
Non pater,Eurynome genitrix, non ulla fuiſſet
Gentis Achæmeniæ filia nota mihi.
O utinam! Syriæ ſubii cum tecta tyranni,
Cum levior monito credidit ille meo;
Æquora jejunis ſecuiſſem frigida palmis,
Vixiſſem canas, ut prius, inter aquas:
Aut ſalici torto canæ ſuſpenſa capillo
Hæſiſſem, primæ diripienda feræ.

Non

Non ita ſubducto quererer deſerta marito,
Non aleret luctum thurea virga tuum.
Quid tamen incaſſū lachrymis mea viſcera rumpo
Quid te tam vana relligione voco?
Frigidus, ah! novies alibi tua ſidera veſper
Tranſtulit, & novies æquore nata dies;
Qua viridi ſedeo, Cereri neque nota, nec undæ,
Ceſpite, demiſſas pulverulenta comas.
Et quoquo vertis tua lumina, vertimus iſthæc
Tecum, protrito pallidiora luto.
At modo deficiunt, pereunt quoque cætera, tantum
Hoc pergo triſti carmine nota mori:
Clara jacet Clytie, durus quam tempſit amantem
Phœbus. Achæmenia pellice læſa jacet.
At vos ô reliquæ colitis quæ Nerea Nymphæ,
Divis exemplo credite pauca meo.

Lavinia Turno.

QVæ tibi Laurenti tua dat Lavinia Turno,
Clam lege, ſi per te mî licet eſſe tuam.
Arma moves igitur, populoque ruente Latino
Vnus qui repetet prælia Turnus erit?
Nec mea te genitrix, crebroq; madentia nimbo hæc
Lumina, nec noſter te cohibebit amor?
Nec pulſi Rutili clara moriente Camillâ, &
Non procul à turpi deditione tui.
Tyrrhenuſque pater, feretroque eductus acerno
Lauſus, & everſæ quæ potuere manus.
Nec genus Italiæ, neque te tua Daunia, quæque
Pendet ab auſpicio terra Latina tuo.
Adde, quid eveniat ſi triſte, miſerrima dicar
Cauſa ſubinviſi funeris eſſe tui.
Optarem, Tyriâ cum perfida ſolvit ab urbe,
Legit & Heſperias Troica puppis aquas;
Æta peregrinum feriiſſet turbine ſaxum,
Ipſe foret noſtris erro ſepultus aquis.
Tros Anchiſiade, quam tu mihi durus, & ipſa
Hæc tua cum tædis imperioſa Venus!
Turne per has lachrymas, per & hoc miſerable Tur- (ne
Pectus,

Pectus, & inviſæ virginitatis onus;
Parce tibi, mî parce tuæ, miſerere tuorum,
Impia de cerebro prælia pelle tuo.
Deſine Dardanio contendere, Rector Olympi
Id vetat, & capiti ſors inimica tuo.
Quem fortuna colit, mea lux, procul ille periclo
Militat, & dextro numine tela capit.
Quem fortuna fugit, ſub prælia terror eunti
Huic comes, ac animo frangitur ipſe ſuo.
Non incauta loquor, pugnæque pericula tantæ
Qui non prætimeat tu niſi nullus adeſt.
Non incauta loquor, ſuprema peregimus, atque
Cuncta mihi magico nota miniſterio.
Fana patris Fauni ſtabulis obtecta ferarum
Noſtin', & ex facie ſaxa verenda ſua?
Itur ad hæc, comites ſequimur, præceſſit Amata
Mater, & elumbis quæ ſacra curat anus.
Contulimuſque marem catulum, nigramq;bidentē,
Quam novies viva proluit amnis aqua.
Verbenæque comas; & Marmaritida, quæque
Surgit in immotâ virga biennis aquâ.
Contulimuſque ſalem, baccamque triennis olivæ,
Viſcum, farra, merum, thurea dona, focum.
Vix incepit anus, vix prima piacula tentat,
Horrida de medio cum ſalit umbra rogo,
Vt procul auditur ſpirantis in æthere venti
Stridor, & accretæ mobile murmur aquæ.
Subſilui,fateor, pavidaque in fronte capilli,
Vt nemorum motæ contremuere comæ.
Percunctatur anus, quæ Turni fata ? quis error ?
Anne peregrino debita virgo toro ?
Enthea vox ſequitur, mediis ut vallibus Echo
Verba refert primo debiliora ſono:
Pergite, relliquias bibulâ torrete favillâ,
Oſſa viri Latio tollite lecta cado;
Faunus ait, poſitum ſimul atra cæde metallum
Inficit, & vatis labitur ante pedes.
Dira rei facies, profugo concurrere Teucro
Deſine; fatales Phryx habet ille manus.

Adde,

Adde, quod hunc peperit Phrygii Simoentis ad un-
Dardanio Anchiſæ mitis Acidalia. (dam
Et Superum genus eſt, liquidoq; reducet Olympo,
Si metuet, plures in ſua vota Deos.
Sique mori potuit; Danao cum Pergamus igni
Ceſſit, ab excidio cur procul ille fuit?
Cur Diomedeæ ſupereſt inglorius haſtæ?
Vitrea cur facilem præbuit unda viam?
Sique mori potuit, miſeræ poſt funus Eliſæ,
Vt fugit Tyrias miles, & erro manus?
Fata Diique favent in prælia, mater eunti
Fit comes, adverſus dirigis arma Deos.
Illo quæratur, dicis, Lavinia campo,
Aſt hic qui demet te mihi campus erit.
Turne per has lachrymas, miſero ne funere dicar
Præda peregrini militis eſſe tuo.
Ille quidem ferus eſt, nec avara mitior unda,
Mobile per triſtes qui mare quærit opes.
Vlla fides olli, Danais qui prodidit auro
Pergamon, & patrios vendidit ære Deos?
Vlla fides olli, viduæ poſt funus Eliſæ
Pars aliis pacti qui cupit eſſe tori?
Hoſpitii lectique fidem qui prodidit erro
Perfidus, immitis quid foret ille mihi?
Cui periere duæ, fuerim Lavinia conjunx
Tertia? num generi mitior ille meo?
Vt bene conveniunt veteris Lavinia fælix
Saturni ſoboles, & Iovis ille nepos?
Si tibi ſum tanti, propero, ſi forſitan ignī
Sic furis, ut ſine me ſit tibi vile mori.
Vive mihi potius; Superis credamus, & arva
Trôs tua poſſideat, qui prius exul erat.
Vxor ero, mea lux, pacis tibi jura colenti,
Marte laboranti miles & uxor ero.
Fida comes tecum gradiar per ſaxa, per undas
Hærebo lateri læta puella tuo.
Si nihil hæc moveant, damnataque corripis arma,
Experiar parili ſi licet enſe mori.

Philomela

Philomela Tereo.

ATtica Threïcio, catulo pia Nympha furenti,
Pauca Lycaonio læſa puella lupo.
Perlege, quid dubitas? exſecta feriſſime Tereu
Non vetat integram ſcribere lingua manum.
Sed mihi quid tenui prodeſt inſurgere vento?
Quid facit ad crimen pagina picta meum?
O Tereu, Tereu, Rhodopejæ fœtida terræ
Eluvies, catulæ fœtus Hyperboreæ,
Nunc ubi pollicitum, jurataque verba parenti?
Nunc ubi regalis quæ fuit ore fides?
Nunc ubi blanditiæ? fictæ facundia linguæ?
Verbaque concentu delitioſa tuo?
Non licet iratæ pares Philomela ſorori,
Quàm deſiderii tunditur igne tui!
Perfida barbaries, ficta ſic fraude carentem
Ludis, & Ionios temnis inulta Deos.
Dî tibi pro merito, quid enim? nonne aureus enſis
Hærebat lateri, bellua fœda tuo!
Tu parcis vitæ, niveo non parcis honori
Perfide, ſed propior lux tibi, fama mihi.
Sic tibi peltiferi, Tereu, temnuntur Achivi?
Attica Threïcio ſordet alumna toro?
Quid furis? ah demens! non ſic moriemur inultæ,
Non ſoror hoc crimen temnet amica tuum.
O ſoror ignoto nimium conjuncta marito,
Si datur hæc facili litera picta tibi:
Rejice, ne vacuam turbent nova crimina mentem,
Scripta fuit dirâ pellicis illa manu.
Vt tamen admiſſum facinus ſi quæris, amaræ
Teſtis erit culpæ ſtridula lingua meæ.
Iupiter, ut perii! neque vitæ veſcimur aura,
Quòd placeat miſeræ languida vita mihi:
Sed prius optavi notus tibi funeris autor
Vt fieret, læſæ tunc mihi dulce mori.
Concava ſubducto ſqualent quoque lumina ſomno;
Vbera pulverea ſemiteguntur humo.
Pallor habet vultum, decedit pectore candor,

Et ſuperos animo deteriore voco.
Planta famem pellit, fauces mihi proluit unda,
Quæ dabit & tumulum, non negat herba torum.
Capripedes Satyri riſu nituntur acuto
Ludere, ſed Prognæ Dî meliora meæ.
Iam venit in mentem quando deſcendit ab alto
Barbarus, & nobis nota carina fuit.
Pandion veteris ſylvæ projectus in umbra
Dictabat miſeris Attica jura reis.
Turbaque nobilium, pueri teneræque puellæ
In viridi paſſa conſiluere coma.
Appulit Odryſius, ſoceri data copia, dextra
Iungitur, at lento quam tamen ille gradu!
Rex ſocer, ajebat, primum tua filia Progne
Et valet, & vitæ commemor illa tuæ.
Hinc, Itis incolumis, tamen hoc conturbát amicam
Sola manet ſemper quod Philomela domi.
Hanc cupit, hanc ſolam ſecum meditatur, & ardet,
At veniat facili mox reditura tibi.
Interea fulvo ſucceſſi nobilis auro,
Et mihi, ſi de me fas foret ulla loqui,
Vt Venus Idalia quoties diſcedit ab ulmo,
Fluctuat in ſcopulos, ut maris unda, coma:
Aut Thetis æquorea cum pectora tollit in alga:
Vbera cæruleis pene teguntur aquis.
Arſit amor Terei, fraudemque fefellit imago,
Nunc abiit candor, nunc abit ore rubor.
Attamen aggreditur, mentitaque verba parenti
Quæ dedit, incautæ reddidit ille mihi.
Addidit & lachrymas, ſed & has ait optima Progne
Mittit, & immemoris ſic memor illa tui.
Solvimus interea Piræaque littora venti
Eripiunt, glaucæ puppe ſecantur aquæ.
Ilicet exiliit Tereus, & Iupiter inquit,
Vicimus, & reduci ſunt mea vota mihi.
Miror, & infixo percurri lumine frontem,
Nec ſatis à dira ſuſpicione vaco.
Quid moror? à pelago feſſi deſcendimus, atque
Grata laboranti fertilis herba mihi.

Ille

Iſte ſcelus coram media detexit arenâ,
Dirigui, niveæ ſubrubuere genæ.
Quid facis? exclamo, tenues tremuere capilli
Vertice, mî venæ ſubſiluere meæ.
Vt levis Arcadio procul horruit hinnulus arvo,
Paſcua cùm cani præteriere lupi.
Ille nihil contra, valida vi ſternit inertem,
Rupta pudicitiæ vincula firma meæ.
Indicium ſceleris præſectaque lingua loquenti,
Ne qua forent tanti nuntia ſigna doli.
Talis eras, Tereu, nobis: ſic flemus inultæ,
Sic adit Ionios ſpiritus iſte Deos.
At ſoror, in ſomnis cur me tua terret imago,
Curve tegit vultum plurima penna tuum?
Ipſa mihi videor picto frondator amictu,
Et mecum triſtis convolat ales Itys.
Ales & Odryſius, lucent cui vertice criſtæ,
At ſignata levi ſanguine penna tibi.
Quicquid id; incluſa gremio diſcedimus aurâ:
Sive ferox Tereus, ſeu ſoror iſta legat.

Sophoniſba Maſiniſſæ.

SCilicet obſcuro toties mihi noctua tigno
Id cecinit,toties Punica dixit anus.
Nec mora, ſtant lentum mihi reſpirantia tabum
Pocula, ſed merito fortè minora meo.
Scipiadûm furiæ, Maſiniſſæ dura mariti
Munera; Romulidûm crimina; noſter honor.
Nec procul aurati cuſpis nitet ignea ferri,
Ne tua ſint magno toxica lenta malo.
Sic decet, ut memini, Carthaginienſis Eliſæ
Me genus, & terræ femina Sidoniæ.
Nec me captivam Tyriis inimica Quirini
Roma per indignas ludet inulta vias.
Polliciti fuit illa tui pars prima, peractum
Quod volui: noſter cætera neſcit amor.
Hæc mihi tum primum vultu prædixit acerbo,
Cum ſubii tectum libera nupta tuum,
Lælius; & noſtræ riſit compendia flammæ,
Non;

Non, ait, huic conjunx, ſed mihi capta jaces.
Exilii pavitans, & amari dicta Latini
Devoveo, vitæ vox inimica meæ.
Id quoque nox eadem, quæ me tibi junxit amantẽ,
Edidit, & fati conſcia Iuno mei.
Dira per emotam currebant ſomnia mentem,
Nulla quies thalamo, non fuit ulla toro.
Nunc Dodonæi tanquam tinnitus aheni
Murmur, & ignava tympana tacta manu:
Nunc vento motæ tanquam ſpiracula ſylvæ,
Sibilat ex imo flebilis aura ſolo.
Scilicet iratæ mihi nuntia ſigna Cytheræ,
Quid mirum? generi mitior illa ſuo.
At chara ô utinam tibi tam tua fama fuiſſet,
Quam mea ſunt tenui funera grata mihi.
Non ita Scipiadem coleres, Maſiniſſa, nec unquam
Præciperet capiti barbara Roma tuo.
Non miles Domini ſequereris ſigna Quirini,
Nec quateres Lybicam flebilis ultor humum.
Sed tibi ſervitium miſero, mihi labilis auræ
Libertas decori, lux tibi, Parca mihi.
Non ego, quod Numida retulit mihi nuntius, optem
Adjiceres ſummam, ſanguinolente, manum.
Nec quæ tu Tyriæ miſiſti munera nuptæ,
Officerent capiti pocula pota tuo.
Vni Parca mihi ſit laurea, dignus Eliſæ
Sim ſanguis, terræ fama prior Tyriæ.
At te per divos oro, Maſiniſſa, Libyſſæ
Telluris, generi, perdite, parce tuo;
Et conjurati pernoſcere ſigna Quirini
Deſine, Sidoniis liber ut eſſe potes.
Proh! in te Tyrii quid commiſere? quid optas
Infælix priſcæ Sidonis excidium?
Lapſaque taurini, Mavorte perennia, muri
Culmina? Iunonis vincula rupta domus?
Libertinus eas Italûm, fæciſque Quirinæ
Pileolum ut geſtes, quis furor? anne Deos?
Anne putas cœlum Maſiniſſa, piumque juventæ
Si decus? an famæ nomen inane tuæ?

Si colis Iliacos, quod te victoria tantum
  Tangit, & in vario pulvere lectus honor;
Vivit adhuc victor Latiis in finibus ingens
  Hannibal, hoſtiles per mare mittit opes.
Paret adhuc Tyriis Trinacria, fortis Iberi
  Littus, & aurati paſcua curva Tagi.
Et nihil amiſſum, Numidûm ſe ductor inermem
  Dedidit. ô pœnæ debitus ille ſuæ.
Dedidit, & Latiæ nunc pondera rauca catenæ
  Pertulit, & Lybico noluit enſe mori.
Vecors, erro, puer, noſtræque teterrima terræ
  Bellua, fœmineæ debilitatis honor.
Maluit infenſi frontem ſpectare Latini,
  Dum cadit ignavæ turpior imber aquæ:
Quàm pulchro interitu trabeati tecta Quirini
  Temnere, quam ſummum laude ſubire diem.
Quin & adhuc poterit claro vitare triumphum
  Funere, ſi timido mens foret ulla mori.
Non potuiſſe mori fictum, quia tenuia vitæ
  Quidlibet abrumpet ſtamina, fata, nihil.
Pectora ſervitio ſi colluctantur acerbo,
  Invenient fortes funera grata pedes.
Sique pedum durâ ſtringuntur compede nervi,
  Eripiet lucis tædia clara manus.
Et ſi ſerva manus, cerebrum collidere ſaxo
  Quid vetat? & fortem qualibet arte mori?
Sed neque vis animi, neque tanta potentia victo.
  Ibit, & hoſtiles ſentiet ille Deos.
Turba levis Numidûm comitabitur, iſta ferentem
  Ludet, & agnatos,horrida Roma,meos.
Nec tamen hunc puduit molli me ſtringere dicto,
  Auctoremque ſui conſtituiſſe mali.
Tanquam Romuleos fugeret, faviſſe puellam
  Sidoniam Tyriis. qui meus eſſet honor?
Scilicet ignavum coluiſſem nupta maritum
  Hoc tantum triti nomine connubii:
Ni me conſenſus Tyriûm moviſſet, & autor
  Hannibal, & patrii qui potuere Dii.
Vivere me Tyriis voluerunt numina, lecti

Læduntur cives, vincula nulla mei.
Et vixi Tyriis, vitæ dum futilis aura
Non fuit, ignavæ nunc mihi ſuave mori.
Oppeterem tantum melius, ſi nulla fuiſſent
Agnita connubii vota ſecunda mihi.
Hoc tantum primæ vitio cantabor Eliſæ
Inferior, noſtri ſic voluere Dii.
Hauſimus interea pateram tua munera, fervent
Ilia, delectus contrahit ora dolor.
Subſidunt lento morientia lumina ſomno, &
Hoc tantum fremitu debiliore cano:
Roma potes patriam, potes horrida Roma maritum
Demere, ſed vitæ non mihi jura meæ.

Paulina Mundo.

CAndida ſeu facili tolluntur lintea vento,
Mobile ſopitâ cum fluit æquor aquâ:
Seu ratis adverſis pelagi contunditur undis,
Cum negat aſſuetam cum Iove Caſtor opem;
Expedit extento confidat navita clavo
Impiger, & duros leniat arte Deos.
Sic mea ſeu pietas, ſeu mî tua crimina, Munde,
Officiunt, tuto dego ſupercilio.
Nec quoque ſint tanti tua mî commercia, ſola
Quæ venit ex merito culpa, pianda venit.
Artibus annoſi veniunt in retia cervi,
Collaque magnanimi fraude teruntur equi.
Inſidiis cedunt quæ tranant æthera pennis,
Piſces è mediis eliciuntur aquis.
Artibus imperium, munitaque mœnia quondam
Diruta, fatali ſemiteguntur humo.
Nec cuivis genium, nec aperto vivere voto,
Quæ primum venit, ſtamina Parca dedit.
Quæque ſuam patitur ſortem, cui candida vitæ
Omnia fluxerunt tempora, nulla fuit.
Vidit & inſidias Venus aurea, magna Quirini
Mater, Echionio Creſſa relicta Deo.
Sic doluit Dido, Rhodopæia Phyllis, & ipſa
Quam coluit cæſis Lemnia terra viris.

Tyndaris, & pomo quam vicit Acontius, icta
  Tu Diomedæo Callioneira dolo.
Et mea me pietas feriit, mihi Numina mentem,
  Ac ementiti ſurripuere Dii.
O utinam! tunc cum Phariis è finibus Io
  Venit, & obliqua tympana tacta manu;
Mobilis erro, Deæ nomen mentita, Latinis
  Dura, pudicitiæ perniciosa meæ:
Atque ſimul Serapis, torvæ cui cornua fronti
  Iſidis indicio proditus ille ſuæ:
Ambo fœcundi periiſſent gurgite Nili:
  Ebibit impuras aut ubi Memphis aquas.
Non mea me pietas, non eluſiſſet adulter
  Improbus, & famæ proditor ille meæ.
Æditus, leno, juvenum corruptor, avarus,
  Sacrilegus, temptor relligionis, iners.
Principis imperio, neque tu pro crimine, Munde,
  Deſereres patriam, mobilis exul, humum.
Ah pudet! & memini qua primum fronte timentē
  Cepit, & eloquio me ſcelus ille ſuo.
Penè dies abiit, viridique propinquior undæ
  Pronus in occaſum Cynthius egit equos:
Vt tulit eventus, fidentis in æde mariti,
  Ducebam facili lintea penſa manu:
A dextra famulæ telas texere frequenter,
  Et fuit à læva picta tabella mihi.
Hic erat Emathius, ſub Olympia mater, & olli
  Pectus qui premeret corniger Hammon erat.
Hæc ego dum meditor, Pharia de gente ſacerdos
  Intrat, & ô tacitè, filia dixit, ave.
Eſt rigor in vultu, deſcendunt vertice cani,
  Et fluit in ſiccum candida barba ſinum.
Ilicet accedo, & narrantis ab ore ſuperba,
  Plena peregrino pendeo tota Deo.
Tum pius æditus, niſi mî parere Tonanti
  Dixit, & immenſi nuntia ferre Dei.
Fata, Diique darent, non te Paulina pudentem
  Aggrederer, Latiæ nec foret iſtud opus:
Sed decreta Deûm fatalia, corniger Hammon,

Et qui Niliacæ rector Oſiris aquæ,
Te ſibi connubio junxit, partemque perennem
Indelibati te jubet eſſe tori.
Cujus concubitu Latium qui temperet orbem
Concipies, fati neſcia tota tui.
Hoc Iovis imperium, mulier, parere negantem
Sublimi ſnmmus ſternet ab arce Deus.
Protinus erubui, neque fari lingua volenti
Vlla fuit, quoniam mens mihi nulla fuit.
Hinc pudor, hinc pietas & famæ terror iniquæ,
Hinc honor, & tanti numinis urit amor.
Improba ſimplicitas, & mens nimis inſcia ficti,
Hac merui ſola credulitate mori.
Convenio, victor leno diſcedit, euntem
Proſequor, à ſenſu tota remota meo.
Nunc genus Herculeũ meditor, prolemq; perennẽ,
Nunc placuit tanto concubuiſſe Deo.
Ornantur digiti gemmis, & tempora myrto,
Pendet ab erranti candida ralla coma.
Nox erat, & vicos tenuit curator: in ædem
Tendimus, occluſas excubat ante fores
Laurifer æditruus. ſed cur ego pluribus? eheu
Capta fui ſacri relligione loci.
Et mea me pietas, & me meus abſtulit error,
Ignorat fictos credula turba Deos.
Res mala relligio metuenti Numen, amanti
Res bona, proh mea mî terror, & error erat.
Nec ſatis incautam tibi perdere, vincula raptu
Solvere, quæ junxit connubialis amor:
Objicis inſonti crimen, tua nomina, Munde,
Detegis & pleno verba canina foro.
Nec metuis pœnam, legemque perennis Iuli,
Et genus & noſtras, improbe, temnis opes.
Ad non Romani plectentem principis iram
I, fuge nunc patrias, mobilis erro, domos.
Aut adeas Rhodopen, lituſque binominis Iſtri;
Aut ubi turbatis Inachus errat aquis.
Aut ubi Sauromatæ procincti pelle ferinâ
Gaudent ignavæ vivere more feræ.

Te ſoles tepidi, brumæ te frigora tentent,
Emendicatus temperet ora cibus.
Inque peregrina tumuleris temtus arena,
Et tua ſubtriſtis viſcera rodat avis.
At tuus æditus, juvenum corruptor, & ignem
Pertulit, & ſceleri debita jura ſuo.
Templaque Niliaci perierunt diruta Divi,
Nec timet externos Martia Roma Deos.
Nec nocuere mihi tua crimina, protinus iſto
Indelibatus carmine vivet honor.
Me licet immundam mentitus Numina Mundus
Reddidit, everſo numine munda fui.

Iulia Auguſto.

HAnc tua do, Cæſar, tibi tentatura libello,
Si melior judex, quam pater eſſe potes.
Non te flectendi mihi quod ſpes ulla, cruenti
Notior exilio Cæſaris ira meo.
Sed prius Æneadum ne qui mea crimina damnent,
Quam norint, animo ſic meliore cado.
Eſt objecta mihi vilis potatio, cultus
Mollior, obſcœni rumor adulterii.
Exilii cauſæ ſpecie tenus, ira tyranni
Re-vera & cerebro crimina cocta tuo.
Adverſum tenues nunquam caruere potentis
Crimina, commoto divite pallet inops.
Civis in innocui jugulum neque ſica tyrannum
Deſerit, amoto cum furit ira Deo.
Quò pater eloquii? tibi quid peccavit inermis
Tullius? impuro proditus ore tuo.
Quove ſenator, eques, populi pars altera, quorum
Cæde ſuburbanæ nobilitantur aquæ?
Quo genus Herculeum? quo nobilis ultor Iuli
Marcus? an Octavi proditione jacet?
Proh! nihil intererit furiati ad tecta tyranni
Si ſemel offendas, hoſpes, an hoſtis eas.
Scilicet à nobis ferus incipis eſſe, nec ipſi
Sauromatæ bilem non didicere tuam.
Non ſatis audierant equitis lamenta Poetæ,
Iure Tomitanis quæ facit exul aquis.

Gratior innocuo populi non profuit aura,
Non veteri fælix nobilitate domus.
Non nitor ingenii, non uberis aurea linguæ
Copia, Romulidûm qua prior ille fuit.
Quodque Tomitano mittit tibi littore carmen,
Mulceret Stygios lactea vena Deos.
Sauromatæ civi parcunt, non Cæſaris ira,
Mitior ingenio barbara terra tuo.
Dic mihi quid nocuit venerum pater? anne merenti
Forſan, & inſonti Iulia nota fui?
Hunc colui fateor, quæris quæ cauſa? merebat
Ingenio vates nobiliore coli.
Et vetus imperium, & ſi libera Roma fuiſſet,
Inferior generi non foret ille meo.
Crimina nec miſero finguntur vera, require,
Non fuit in tota caſtior urbe tua.
Quid tamen id prodeſt? Domino dum ſervit iniquo
Roma, ſub irato principe jura latent.
Doctor adulterii Naſo, cui mœcha volenti
Iulia, legitimum cum nequit ira modum.
Caſtus Cæſar, ait, mox Livia, lena puellum
Subjicit, illa pio pectore celat opus.
Turba ſenum comites olli, ſed adultera ſemper
Iulia, ſpectato nec comitata viro.
Caſtus Cæſar, ait, ſed amantis in ore mariti
Cur redit à caſto fœmina paſſa toro?
Livia triſtis alit canos in fronte capillos,
Evellit facili Iulia læta manu.
Ergo relegetur Siculos ubi reſpicit unda,
Nec plebs innocuæ, nec ferat ullus opem.
Interea caveat Cæſar ne crura capillo
Horrida, ſint pueris aſperiora ſuis.
Vre pilos nucibus, ſint mollia crura puello,
Vt quod agis poſſis, imperioſe, pati.
Non tamen exilium metues, lex Iulia Regem
Legibus exemit, liber ut unus eat.
Heu pudor! heu pietas! ubi nunc tua ſæcula, Caſſi,
Nunc ubi ſunt Bruti, Martia Roma, tui?
Romulus occubuit, Tarquinius, Appius, ipsâ
Nobilium

Nobilium cecidit Gracchus uterque manu:
Iulius ille fori, & belli decor. Ara cynædo
Ponitur, & purum plebs putat eſſe Deum?
Sanguine qui Tiberis civili infecerat undas,
Quo prodente pii tot cecidere viri,
Trux, immitis, iners, Satyro laſcivior ipſo,
Dedecori nobis quod pater eſſe potes.
Roma, pati Dominum ſi te potuiſſe putabas,
Cur cecidit Bruti Iulius ante manu?
Si quis erat populo potuit qui jura Quirino
Dicere, Romulidum dignior ille fuit.
Iulius orbis honor, ſolus virtute Quiriti
Qui potuit moriens impoſuiſſe jugum.
Ille fuit Dominus, molli parere cynædo
Dedecus, opprobrium ſanguinis Iliaci.
Nec mihi quis vitio vertat, quod nata parentem
Proſequor; his meruit non meliora pater.
Nec pater ille mihi, qui me temeravit, & almæ
Eripuit patriæ, non pater ille mihi.
An non ſuppliciter patres petiere Latini,
Vt fieret reditu mitior ira meo?
Flamma prius dixti gelida miſcebitur undâ,
Quam repetet noſtram filia mœcha domum.
Gratus amor populi, curamque extendit inanem,
Arſit & immiſſo frigida lympha rogo.
Nil tamen indultum: vetus inclementia mentem
Occupat, & capiti ſors inimica meo.
I modo, quid lubeat peragas duriſſime, nos nos
Ibimus immiti quo vocat ira manu.

Octavia Antonio.

VT rami referunt viduæ lamenta palumbæ,
Vt perit amiſſam fœmina turtur avem;
Te tua depereo fælix Octavia; tantùm
Si partem lecti me paterere tui.
Non ego Niliacam cupio te pellere, nec te
Pellicis in vacuum diſplicet ire torum.
Quæ te delectant, mea lux, mihi grata, nec unquam
Quæ tua ſunt nobis gaudia crimen erunt.

Tantum connubio videar tibi juncta perenni,
  Nec novus antiqui vincula rumpat amor.
Hei mihi! quid feci? potui quo crimine pœnam
  Hanc, quo commiſſo commeruiſſe meo?
Dic ubi mandatum, quando tua juſſa fefelli?
  Aut tua ſunt monitu cognita vota meo?
Dic ubi connubium turpis temeravit adulter?
  Quo precor indicio cognita mœcha fui?
Quid furis incaſſum? miſeram quid plectis amantē?
  Quo ſenſus abeunt imperioſe tui?
Si genus Herculeum repetes, & ſydera cælo,
  Movit honoratos ſæpe puella Deos.
Si genus Æneadum, Phrygii ſi ſemen Iuli,
  Infima de populo non ego civis ero.
Non tamen ut tecum coner contendere, cunctos
  Qui vincis diâ nobilitate tuâ:
At minus Ægypti certet mihi præda, nec unquam
  Pugnet imaginibus barbara terra meis.
Si te Niliacæ facies exurit, & artus
  Conterit, heu! famæ pernicioſa tuæ:
Antoni, ſubeat tibi tempta Octavia, quondam
  Te potui formâ demeruiſſe meâ.
Si capiant mores, ſubeant tibi curva Tarenti
  Littora, tunc læto pignore fœta fui.
Suſtinuere tibi trecentas æquora puppes:
  Cæſar Romano milite dives erat.
Par fuit impietas, pugnæque pericula tantæ
  Non illaudati pertimuere viri.
Protinus ut memini, tum convenere Tarenti
  Pacati monitu ductor uterque meo.
Littore tunc licuit peditem vidiſſe quietum,
  Æquora tranquillas ſuſtinuere rates.
Priſtina ſubducto renovantur fœdera bello,
  Ornant alternas munera multa manus.
Attica cum tetigi confinia mobilis hoſpes,
  Et deſiderii debilis igne tui;
Signati mecum venerunt æris, & auri
  Lecta per ignotas pondera mille manus.
Et delectorum duo millia gentis Hetruſcæ
  Robora,

Robora, tutelæ dedita turba tuæ.
Protinus acceſſit qui me cohiberet euntem
Nuntius, Antonî litera picta manu.
Pallida conticui ſtatuæ labentis imago,
Inque ſinum ſalſæ labitur imber aquæ.
Attamen exſequimur duri mandata mariti,
Ne tua delicto pergeret ira meo.
Italiam redii, venientem Roma cachinno
Excipit; admiſſi conſcia tota tui.
Callida tunc poſui rugas, frontemque benignam
Compoſui,domini ne premeretur honor.
Et reditus finxi cauſas, ſed fallere fratrem
Non potui, morbo ſæviit ille ſuo.
Meque domum juſſit migrare, fidemque perennem
Sanctaque delecti temnere tecta viri.
Protinus ut monuit, monitis parere negavi,
Ne fluerent facto civica bella meo.
His tamen ô utinam, pellex contenta fuiſſet
Improba, diſſidium nec meditata novum.
Miſiſti Romam, qui me depellere tandem
Debuerant tectis, imperioſe, tuis.
Vix mandata docent, faciles excedimus,at mî
Fletu fœdatæ perrubuere genæ.
Eduxi mecum communia pignora,tantum
Quem primum peperit Fulvia, miſſus erat.
Proh tua libertas ubi nunc? ubi candida Marci
Simplicitas? priſcus nunc ubi ceſſit honos?
Quo genus Herculeum? quo reſpirantis Iuli
Vltor? & inſignis gloria Romulidum?
Cui ceſſit Brutus, cui Caſſius impiger, ille
Fœmineâ vinctus compede temptus erit?
Bis captive cades, noſtri totieſque triumphi
Præda eris, & famæ proditor ipſe tuæ?
Illecebræ Phariæ,mea te tollerantia perdit,
Conjugis ingeninm, pellicis imperium.
Heu rerum ſeries! heu inconſtantia vitæ
Tempora! delicto nobilitata tuo.
Cur ſegetem campo Titan? cur colle Lyæum
Elicit, adverſis ut vitientur aquis?

Altaque ſidereo cur certant mœnia cælo,
Vt premat annexum fœda ruina ſolum?
Cur te conſpicuum fecit tua dextera, Marce,
Vt lapſu læſus deteriore ruas?
Dî quibus imperium curæque perennis Iuli
Poſteritas, Romæ mater Acidalia,
Amphitryoniades, Antonî gloria, noctu
Somnia quærenti da meliora mihi.
Nec me conturbent, toties meliora merentem,
Funerei vultus, ſanguinolenta manus.
Nox erat Antoni, plenoque per æthera curru
Candida furtivos Cynthia duxit equos:
Sola toro jacui, cum me tua flebilis umbra
Terruit, & timidæ, fœmina dixit, ave.
Vnus Eros aderat tecum, morientis imago
Verior, & penitus ſanguine caſſus erat.
Tu quoque pallebas, ductumque per ilia ferrum
Viſus es exſangui depoſuiſſe manu.
Inq; domum Dominæ, proh cor mihi quale tuenti!
Pertractum lento devoluïſſe gradu.
Illius in gremio vitam poſuiſſe, ſed illam
Qui poſt perfoderet, lucidus anguis erat.
Dira vetent ſuperi, neque te meliora merentem
Quamlibet infenſi proterat ira Dei.

Veneris Lachryma.

ITe diu gratæ Veneri, procul ite columbæ,
Non ego carpento vector ut ante meo.
Deliciæque meæ virides areſcite myrti,
Sertaque turbatæ debita nulla comæ.
Proque mea myrto, feralis virga cupreſſi
Proque meis avibus, noctua, corve, veni.
Tuque puer vacuam calamis depone pharetram,
Poſt tibi qui cudet ſpicula rarus erit.
Eque tuis alis primas cum ſanguine pennas
Velle, Cupidinea cætera ſcribe manu.
Scribe meas lachrymas, hoc indelebile carmen,
Et pennâ, & tepido ſanguine pinge tuo.
Ah abiit mea lux! obiit formoſus Adonis:

Ah!

Ah! viduæ Veneris cura perivit Adon.
Ictus dente jacet gelidis in montibus apri,
Et notat infælix inguen, & ora cruor.
Haud aliter Tyrio tinguntur lilia cocco,
Haud aliter minio raſile pallet ebur.
Oſcula frigenti libamus plura marito,
Nulla ſed exanimis baſia ſentit Adon.
Et ſuper exſangui miſerè ſuſpiria fundo,
Quid refert? luctu non redit ille meo.
Vulnus Adon,fateor,grave habet,ſed non minus illo
Ah! ego ſub niveo pectore vulnus alo.
Nudus Adon jacet hic viridis ſub fronde cupreſſi,
Nuda pedes mœrens per juga Cypris eo.
Si tibi perfoſſo decurrit ab inguine ſanguis;
Et ſanguen nobis elicuere rubi.
Si tibi cæruleæ pallent in corpore venæ;
En tua nunc tecum pallet amica Venus.
Hei mihi! quod Stygiam ſimul & tranare paludem
Non licet, æternam me pudet eſſe Deam.
Corde meo gemitus, oculis decurrite lymphæ,
Vbertim tremulæ currite lachrymulæ.
Ah! abiit mea lux, obiit formoſus Adonis:
Ah! viduæ Veneris cura perivit Adon.
Flete meos caſus, labentia flumina, fontes,
Oceani Nymphæ, mater amica mare.
Flete ſimul mecum Dryades, nitidæque Napææ,
Najades, & cultu Flora petulca tuo.
Dumq; Venus lachrymat, decedant pabula campo,
Ad Veneris quæſtus exue ſylva comas.
Dum Cytherea dolet, pharetram deponat Apollo,
Linque pater fulmen, Pan quoque pone pedum.
Endymion Lunæ vileſcat, Iuno Tonanti,
Et Iaſius Cereri, & Arcadi Nympha deo.
Parce Ceres ſegetem fœcundo credere campo,
Dum Cytherea dolet, quæ tibi meſſis erit?
Parce Bromi vites alto committere ſulco,
Nulla fluent ſicco vina cruenta lacu.
Parcite paſtores vaccas ſubmittere tauris,
Ipſa Venus lachrymo, tum mihi ſcribit amor.

Hæc quoque ſæve puer dum pingis amara, libellũ
  Scribendo ſalſa dilue ſemper aquâ.
Et mecum repetas; Obiit formoſus Adonis,
  Ah! viduæ Veneris cura perivit Adon.
Pulcher Adon: puerilis Adon: pudibunde puelle,
  Quam malè venator tantus amator eras!
Lumina tolle tamen licet immorientia ſomno,
  Iſta ſemel Paphiæ baſia noſce tuæ.
Quod ſupereſt, animæ Veneri legiſſe labello
  Sit decor, & gemitus ebibat illa tuos.
Inque ſinus Dominæ nudus dilabere, ceſtus
  Cede: vel immites experiere manus.
Care mane, mea cura mane, mea vita maneto,
  Summa ſemel Paphiæ baſia noſce tuæ.
O Erebi leges, & jura potentis Averni!
  Et quæ munitæ ſtant adamante viæ.
Arbiter inferni populi, cui militat ingens
  Cerberus, & craſſa portitor udus aqua;
En tibi delicium Veneris, formoſus Adonis
  Frigidus infernas excubat ante fores.
Nulla locis unquam, repetas ab origine regni,
  Pallidulis Erebi clarior umbra fuit.
Nobilis Euridice fidibus repetenda mariti,
  Bella quidem, puero quid tamen illa meo?
Raptaque Tænario Cereris tibi filia curru,
  Digna fuit thalamo, nil tamen illa meo.
Iuro meum ceſtum, puerique Cupidinis arma,
  Hunc ſimul abripiens, omnia bella rapis.
Corde meo queſtus, oculis decurrite lymphæ,
  Vbertim tremulæ currite lachrymulæ.
Ah! abiit mea lux, obiit formoſus Adonis,
  Ah! viduæ Veneris cura perivit Adon.
Æquoris intumeant undæ, flent aere venti,
  Perpetuo madeat pallidus imbre dies:
Quo Venus Aſſyrio ſtruit hæc monumenta marito,
  Ducitur exſtincto quo pia pompa viro.
Rumpe puer tumulo ſuper hoc tua tela Cupido,
  Et lachrima, tua dum ſpicula rumpis Amor.
Deme tuis, Hymen, ſertum geniale capillis,

Nec

Nec niteat triſti candida tæda tibi.
Ite, ſat eſt. Charites componite membra mariti,
Vulnera formoſis cruda laventur aquis.
Intonſi fluitent nivea cervice capilli,
Immadeat Tyrio myrtea rore coma.
Suave Palæſtina diſtillet arundine nectar,
Nardus Achæmenio ſpiret odora cado.
Poſtremo poſiti ſcribe hoc in margine carmen
Marmoris: Hic Veneris vir jacet albus Adon.
Siſte puer ſanguen, tua ne quoque funera cernam,
De tabula feſſam, dum fleo, tollo manum.

M. ALEXANDRI BODII
HYMNI.

ROSA *ad Ioannem Metellanum Scotiæ Cancellarium.*

NOn cuivis vitem committit vinitor arvo,
Non ubicunque Ceres; & bacca vitentis olivæ
Proveniunt. Melius tondent dumeta Tarenti
Capreolæ, melius Panchæâ oriuntur arenâ
Vnguenta, & magnum ſtringunt vineta falernum:
At ſi quis Rhodopen, aut alta Ceraunia tentat
Scrutari, & veteres Orphei decerpere lauros,
Vt furit! illius tantum me alludere myrto
Calliope tenui dat cantu, & pectine picto.
Sed tu conſilio quamvis Metlane potentem
Et munis Regem, & populo das jura potenti
Pibracus Arctoæ, & Phœbo par Hoſpital undæ:
Me lege; nec puram tibi quam decerpimus ipſi
Callimachi tumulo, duris de ſentibus Hæmi
Temne roſam, at tenui da tempora parva Poetæ.
Seu qui ſpirantem è viridi mirantur odorem
Stipite: ſeu celebris tanguntur munere formæ,
Lucani & biferi veniant ad littora Pæſti.
Bis poma autumno levis illic elicit imber.
Bis ſeges infuſo caput effert humida nimbo.
Bis tentat fœtura gregem, bis pabula campo,

Et raſtris domiti bis turgent floribus horti.
Et roſa bis tenero prodit de palmite; vernæ
Dum labuntur aquæ, & gelidus ros pinguia lambit
Gramina, dum ſteriles exſudant nectara culmi.
Exit cauliculus primum; dein vertice pendet
Gemmula de tenui:defendunt undique frondem
Incurvæ calices, baccamque imitantia quercus
Tegmina. ſi mollis gemmam perfuderit imber,
Erumpunt curvæ tunicæ: ſub tegmine turget
Ipſa aura leni & ſuavi ſpiramine tentat
Nares, dum rutilo venientem invitat amictu.
Si genus anquires, tantæ primordia formæ
Pennifer hanc olli Veneris puer indidit Idæ
Montibus, & luctu ſaltus complevit amaro.
Hic dum forte Venus viridem decumbit ad ulmum,
Deſertoque leves Dominæ temone columbæ
Ad ripam liquidi rimantur pabula Xanthi;
Eſt ſpinâ punctus Veneris puer, ilicet ictu
Palluit, & tepido tinxit ſpineta cruore.
Accedunt lachrymæ, ſortem miſeratur iniquam
Iupiter, & ſanguen ſpecioſâ fronde rubentem
Eſſe jubet florem. lachrimæ mutantur eâdem
Forma; ſed rubor hoc folio, fit candor in illo.
Salve perpetuum Paphiæ decus; inclyte Divûm
Sanguis, & herbiferi florum pulcherrime Pæſti:
Verni cura diei, redeuntique annua Tauro
Gloria, Pan viridis, ſeu te de fronte Lycæi;
Seu te Thymbræus pendentem à culmine Cynthi
Carpit Achemeniâ miſcens tua brachia nardo.
Hunc vidi florem (vati mihi vera canenti
Credite poſteritas) Alpina in rupe legentem
Capripedem Satyrum, redolentis nectara ſylvæ
Ridiculo coluit rictu, dein nare recurva
Ebibit, & cantu ſaltus complevit acuto.
Accurrunt Dryades, æqualia numina ſylvis,
Et Nymphæ nemorum, venit albo Cynthia cornu,
Et ſpinæ primos lætæ populantur honores.
Tum primum faciles Bodium videre Napææ
Fronde

Fronde ſub obſcura coryli, cannæque latentem:
Injecêre manum Dominæ, tractumque ſub aram
Helleſpontiaco vatem ſanxere Priapo.
Ex illo colui Nymphas, citharaque potenti
Et violæ cecini rores & nectara thymbræ.

VIOLA *ad P. Fabrum Sanior Tholoſa Præſidem.*

NAſcentem violam, Prætor, quà pinguia lambit
Lympha Pyrenææ toties tua rura Garumnæ,
Exequar, & tenui tingam dumeta rubore.
Te ſine nil nobis Deus annuit, inclyta Divûm
Cura, Caledonii videas inventa Poetæ.
Primum rivus ubi liquido pede perluit arva,
Aut ubi muſcoſos ſtringunt viridaria fontes,
Pumilus erumpit violæ, ſed fronde recurvâ
Pactilis, excelſo turget quaſi bacca Venafro:
Aut tener Idææ qui frondet echinus acanthæ.
Sed ſimul ac Aries cirrato vellere cornu
Exerit, & molles naſcentia compluit imber
Pabula, perrumpunt tunicæ, ferrugine lucet
Anſa levi, tortumque caput demittit in arvum.
Si qua fides Danaûm, propter Peneia Tempe,
Herba ubi continuis interviret humida nimbis,
Iupiter hanc aluit, mutatæ pabula Nymphæ.
Heu! quoties violam limoſæ ad paſcua Lernæ,
Inachis, Herculeas ubi cornua vidit ad undas,
Attrivit pedibus,dum nare afflaret anhela.
Tune pudicitiæ? tu virginitatis ademptæ
Munus? ait, viridi fluis hac quæ cortice gemma
Purpurea, & ſuavi miſeram perfundis odore.
Hæcne fides Superûm?ſic me Deus arcet inertem
Improbus? & tenui libata rependit honore.
Hæc ſecum violæ lachrymans accumbit olenti
Inachis, & patriæ mugitu murmurat undæ.
Nec tantum Lyciam,Zephyro ſpirante,per herbã
Purpureæ ſerpunt violæ; ſed amata reſurgit
Livida, turbatæ Pactoli concolor undæ.
Mitis & æquoream referens ſpiramine caltham,
Hæc

Hæc virtute ſuâ fluctus immiſſa marinos
Temperat, & luteo tremit indiſtincta capillo.
Sed neq; te quamvis ſterilis fert ceſpes agreſtē,
Candida, prætereo, tantum tibi pulchrior illo
Eſt color, innato quantùm decedis odore.
Nec te triſtis hyems, nec alentis frigora Cauri,
Mitior Auſonias ubi temperat Heſperus undas,
Exurunt niveam. Zephyro tu prima tepenti
Fis comes, & lentæ bellum geris ultima brumæ.
Quin immitis apis non tantùm ſedula ſugit
Narciſſi lachrymas, & olentis nectara Thymbræ;
Sed violæ ſuccum tenuem: ſeu vere rubente
Surgit pura dies, molliſve interluit imber,
Et pecus intonſæ delectet candor acanthæ.
Et ſæpè ex violis pueri, teneræque puellæ
Suavè exhalantes capiti implicuere coronas.
Nec te noſtra Calys tantum; pulcherrima ſed te
Gella fovet gremio, teneræ cui lactea turgent
Vbera, cui niveæ pandus ſinus ipſe Cytheræ
Hinc atq; hinc tumulo tenus, alvo candet eburno.
O! ego ſi fierem violæ ſpirantis imago;
Tunc demùm & Bodio mutata fronte liceret
Radicem arentem vicino intingere fonte;
Non cum ſydereo ſortem mutaret Olympo.
Et crebrò violam frondoſæ è montibus Idæ,
Cum Lacedæmoniæ Phrygiam tenuere carinæ,
Doctus Apollineâ vellit Podalirius arte,
Centauruſque manu Chiron, cum Troilus enſem
Tingeret, & durus Lyrneſſida fleret Achilles.
Vulnera purpureis ardentia leniit, albis
Pus pepulit, luteis duro conferre lieni,
Et crapulam flexa potuit purgare corona.
Nec mihi ſint tanti niveo certantia cygno
Lilia, nec nardi: nec olentis virgula Thymbræ,
Laudibus ut violæ certent, non fronde rubente
Quæ Præneſtino prodit roſa pulchrior arvo.
Quod ſinus Æmoniæ, quicquid Thebeia Tempe,
Et ſubterfuſus liquido prælambit Orontes,
Decedant violæ, violam dum Phœbus amabit,
Ipſe

Ipſe Caledonio non prænitet Heſperus Arcto.
At ne committas nitidæ ſub fronte Garumnæ
Quæ tibi naſcuntur violæ, vel vepribus auras;
Aut interfuſos declinent gramine nimbos:
Neu calami tenues, & adunco cortice ſcirpi,
Lentitiem quamvis, & cædua vimina cælo
Tollant, obrepant violæ: ſed fronde perenni,
Hic tibi vicinos tingat ferrugine fontes.

LILIVM *ad N. Rapinum in exercitu H.* IV. *ſummum Quæſtorem.*

AMphitryoniadem puerum, diſtenta novercæ
Vbera, & Aonio canimus naſcentia campo
Lilia. labenti faciles accurrite Nymphæ.
Nam mihi (Pierius dum fervor in aera raptat)
Arctoo tactæ labuntur frigore pennæ.
Pellite Pierides. Specie decepta mariti
Alcmene poſtquam gelidæ propè flumina Dirces
Læta marem peperit, prolemque agnovit Olympi;
Convenere Dii nemorum, & natale notarunt
Pallidulis oleæ baccis, & cæde capellæ.
Quinetiam venit cœlo demiſſa ſereno
Iuno Iovis conjunx odiis aſperrima Divûm.
Et quis adulterii modus? inquit, inania temnet
Pacta tori Deus, & puero parebit Amori?
Prona dein terræ accumbit, pupoque jacenti
Humenteſque ſinus, atque ubera læta tetendit.
At pius hanc fraudem pepulit pater. ergo ubi plenis
Vberibus niveæ liquuntur in æquora guttæ:
Protinus emergunt prægrandia lilia, brumæ
Quæ candore nives ſuperant, & odoribus auras
Pallentis violæ, Thaſios virtute racemos.
At cui te referam terræ, pulcherrime florum?
An ſinus Æmoniæ placet, & Peneia Tempe?
An ſinus Aſſyriæ placet, & Neptunia Tempe?
Quæ circumfuſus liquido pede lambit Orontes.
Sed neq; Tyrrheni Zephyros & gramina Thuſci,
Fœcundoſque ſinus Calabrum, non Hyria rura
Non

Non Lacedæmonii faſtidis prata Tarenti.
Pumilus excelſus, ſed inerti robore lilî
Non ſuſtentat onus, quare imum illabitur arvum.
Candor ineſt frondi: paulum ſtringuntur ad imūm,
Inque ſinum ſeſe laxant reſupina labella,
Effigie calathi tenui pendentia filo.
Semina ſpes generis vento panduntur & imbri.
Nec tantum bulbo ſeritur, ſed ſæpè recenti
Ipſe ſua lachrymâ, pingui contentus agello.
Eſt & progenies, & ſunt quoque fœnora lilî.
Non ingrata ſolo mandes ſi ſemina terræ,
Mox quinquageni penetrant in viſcera bulbi.
Nec ſimplex lilî facies. promittit agreſte
Teſqua ſolo ſterili: glauco confinia ponto
Littora: Pyonii ſquallentia rura Cayci.
Et Domini plantata manu manſueta dehiſcunt
Lilia, ſucciduus dum prata virentia tondet
Foſſor; & ambuſtæ ſqualent in rupe myricæ.
Nec tantum niveo veniunt nativa colore
Lilia, ſed frondes etiam fucata retingit
Purpura, pampinei craſſâ de fæce Lyæi.
Vſque adeo nihil eſt quod non ſolertia vincit
Agricolæ, & duri manus imperioſa coloni.
Hoc Rapine tibi venerum pater, offero, & una
Ictibus attritum variis depono bidentem.
Namque ego dum volito, celeri dum ſingula tango
Pollice, defeſſæ labuntur pectore Muſæ.

CROCVS *ad L. Spondanum Præf. pro Rupell.*

PHœbeæ livor quamvis immurmuret auri:
Quid facit ad Rhodopē Borealis canna Britanni?
Attamen hunc pepulit Phœbus, nec ſola Britannum
Tentat triſtis hyems, ſed & alta Ceraunia, dixit,
Et canæ Rhodopen etiam texere pruinæ.
Tunc abiit livor, viridique ſub ilice tutus
Vt crocus Æmathio, cecini, ſuſpirat Olympo.
Huc Spondane veni. dum te tuba tentat Homeri
Inclyta, montanæ ſtrepitum ne deſpice cannæ.
Commendant Cererem ſpicæ, vitemque racemi,
Gaudent

Gaudent purpureo lethæa papavera cocco,
Aurea fila croco decori, protrita Lycæo
Dum Phœbi pedibus redolent, nimboque recenti.
Non quâvis terra gaudet crocus. humida frondi
Noxia, ſalſa ſitum pariet, ſabuloſa virentem
Enecat, & campo ſpicæ tenuantur aprico,
Pingue croco melius dulci, quod rarior imber
Proluit, & ſudi faculis areſcit Olympi.
Quale nemus Ciliců Coryci ſub fronte virentis,
Et Peluſiaco tellus habitata colono,
Et Lycii colles, vicinaque rura Peloro.
Radicis bulbo ſeritur crocus, humida quando
Bruma madet, ſpirantque leves nova frigora Cauri.
Tempore non alio viret, & ſua fila legenti
Præbet, & hyberna melius ſiccatur in umbra.
Floret at autumno, florique incumbit odoro
Virgula, grata coco, pingui dilecta culinæ,
Grata Caledoniæ populis, qui lintea tingunt
Alba croco, formamque notant mantilibus auri.
Sed nunc Phœbus abit, poſtremaq; fercula portat
Theſtylis, attritas pueri deponite mergas.

HYACINTHVS *ad F. Balduinum Senat.*

LAtonî lachrymas, & picta fronde rubentem
Ajacis florem, flavique comas Hyacinthi,
Dicite Threïciæ Rhodopejo pectine Muſæ.
Tuque adeo cujus viridem prope Santonis undā
Carminibus rabiem ponit mare, murmura venti,
Et cantu moti veniunt ad littora thunni,
Balduine, illecebræ Divûm, divine Poeta;
Huc ades, & tenuem pelle in vada cærula lembum.
Tecum ego, conantem prohibet ni Parca, Quirini
Primus Biſtonias inducam fontibus umbras,
Prima Cyrenæi repetam miracula, nec me
Terrebunt veteri Phœbo pugnantia Vidæ,
Nec Biſantini modulamina docta Marulli.
Poſtquam rore novo tepidum ver humida lambit
Pabula, & hybernâ Piſcem deſpexit in unda
Dux Aries, viridi fervet ſub capite ſanguis

Mollis Amyclei, Tyrioque nitentior oſtro
Suavi Tænarios tingit ferrugine campos.
Sed quâ te referam formâ puer? anne pluenti
Nectara conveniam Danao? campeſtria cepe
Divite qui numero te prodidit, anne peritis
Vatibus Auſoniæ? qui te canentia dicunt
Lilia ni niveæ pugnaret purpura formæ.
Hæreo. Sed Danaum mendax genus; ipſe reponā
Quæ vidi, dubiæ noceat ne fabula plantæ.
Non procul à pelago qua docta Valentia tollit
Mœnia, & immites doctrinâ emollit Iberos,
Purpureum vidi florem, radice tenaci
Hærentem terræ, ſed lento caule ferentem
Narciſſi faciem, diſtinctaſque ordine frondes
Protulit, & Tyrio caulem veſtivit amictu.
Quinetiam foliis, numeris inſcripta notavi
Et Phœbi, & mutatorum ſuſpiria Regum.
Hunc mihi Iber florem Oebalii demonſtrat. Ibero
Credidimus. Danai valeant figmenta Poetæ.
Sed neque Latoni luctum, neque naribus iras
Spirantem Zephyrum, furiaſve Ajacis inulti
Clio prætereas; nec enim pateretur Apollo.
Argivos inter, Pelopæaque mœnia quondam,
Dum Sparte, & Phœbo gratæ colerentur Amyclæ,
Prodiit impubes Hyacinthus, ut ignea Phœbe
Fulget, & occiduæ vicinior Heſperus undæ.
Hunc forte errantem vidit per Tænaron ipſe
Infælix Zephyrus, tenuem ſuſpendit amictum
Fibula, ne tunicæ grati ſpiracula venti
Pellant, & tepidæ declinent frigora mammæ.
Arcus adeſt humero, ſpirant in ſpicula fractæ
Auræ, vibrati refluunt in terga capilli.
Palluit infælix Zephyrus, propiorque furenti
Ter gemuit, tenui terque ipſa madentia nimbo
Brachia concuſſit, gremio ter defluit imber,
Ter toto affectæ ſtrident in tergore pennæ.
Quid faciat? nec enim verbis turbare timentem
Audet, nec potis eſt naſcenti occurrere morbo.
Ardet amore tamen, tepidamque per ilia cornum
Haurit,

Haurit, & adverſi regnant ſub pectore venti.
Interdum circum puerum ſpiramina fundit
Tenuia, nonnunquam flatu pulcherrima lambit
Labra levi. ah! quoties viridi proſternere campo
Nititur, & chlamydem pictis avertere limbis,
Lædere ni timeat. Sed jam Pyroenta ſub undas
Sol agit, & terræ paulatim intervenit umbra,
Cum puer in tectum graditur: comitatur euntem
Phœbus, & accenſo totum metitur ocello.
Quid moror? ut vidit, cupiit, potiturque cupito.
Interea Zephyrus luctu marcebat, & ignem
Nec celare olli, neque Divo occurrere tanto
Eſt potis, amentem ſpes perdita vexit in iras.
Nox erat, & tacito currebat cærula curru
Cynthia, conveniunt Divi. certamina diſci
Veloces ineunt Eurotæ ad littus, uterque
Exuvias ponit, pinguique virentis olivæ
Vngunt ſe. primus libratum pondus in auras
Emiſit Titan: Zephyrus prævidit, & orbem
In caput Oebalii ferus impulit, ilicet ictus
Diriguit puer, & de ſanguine naſcitur herba.
Illa tamen lappâ tribuloque evicta jacebat
Cratibus ignota, & duro neglecta colono.
Ajax judiciis quando contemptus Achivûm,
Et Laertiades Vulcania rettulit arma;
Sanguine reſtituit. lateri lævo hæſerat enſis
Hectoris (ut perhibent) inimici munus amici:
At nimis in pecudes ſævitum,dixit,& iras
Perdidimus fatui ; norit modo Troicus enſis,
Cujus virtutem Danai tempſere. per herbam
Labitur exanimis. ſurgit de ſanguine planta.
Et quamvis veteres tribuunt ſibi nomen Amyclæ
Floris, & Ionio vicina Laconia ponto:
Attamen eximiam profert nive tecta Pyrene
Et ripa Eridani, taurino ubi cornua vultu
Tollit, & in vitreum ſecum trahit arbuta pontum,
Hoc pro fagineo tinxit gens Celtica cocco
Vellera, cum nec adhuc Getuli purpura ponti
Nota, nec in Tyrio rubuerunt marmore conchæ.
Sed

Sed quid ego incaſſum pario tibi nomen? ita alnæ
Ornantur palmæ, calamo flavente cupreſſi.

PAPAVER *ad Clariſſ. virum Petrum Iunium.*

VItis Echioniæ turgentem in palmite gemmam,
Ac epota apibus redolentis nectara thymbræ,
Vnica Romuleæ Maro dat vis ignea cannæ.
Nos Boreæ fœtus, & terræ tempta Britannæ
Eluvies, gradimur lentè, tenuique labello
Helleſpontiaci veneramur rura Priapi.
At quoniam Iuveni patuit Patareus Apollo
Et Palla, & pecten, puroque volubilis auro
Fibula, & æterno fragrantes rore capilli;
Ipſe fores feriit, noſtras pede pulcher Apollo.
Ad Iuvenis nomen revirenti Delia lauro
Annuit, & nivei cecinere ad ſidera cygni.
Sed quibus articulis tecum, quo vimine nectam
Fœdus amicitiæ? ſtudio ne jacter inani.
Nam neque marrubium, & croceæ velamen acanthæ,
Nec rutæ radii, nec olentis brachia thymbræ
Te digna: aut ſterili fæcundior intybus arvo.
Ergo tibi ſerimus tanto Cereale papaver
Securi agricolæ; ſeu te medicantia tangant
Semina; deciduæ ſeu frondis gratia, nulli
Inferior, triſtem ſi non ſpiraret odorem.
Principio varia eſt natura papaveris, horto
Aut fluit irriguo; aut gleba lætatur inerti.
Sponte ſua venit hoc, flaviſque accreſcit ariſtis:
Aut pingit luteo deſerta novalia cocco.
Illud at agricolæ, ac hortenſia ſuſcitat arma,
Et cratem arbuteam, & dentati robora raſtri.
Ignavo quoties inculta papavera campo
Ruſticus eripiens medicinæ ſevit ad uſum,
Præpinguemque fimum, & fontanum induxerit imbrem,
In terram toties agnato pondere cervix
Fœta fluit, matremque iterum delabitur arvum.
Huic compacta calix, pinguique virentia ſucco
Tegmina, & aſperſi tenui candore capilli.
Vnam nec ſervant cirrata papavera formam,

Sed

Sed variæ ſpecies, olli color igneus, olli
Candidus. Aſſyrias imitantur plurima conchas,
Olli deciduum folium, ſed fronde tenaci
Hoc viret, & tenui ſudans ſe diluit undâ.
Sunt quorum ſiliquæ rictus imitantur apertos
Repentis colubri; veteres dixere papaver
Cornutum, quando præeunt nova cornua frondem.
Hoc tantum, Ioniæ ſi fas fidiſſe Poetis,
A radice fluit, graviterque evellitur arvo.
Cætera diſcuſſo naſcuntur ſemine, Taurus
Cum redit, & clauſum cornu recludit Olympum.
Eſt quoq; deſertis, ſine lege, quod errat in arvis,
Et tenui ſiliquâ, & rufa, ſed caule tenaci,
Quam dixere Rheam. vitiato accommoda lumbo
Radix, & duro vino contrita lieni.
Vtque nihil lateat, neque deſint jura colono;
Tempore quo linum, ſterileſque feruntur avenæ,
Atque fabæ, & milium, non tunc Cereale papaver
Spargere dedecori, forſan cum vere rubenti
Livida Lucanos pingunt violaria campos.
Vt far committunt ſulcis, cum ſeptimus imber
Defluit, ut ſeritur gelido ſiligo Novembri, ut
Brûma croco potior; ſic primo vere pavaver
Obruitur: magno potis ut turgeſcere fœtu.
At ſunt qui ſtipulam ſubjecta exurere flamma,
Vel ſarmenta jubent, & ibi ſilveſtre papaver
Inſerere, ut glebâ ſenſim miteſcat amicâ.
Sed pene unius perfeci penſa diei,
Invitantque leves epota papavera ſomnos.

CALENDVLA *ad Nobilem Iuvenem I. Caſtaveum.*

AN te prætereamꝫ perodora Calendula? Phœbi
Duriciem, temptamque fidem, infœlicis amatæ
Indicium Clytiæ, non; te quoque carminis imber
Irroret noſtri, & Muſæ levis ambiat aura.
Nec modo te puro Clementia diva argento, &
Vatum Palladiæ certamina clara Tholoſæ
Ornent; ſed tenui ſuperent ſua jura Britanno.
Ergo ubi Thymbræum violatæ pellicis arſit
Angor

Angor Achemeniæ, & celeres provexit in iras,
Nympha maris Clytie gelida ſub rupe ſedebat
Orba toro, fletuque ferum permovit Olympum,
Sed non Latonæ duram prolem; aruit ergo
Infælix Clytie, fletuque enaſcitur herba.
Subflavus color eſt olli, frons mollior, intus
Semen ſubluteum, & numeroſum, caule tenello,
Caule brevi, viridique caput flos tollit in herba.
Gratus odor frondi, radici immitis, agello
Quolibet exſurgit, nec glebam temnit inertem:
Quin inimicam hyemem raro faſtidit, & artem
Non amat agricolæ, ac hortenſia reſpuit arma.
Illum ſolarem veteres dixere Latini,
Et ſoliſſequium Grajo cognomine, Phœbo
Quod ſimul exoritur, ſimul & ſubducitur illi.
Eſt quoque Romanis vocitata Calendula, quando
Quolibet exoritur menſe, & queiſcunque Calendis.
Eſt autumnalem violam qui cenſet, at olli
Parva fides, vati ac olitori credite veſtro.
Et ſunt qui caltham, ſunt qui dixere leonis
Eſſe pedem, vana ora pater ſed ridet Apollo.
Nec vis exigua eſt olli, diſcedite diri
Scorpius & coluber; fugite hinc, latet error in herba.
Verrucas curat. ſed cur ego plurima? ſurgunt
Auribus haud noſtræ, moneo, ſed naribus herbæ.

PETILIVS.

NEc te prætereæm Danais intacte Petili:
Seu tibi perpetuum Romana Petilia nomen:
Seu Lucana dedit: ſeu decolor India, Ganges
Qua fluit, & fulvo Camochæ juga proluit auro.
Vere licet reliqui ſerpant per gramina flores,
Aut æſtate nova, vario pinguntur amictu;
Attamen autumno rejicit dum pampinus uvam,
Et matura nitet ſummis vindemia ſaxis;
Nobilis Herculei delectat forma Petilî.
Sentibus Idæis & acutæ gratus acanthæ
Floſculus, ut circum melius vepreta reſurgat:
Aut ſub candiduli dura radice liguſtri.
Naſcitur intorto folio, totumque cacumen

Flectit

Flectit in humentem caulem, nec tela dieî
Reſpicit, at ſudi faculis areſcit Olympi.
Olli gratus odor, nitor aureus, humida frondî
Virtus, caule tenax, nullius temptor agelli.
Semen habet luteum, cujus vi naſcitur, ullo
Tempore ne Herculei moriatur forma Petilî.

NARDVS *Ad P. C. Dantonetum.*

ILicis & Platani lento mî melle madentes
Cur mittis frondes? & pingue perennis olivæ?
Fraxinus ut tereti ſupremas dividit auras
Vertice, ut emergunt nube Idæi cypariſſi,
Iupiter! ignoti vulgo commenta Poetæ.
An tibi dem ut violas, & olentia ſerta viciſſim?
Perfundamque lubens Syriæ ſpiramine nardi?
Convenio, quid enim comiti non mittit Alexis?
Tecum, pars animæ; poſt mille pericula tandem
Santonis inſignem ſpoliis intravimus undam.
Quid non pertulimus ſimul ? acri oppleta veneno
Poma foris, frumenta domi, eſurientibus eſcam
Agricolæ renuunt, viles ſitientibus undas.
Quinetiam acceſſum cilio prohibebat herili
Ruſticus, innocuis tormenta minatus, & enſes.
Tantus amor vitæ, tantæ contagio curæ.
Nos maciem, diramque famem unà vicimus,atq;
Trivimus ingratam filicem ſub ceſpite fundi
Divitis, occiderent cum alii, cum credita ſulco
Semina reppeterent, ne ſpe fruerentur inani.
Et nos militiam ſimul, & pia ſigna ſequuti,
Egimus excubias, nec inertem ſenſimus hoſtem.
At quid pauperiem memorem?plebemque poten-
Exitiale ſuis genus, & crudele Tholoſæ? (tem,&
Quidve viæ memorem caſus? quid vulnera?fulmē?
Vaſconis inſidias? quid littora curva Garumnæ?
Everſamque ratem, dejectaque lintea ponto ?
Hæc quamvis edura, tamen ferre omnia mallem,
Verſificatoris quam carmen, olentia triti
Lemmata grammatici: vel inania dicta Sophiſtæ.
Sed nardū ad venio, quā vel tibiCelticus imber

Educet (ignaro licet hic ſaliunca colono)
Aut pulcher Ganges: aut limo fertilis Indus:
Aut rores Syriæ : aut Ligurum caput Apenninus.
Magnus honor nardi, frutici ſapor aſper odoro
Radice, & Rhodium propius ſpirante cyperum.
Olli ſpica brevis, frons parva, cacumina ſpargit
In circumfuſas, ſi ſol comburit, ariſtas.
Et nardum Meroe profert, viroſaque pontus
Ingentem ſpicis, & curto caule comantem,
Sed quæ virus olet, montano hic gratior hirco.
Commendat nardum rufus color, acrior æſtu
Guſtus, & attrito virtus inimica palato.
Purum deprendit levitas; ſi pondere gummi,
Si ſtibio, aut ſpuma argenti corrupit avarus.
Celtica nobilior reliquis, evellitur ipſa
Cum radice ſolo, & nemoris ſiccatur ad umbram,
Abluiturque mero, chartæque involvitur albæ,
Ingenti vænit pretio, neque vilior auro.
Hæ Regum curæ. Si quem delectat agreſtis,
Baccharin agricolæ dicunt, è ceſpite fundi
Divitis accipiat, nec odoræ parcat ariſtæ.
Hic montes ornat, carnoſa fronde, colore
Candidulo, flore inſigni, ſpicaque frequenti;
Aſpicum idcircò Celtæ dixere coloni.
Montibus hic coquitur melius: nam gaudet aprico;
Tranſlato decedit honor, dum ruſticus hortis
Inſerit, & teretis perſtringit cuſpide mergæ.
Sed non cedit odor; purâ decoctus in undâ
Eluit hic homines, elotaque condit odore.
Ergo Caledoniis edicta lavanda Britannis,
Quos juvat arentem muliebri incondere mundo.
Sed ſatis unguento nardi maduere capilli,
Dum vacat, Ideæ in Venerem propellite thymbræ,

THYMBRA *ad C.V. Patricium Scharpium.*

Ergo Caledoniæ primi perfudimus arva
Narciſſo, & Syriæ ſuavè ſpiramine nardi:
Et modo fœniculi radios, modo pinximus oſtrum
Pallentis violæ, niveæ nunc iridis ignes,

Et ſub candidulo liventia poma liguſtro.
Vt te Pieridum decor inclyte, maxime Scharpi
Prætercam, agricolæ vel inutilis uva putanti,
Aut ſeges aſſiduo marris ingrata colono?
Te duce, ſi primum Parnaſſi cornua vidi,
Ac Aganippæo perfudi labra liquore,
Non tantum voces, non triti carmen amici,
Nec tenuē florem, nec olentis brachia thymbræ, at
Accipito hanc animam, meque intra pectora conde.
Interea evehimur Rhodopæaque lintea ventis
Tendimus; & tepidæ canimus primordia Thymbræ.
Dum Danai imperium fortes paterentur Achivi,
Beleideſque forent, latèque erraret in Argo
Fortis Amymone, lauri ſub fronde latentem
Proſpexit Satyrum, & pellem meditata ferinam
Capreolæ, inſontem perſtrinxit arundine Divum.
Protinus exiliit Satyrus, Nymphamque timentem
Increpat, & clivo fugientem apprehendit iniquo.
Extemplo in Venerem defluxit, vimque puellæ
Nunc inferre parat, tremit hæc, rubet, atque furenti
Proxima, ſetoſum deſævit in horrida mentum.
Nunc Nymphas nemorum Dryades, nunc Pana vo-
Neptunumq; ſenē, vitreæ qui præſidet undæ. (cabat,
Audiit undipotens ſolus, ſævumque tridentem
Extulit, at riſu Satyrus defugit acuto.
Ex hoc congreſſu, & ferventis ſemine Divi
Extulit herba caput Satyreja, calentior illa
Nulla viret, Veneriſque magis propellit in ignem.
Illam, dum Danai vexarent Pergama bello,
Grajaque Thymbræum premerent tentoria campū;
Dixerunt veteri mutato nomine Thymbram.
Quinetiam Titan, Amphryſi ad flumina, quando
Admeti regis, magno ſuccenſus amore
Pavit equos, ſummis ſuſpendens nectara culmis,
Tranſtulit Iliaco ſaturejæ ſemina campo
Ad ripam Amphryſi, & fœcundam præbuit herbam.
Hinc laſcivit equus, viridantique hinnulus arvo,
Subſiliit petulans, & ab ubere bina pependit
Agna ovis, & binæ ſaliunt ſub matre capellæ.

Quare nec Thymbræ nomen Thymbræus Apollo,
Nec floris tenuem divus deſpexit honorem.
Quin hæc fœcundo traducta repullulat arvo
Nobilior, lataque comâ, frontemque priorem
Ponit, & agricolæ ſtudio miteſcit amico.
Sed neque, ſi lubeat, glebam faſtidit inertem
Thymbra, nec ignavo torpentia rura colono.
Hanc quoque cuniculam veteres dixere Latini,
Origanon Danai, at multis ſatureia, quando
In Venerem pellit, morientemque excitat ignem.
Sed neque cuniculam, memini, commendat olentē
Tantùm ſuavis odor, vel amœnæ gratia formæ;
Sed ſimul & virtus, in condimenta retundit
Dum cocus, & modico contritum decoquet igni.
Quin variæ ſpecies ſaturejæ. Fronde rubenti
Curvo caule micans, pingui caput exerit arvo,
Quæque manu tantum Veneris propellit in ignem
Tacta levi, turpique movet prurigine lumbos.
Vos Divûm genus, & liquidi levis ardor Olympi
Aonii vates, fugite hanc, latet error in herba.
Eſt quoq;, quæ nigra pictam plumbagine frondē
Pandit ad effigiem palmæ manus, igneus olli
Humor, & è tenui liquentes cortice guttæ.
Sed non hæ ſpecies ſpirantis propria thymbræ
Nomina habent omneis, tereti ſed caule virentem
Quæ frondem quatit, & redolentia nectara culmo,
Hanc per colliculos, hanc ſi per rura virentem
Attica libat apis, diſtentaque crura reportat
Cuniculâ, moneo, nec tecta tenacia triſtis
Perdet hyems apium, nec inanes nectare cellas
Auferet Actæi manus indignata coloni.
Quapropter circum bene culta alvearia ſurgunt
Non tantum virides caſiæ, pictique hyacinthi,
Illimes & quæ potant violaria fontes,
Sed ſimul & ſalices, & olentis brachia thymbræ,
Et tiliæ pingues, & flava calendula, quæque
Mollis in aprico calamyntha repullulat arvo.
Sed ſatis arbuteæ crates, ſat robora raſtri
Tractata, inſertæ digitis his creſcite thymbræ.

LINVM ad *Mariam Tiraquellam.*

QVin & Pierio percurram pectine lini
Cæruleam ſegetem; nec inerti pollice tandem
Sutilis Actææ texetur tela Minervæ.
Nulli tacta cano. Numeroſi carmen Horatî
Seu teſtudineæ ſpirent tibi Pindaron auræ:
Huc Tiraquella veni,& mecũ caput infer Olympo.
Te niſi torreret pinguis cenſura popelli,
Non Teleſilla tibi, Thuriæ non mella Theano,
Non tibi Thebanæ certaret canna Corinnæ.
Antè Ceres quondam veteri connupta Lyæo,
Quam terras flava ſteriles ditarat ariſtâ,
Nubebant veteres Acheloia pocula glandi,
Succincti pecudum villis, & pelle ferina.
Tum neque forficula niveum detondit ovile
Cannifer opilio; nec adhuc pecus eluit unda,
Nec tinxit Tyrio medicatum vellus aheno:
Nulli Parma fuit, nec Apulia nota, nec ulli
Velleribus clari patuerunt teſca Britanni.
Prima manu Superûm caſus meditata Minerva
Tondet ovem, lanamque legens,ignobile lavit
Vellus aqua, & tenui telas contexuit auro.
Lydia non proles tulit hanc Idmonis Arachne,
Par animis Divæ, Superum ſi è gente fuiſſet,
Et virtute prior. ſed quid certemus Olympo?
Ergo ubi Mœoniæ fulvo juga proluit auro
Pactolus, tergetque ſinum nitido Mæandro;
Telluris gremium ſabuloſæ fodit Arachne,
Secrevitque malas ſtirpes, vilemque ſaburram,
Perpetuumque terit ſulcum; tum vere rubente
Injecit lini ſemen,texitque rutello.
Nec mora, quamprimũ contraxit brachia Cancer
Improbus, Herculeo ſubridens dente Leoni,
Ad tenuem caulem flos deſuper eminet,olli
Cæruleus, cælive color, nec notus odore.
Succreſcit ſemen flori, penituſque rotundo
Incluſum capiti, tanquam muliebria capſis
Ornamenta jacent, ventos diſpernit & imbres.

Tunc evellit humo proles Idmonis, & auræ
Expoſuit tepidæ; vertit, diſtinxit, in ipſos
Faſciculos legit, ſtricto ſubducta bidente
Semina ſpem generis telis reſeranda diei
Suppoſuit, virgaſque putri demerſit in undâ.
Macerat, & Boreæ exponit, contundit olentem,
Extruditque levem ſtuppam, tenuiſſima tantum
Corticula exſuperat flaventis forma capilli.
Hanc ſtipat, collidit, aquat, depectit, acutis
Hamis impingit, nec inerti pollice fractum
Pellit acus; demum nitidam componit: in orbem
Torquet. Mæonio debentur cætera fuſo.
Durum iter ingredior, generi ſuccurrite veſtro
Pierides. cæſæ proles ſucceſſit Arachnæ
Cloſter, & hic tereti primus qui lintea fuſo
Torſerat, & ſudibus induxit penſa colurnis.
Inde colus. ſed ne fuſum levitate ſubiret
Verticulam puro & libram ſuperinduit auro.
Nec filum veniſſe ſatis, cancellat, acernæ
Inducitque cruci, girgillo, aut præpete rhombo
Conglomerat. Platiæ debentur cætera Cææ.
Cæa prior telas: vel Lydia vexit Arachne,
Percurritque levi radio, & permiſcuit auro;
Fila manu facili partita eſt lintea primum
In pinnas tenues, ſtamen dixere vetuſti,
Induxit radiis reliquum, quod trama perito
Artifici, multis ſubtegmen, ſtamine lignum
Textile tum demum veſtit, ſimiliſque furenti
Ima movet pedibus, dum pectine ludit acerno.
Nec ſatis; impingit radio nunc fulmen, & ipſam
Ilicis intonſæ glandem, rimoſaque conchæ
Tergora, nunc nitidi deſignat tela diei,
Effert cancellis demum, ac in littore tentam
Albat, & ad ſolem formoſo proluit imbre.
Hinc mappæ, tenueſq; plagæ, cava carbaſa, nervi,
Hac pelagum gracili nautæ metimur avenâ.
Sed nos Herculeum penſum confecimus, atque
Nunc tempus rupta radium ſuſpendere tramâ.

IRIS *ad Ilermum Bodium Fratrem.*

PAllentem violam, & viridi canentia campo
Lilia qui cecini, ſanguenque Ajacis inulti,
Tyrrhenamque roſam; teneræ nunc Iridis ignes
Exequar, & rutilo tingam dumeta rubore.
Hanc Ilerme tibi (ô mî anime) ô mî vera parentis
Effigies, voveo, triti non munus amici,
Sed fraterni animi flammam. Sic inclytus olim
Pollux Ioniâ donavit Caſtora ceſtâ.
Aſt unde egrediar? Poſtquam Peneia lauro
Mutata eſt viridi, & doluit Thymbræus Apollo,
Evolat Æmoniam, & liquidum pervenit Olympum.
Inſigni pharetris, atque aurea tela ferenti
Aſſurgunt Divi, tentum mater pia nervum
Laxat, & ex humeris pharetram dimittit, & arcum
Pendet ab aurato, libant dum nectara, clavo.
Accumbunt faciles, Thymbræo pocula primum
Aurea dat pater, & Divûm ridente coronâ
Edocuit Titan Penei prope flumina Daphne
Vt pia diriguit, fletus narravit, & ignem
Pallentis Clytiæ; duri poſt jura Tyranni
Damnat Achemeniæ, nec amaræ temperat iræ.
Appulit interea Iunonis nuntia; proles
Iris Thumantis magni, pennaſque madentes
Ponit, & eloquii ſuſpendit nectare Divos.
Nuper ait, viridis colerem dum teſqua Britanni,
Et Nymphas nemorum, Pedemontis ad oſtia parvæ,
Ingens oppoſitæ culmen mirabar Eliſæ,
Interea Phœbus Dryadum ſtatione relicta,
Atque Monæ templis (vatum Mona nobile quondâ
Delicium) vitreæ nudum ſe credidit undæ.
Vt quondam Lyricen Delphino inſedit Arion
Spiranti dociles dum pectine frangeret undas.
Haud aliter Panopæ Titan inſedit; & armos
Extulit, & plectro murmur permovit eburneo.
Oceani ſaliunt Nymphæ, ſcopuloſaque cete,
Et cantu moti ſindunt vada cærula thunni.
Proteus ipſe pater, Siculi Galatea profundi

Gloria; Cymodoce, viridi cum matre Palæmon
Et Triton pandâ ſpiravit in æquora conchâ.
Vt primum ex alto vidit Patareus Apollo
Cæleſti facie ſpatiantem in littore Nympham,
Exilit in ſiccum, & frontem mentitus, eunti
Congreditur; tua ſed leviter nos robora, Cynthi
Tempſimus, aurato velantes tempora nimbo.
Ex luctâ tamen, & laſſæ ſudore puellæ
Floſculus exoritur, gladii fulgentis imago:
Fronde micans niveâ; clarum nos Irida nomen
Indidimus; tantæ monumenta perennia pugnæ.
Quinetiam obtuitu quoties me tentat acuto
Ipſe pater Titan, denſumque avertere nimbum
Nititur, ac udo radios impingit Olympo;
Me toties Iris vario diſtincta colore
Vda refert, funditque leves à fronte capillos.
Nunc ſuffecta roſam dulci ferrugine frondem:
Inde refert violæ, Tyrio modo tingitur oſtro:
Nunc Babyloniaci fulget candore liguſtri.
Scilicet aëreo Phœbum ſic pellimus arcu,
Et varia inſtantem formâ denuntio nimbum.
Hactenus edocuit Thaumantias, ilicet ictus
Erubuit Sol, & veteres deflevit amores.
Quin & adhuc retinet Phœbææ nomina flammæ
Iris, & agricolæ Tiberino dicta legenti
Flammula. Si Danaus tamē hæc commenta Britanni
Temnat, & Auſonius damnet mea carmina Tibris,
O divæ, ô Dryades, æquævis numina ſylvis
Grata, ſacerdoti faciles ſuccurrite veſtro.
Flora fave, & Veneris puer ignifer, Iris, & Io, &
Pulcher Amyclæi turgens in ceſpite ſanguis.
At ſi Panchæis quiſquam liquentia ſylvis
Vnguenta, & mollis miretur thura Sabæi,
Iridis effoſſæ radicem pandat olentem
Non cuivis Phœbo, ſed verni temporis umbræ,
In parteſque terat, pandis tum condere capſis
Audeat, & charo ſuavem componere mundo.
Hanc do, Ilerme tibi, Pedemontis ad oſtia ne tu
Naſcentem patriis ignoſcas Irida ſylvis.

FOENICVLVS

FOENICVLVS *ad Delphin.*

ILlum fœniculi radium, tua munera, Delphi,
Infælix olitor reddit tibi Marcus, & iſtam
O utinam faculam, qua nunc ego torreor unà.
Miſſa prius fateor gracili condita cumino
Liba, crocus, porri, violæ decor, & melilotos,
Sorbaque candidulo foliis incluſa caniſtro:
Sed nihil ad radium; datur hic mihi pollice nempe,
Præſentique tuo; perii, nec inania fingo.
Ah me quid perdis? cur dono acceſſit iniquo
Baſiolum? ſi ſis olitoris filia Delphi,
Ipſe ego Romani forſan non infimus horti
Conſitor: indecori nec ero tibi; tenuia tantùm
Tecta ſubi, mea vita ſubi, mea pupa ſubito.
Deformes mihi te propter Polymiris, Ianthe,
Callia dives apum, & reliquis immitior Anna.
Sordet amans Helene, & levior faſtidit Orexis.
Candidior Delphi es ſpecioſi fronde liguſtri,
Suavior unguentis Arabum, laſcivior hædo,
Sed crudele nimis tibi cor, mea ſordida tantum
Tecta veni, mea vita veni, mea pupa venito.
Anne fidem metuis noſtram? memorantur amicę
Complures nobis, ſed non numerantur amatæ.
Vna fuit quondam, puro nunc ſydus Olympo
Gella mihi, cujus cilio parebat herili
Hæc mens, quin & adhuc cineres veneratur & ur-
Hæc ubi conceſſit fatis, & fraude perempta (nã.
Occubuit, vitæ languentem ſuximus auram
Inviti, iratæ nec erat confidere dextræ.
Nulla fuit quæ mî placuit; tu ſola potenti
Fœniculo ſuperas fatum. mea funera cerno.
Mitto colum, fuſoſque tibi, digitalia puro
Multifora argento, & tenui de ſtamine rallam.
Mitto lupos, ſerraſque patri, parvamque bidentem,
Et falcem lunatam, & juncta bipalia raſtro,
Sarcula quinetiam, & marram, planumque rutellũ,
Scirpiculam, dolobellam, atq; ora incurva terebræ.
Durus namque pater, nec qui niſi munere multo

Flectitur, & nimium tecum mihi pugnat eunti.
At olli quamvis hortenſia mittimus arma,
Omnia quæ licuit, mecum tua munera merga
Delphi, tamen ſupereſt; nam ſunt tua munera mergę.
At pro fœniculo modulatum do tibi carmen
Pectine Threïcio, & naturam pingimus herbæ.
Surgit in arenti ſulco, cum mollior imber
Depluit, & vernæ recreant nova gramina guttæ.
Et ſeritur quandoque manu, prædulcia ſperat
Semina quando olitor, naturam ut temperet arte.
Principio dum humile eſt marathron, dum fronde tenella,
Serpit humi, nec adhuc caulem ſurrexit in altum,
Eſtur aceto acri, pinguique recentis olivæ,
Et lactuca ſimul: vel amaris intyba fibris,
Et malvæ molles, & criſpæ ſuccus acanthæ.
Eſt quoque fœniculus riguo manſuetior horto,
Ac urbana minus ſpecies, quæ ceſpite prati
Exoriens, pecori multum conferret habendo.
Hortenſes inter formas minor optima, fronde
Quæ tenui, quæ caule levi, ſed ſemine pacto.
Hinc Graji dixere meon; ſed major in auras
Exit caule gravi, pingui fruticeſcit in arvo,
Arboris in morem, nec inanes diſcutit umbras.
Delphi nihil ſupereſt poſt miſſum carmen, & unà
Hanc animã, hanc animã; vel tu me interfice; vel tu
Tecta veni hæc, mea vita veni, mea pupa venito.

HASTA *ad Iacobum* VI, *Regem.*

Tyrrheni inventum, formidatumque potenti
Bellonæ truncum, ementitaque tela Minervæ
Exequimur, Muſæ pater inclyte, montibus Hæmi
Qui dûxti quercus, & ſaxa ſonantia ſylvis;
Huc ades; & facilem ſpira in mea lintea ventum.
In tenui nil tenue, Herois nomina Sexti
Dum cano, dum tantę certant mea carmina dextrę.
Sed neque Carpathio numerantur in æquore fluctus,
Nec vento motæ Lybiæ ſitientis arenæ:
Ipſe nec Aonidum ductor tua prælia Sextę
Cynthius enumeret: ſeu Scotica calcibus arva
Concutis

Concutis æripedum: munitave mœnia bello
Tundis, ut oppoſiti certant ſub ſidere nimbi.
Tempus erat circum Pactoli littora quando
Exuſſit Titan terras, & candida Phœbe
Continuit rorem, teneriſque invidit ariſtis:
Tum neque balantum ſpecies, neque bucula campi
Depavit gramen, baccamve virentis olivæ
Vernantem toto pueri videre Venafro.
Aruit exanguis depaſto in palmite Bacchus,
Nec ſeges exempto caput extulit aurea nimbo.
Tunc Atys magno Ionio, ripiſque Cayſtri
Præfuit, & Tmoli populis,pars inclyta quondam
Sanguinis Herculei, turbamque edoctus agreſtem
Prœduræ pugnare fami,nec fidere raſtris,
Horruit, & populi lachrymas effudit amore.
Quinetiam olli Lydum Tyrrhenumque potentem
Ad ripas Hebri peperit Thrax Orithyia.
Lydus equûm domitor, læti ſpes altera regni
Mæoniæ, & feris venerata nepotibus umbra.
At Tyrrhenus avo propior, mentemque ſequutus
Amphitryoniadæ,maculoſæ tegmen Hyenæ
Veſtiit, & multo præluxit amabilis auro.
Hunc Lyciæ ſortes, & carminis author Apollo
Mæoniæ exſangui populo, plebique coactæ
Delegere ducem. peregrinas quærere terras
Atque novas ſedes, fœcundique abdita regni
Augurium cecinit Divûm, claſſemque ſub ipſo
Mæandro, & magni molitur vertice Tmoli.
Extemplo cædunt ſylvas, tabulataque ſurgunt
Mœnia, compactæ medio ſtant marmore pinus.
Iamque aries dextrum,cirrato vellere, cornu
Extulit, & tenui terræ ſata compluit imbre:
Cum læti adveniunt ſocii, Tyrrhenns in altum
Tollitur; eſculei ſtrident in marmore remi.
Et tres ignota totos erravit in unda
Tyrrhenus ſoles, nec amatæ tubera terræ
Vlla videt, tantum celeres vada cærula venti
Verrunt, & phocæ ſaliunt ad tergora cymbæ.
Quando ecce inſomnis ſupra caput aſtitit ipſe

Amphitryoniades, & tegmine notus herili
Hæc fatur: Cereale ſolum Tyrrhene per æquor
Qui quæris, comiteſque vehis per cærula tecum,
Quos ingrata fames, & amor tibi jungit edendi,
Tertia te Thuſcis lux aurea ſiſtet in oris.
Sed non ante famem pelles, & pinguia Thuſcum
Pabula percipies, quam magna clade tumentem
Sternes indigetem,& dura dominabere pelta.
Sed neq;te bifidum ferrum,neque divitis Hermi
Tutabuntur opes, neque duræ tegmen Hyenæ,
(Hoc fatum indigitum) annoſæ ſed robora ſylvæ
Fraxineæ findes, vel duræ ſemina corni,
Et lenta elicies haſtilia, nullius ante
Commentum, at magni poſthac munimen Olympi.
Et dixiſſe ſatis, tremuit Tyrrhenus; & ornum
Impulit ardenti ſtudio, ratis incita ventos
Dum recta findit, liquida æquora lambit eundo.
Eſt locus Italiæ,qua pinguis Hetruria multo
Armento colles, atque æquora veſtit ariſtis;
Hinc Ligures, illinc veteres habitare Latini
Conſuevere patres, Latium rigat inclytus unda
Tybris, Marna alios; medium tenuere beati
Thuſci, frondoſæ defendunt cætera ſylvæ.
Huc proram advertunt.Gelido Tyrrhenus ab alto,
Tyrrhenique comes Lacon, & pulcher Iattus
Deſcendunt læti, & montis juga ſumma petebant.
Ventum ubi ſub culmen,Fanum venerantur agreſtē,
Saturnumque patrem,Thuſco qui præſidet arvo.
Hinc memor Alcidæ, latitantem in veſte ſecurim
Exerit, & crebro contendit verbere corno.
Ilicet illa cadit, & fraxinus inſuper,ingens
Fraxinus, humentem tereti quæ dividit auram
Vertice.Fraxineæ pinnatæ parcite frondi
Armenta, atq; greges,frondentemq;horreat umbrā
Stellio, & invecto pavidum caput obruat arvo.
Sed non ulla bonis haſtilibus aptior,olli
Et ſtrinxiſſe parat frondes, & findere ferro.
Hinc valli teretes & plurima pertica Phœbo
Linquitur urenti,humoremque ubi ſiccior aura
Ebiberat,

Ebiberat, ſolique rigent in corpore nervi,
Exæquat tereti ferro, ductatque fluentem.
Hinc capiti inducit mordaci cuſpide ferrum,
Haſtiliſque aufert nomen Tyrrhenus, & haſtam
Nuncupat, & digitis libratam emittit in auras.
Salve Tyrrheno, ſed non inventa Minervæ
Haſta, virûm domitrix, veteris cantata Quirini
Gloria; ſiderei magnum munimen Olympi.
Te genus Oedipodæ, deductaque ſemina Cadmo
Eteocles, Polynix, Thebæ ſub mœnibus altis
Agnovere trucem, veteris te nata Samornæ
Ad Tanais ripas, & Thermodoontis ad amnem
Geſſerat, ambuſta non reluctante papilla.
Marthefia, Hippolyte, Lampedo, Orithyïa,
Et levis Antiope, pedibus contendere vento
Cui potis, & ſicca tranſmittere marmora plantâ,
Te telo Europam domuit Simoontis ad undam.
Laomedonteæ quondam præconia Trojæ,
Haſtâ Pelidæ ceſſit pius Hector, & ingens
Pelides Paridi, Paridis pater ipſe furenti
Pyrrho, ſic demens Pyrrhum confodit Oreſtes.
Quis Diomedeæ tacuit præconia corni?
Dardaniique dolos Æneæ? & vulnera Divûm?
Nonne Quiris veteri, ſed nobis haſta Quirino
Indiderat nomen? Martiſque in ceſpite cornus
Iacta diu victo crevit ſpectacula mundo.
Haſtis quinetiam committunt prælia Divi.
Nonne vides niveo cum candet in æthere curru
Cynthia? & edixit nocturna ſilentia veſper;
Vt certant haſtis Divi? ſtant agmine facto
Adverſæ cæli partes, & candida tendunt
Spicula, concurrunt adeo, furit aſper in hoſtem
Impetus, & duræ rumpuntur in aëre corni.
At fragor arentem terram quatit, ardua ſylvæ
Culmina, & afflictæ trepidāt ſub marmore Nymphę.
Heu! malè cum Cererem meſſor, cum vinitor uvas
Excoluit, tenues campum tenuere coloni.
Tunc Libra excedit terras, & Martia candent
Sidera, tunc crebræ teſtantur prælia palmæ.

Sed ſatis indultum Phœbo, ſat maſcula cornus
Cantata, & Phrygiæ pulcherrima fraxinus Idæ.
At quia te nemo cornum regit inclyte Sexte
Certius, & trepido vim teli tentat in hoſte;
Hoc ego de Latiis ſpolium tibi pendeo, ne tu
Nata Caledoniis temnas haſtilia ſylvis.

ENSIS *ad Cornelium Varum.*

HEm tibi fulmineum munus protendimus enſē,
  Donatus facili qui rude victor abis.
Adſpice, Memnonio totus nitet aureus igne,
  Accenditque novas lucida gemma faces.
Vt capulum viridis totum commendat iaſpis,
  Fulgeat ut ſummo Caſſiopea polo.
Conſtringunt rutilum cirrata manubria ferrum,
  Invitant fortes aurea fila manus.
Culter ut incurvi tenuis munitur aratri
  Cuſpis, honoratæ debita militiæ.
Iam nitet ut croceos cum Sol vomit aureus ignes,
  Iam viret in mediis ut ſolet iris aquis.
Et levis exeſo vix certat pondere ligno:
  Et rigidum potis eſt flectere nulla manus.
Hunc iracundæ tunc invenere Lacænæ,
  Tyndaridem Phrygiæ cum rapuere rates.
Aut cudit Getico Vulcani dextera Marti,
  Cum micuit primo Lemnia terra rogo.
Inter quadrupedes quod cæde cruenta leæna,
  Quod Iovis aërias armiger inter aves:
Fraxinus in ſylvis, & quod Delphinus in unda,
  Quodque inter dulces impiger Indus aquas:
Inter tela viris erit id Mavortius enſis,
  Seu placet in campo, ſeu placet eſſe foro.
Huic Iovis Hircæi decedat fulmen, & ipſa
  Cedat Apollineâ miſſa ſagitta manu.
Illum dum Bodius clavo tibi pendet ab aureo,
  Immemor officii qui nequit eſſe tui?

CASSIS *ad eundem.*

QVi modo fulmineum calamo tibi cudimus enſē,
  Dum ferii Latiæ fila canora Lyræ:

Caſſida

Caſſida Romuleo rurſum tibi pingimus auro:
Porrige devotam flava Minerva manum.
Parcite, ſi populo non delibanda notavi
Carmina, quæ curæ nobiliora meæ.
Huic decor ignavo quamvis placuiſſe Poetæ
Et laudem cura conciliare levi.
Non ego tam tenui tendo mea lintea vento:
Sim licet in dubiis navita temptus aquis.
Nec tamen Ioniûm ſequor inferiora perenni:
Nec caret exemplo noſtra Thalia ſuo.
Caſſida qui primum curvatæ munera lamnæ
Excudit, docta quam fuit ille manu!
Funditur æs liquidum, curvæque volubile teſtæ
Effigiem ſumit, quæ modo maſſa fuit.
Inque ſinum vacuum fluit igneus humor, & ipſum
Proh dolor! infælix exprimit ære caput.
Qualis inauratæ Trojæ fuit illa Minervæ
Effigies, Phrygias quæ pia texit opes.
Aut qualem Andromache, magno ſi credis Homero,
Impoſuit capiti fœmina caſta viri.
Et ferro in galea vivûm ſpirantia fingunt
Corpora, Niliacis nobiliora notis.
Hic facies Satyri, Nymphæque cadentis imago,
Hic Cererem liquidæ proluit imber aquæ:
Hic catuli viridem cingunt indagine ſaltum:
Hic ſalit à tepido præda petulca toro.
Fortè cadit, nec fortè cadit, per ſaxa, per undas
Carpit iter, charam non reditura domum.
Flavaque Mæonio caſſis perfunditur auro,
Et nitet ut medio Cynthius orbe ſuo.
Subſiliunt tenues chalybæa vertice criſtæ,
Fluctuat adverſo candida penna Noto.
Inclyta ſi clypeos Athamantis dextera Calchi
Excudit, claram dum docet arte manum:
Si tuba Tyrrheni decor, eſt, & amabilis haſta,
Sique Peletronio fræna dabuntur equûm:
Caſſida non fortem minor inveniſſe Lacænam
Gloria, ſed reliquis hac prior illa fuit.
Hanc tibi cum rutilo, Corneli appendimus enſe,
Dum pudet officii non meminiſſe tui.

Reverendo Præſuli agnato & amico ſuo chariſſimo, D. ANDREÆ BODIO, *Argathelia Antiſtiti digniſſimo, S. in I. C. S.*

HEcatomben hanc noſtram, Reverende Præſul, *quam tu affectam vidiſti, viſamque, non ſine amoris emphaſi quadam, approbaſti, nunc utcunque perfectam accipe; quod & te petiiſſe ſerio, & me tibi promiſiſſe memini; ſed, qui meus eſt mos in his talibus, retractanter ac timidè. Nec opus eſt rogem, ut quo me meaque ſoles animo; facies, mihi ſpondeo, non rogatus, etiam ſupra ſolitum lætus ac lubens; quæ tua eſt in argumentum pietas, in auctorem benivolentia ſingularis.*

Accipe, inquam, & fruere, ut & tua ſit deinceps χρήσει καὶ κτήσει; *&, ſi ita tibi videtur, per te habeant alii, ſed tui guſtus & affectus. At quî, inquies, titulo tam ſuperbo, tam inſolenti? Tune hecatomben, qui vix mola aut farri offerendo idoneus? Hanc nebulam, quæ non niſi malignum, opinor, oculum animumque perſtringet, nec ſine aliquo livoris atri fumo, candor tuus facilè difflabit. Quin tu, ſi opus eſt, inter alia vel illud Lipſianum hîc uſurpes licet; Vt corpore tenues veſte ſe diſtendunt, ita rerum egeni verbis; & ſolidi cenſus inopes tumentium titulorum faſtu: vel dicas quod res eſt, non titulo præcogitato ſtropharum numerum ambitioſâ opera adaptatum, (quod genus acumen ſophiſticum equidem non facio nauci,) ſed ad hunc fortè oblatum, illum obiter alludere geſtiiſſe. Sed nihil opus eſt, modò rei defectum ſuppleat offerentis affectus & amoris exuberantia; præſertim apud illum,*

——————qui non mortali more modoque, *ſed ſuo, h.e. verè divino, vel, ſi mavis,* Θεοειδεκῶς Munus amore probat, non munere pendit amorem, *Illi, vel farris pugillus, vel thuris grana aliquot, à tali animo profecta, multas pendent hecatombas; qualem ut ſibimet, ita tibi quoque, Reverende Pater, animitus exoptat*

Reverentiæ tuæ obſtrictiſſimus, tuiq; in Domino ſtudioſiſſimus agnatus, Αμβολιεργὸς ἀνὴρ, ἀεὶ ἄτῃσι παλαίων, & adhuc ruſticus ex nitido.

ROBER-

ROBERTI BODII à Trochoregia
HECATOMBE CHRISTIANA.

CHRISTE, Sanctorum caput atque cuſtos,
Cujus exundans fluvio perenni
Fons inexhauſtæ bonitatis, imos
Manat ad artus;
Da, tuum digno decus ut capeſſam
Cordis impulſu melos, & quod acrem
Temporis limam ferat, & malignæ
Verbera linguæ.
Lucis affulgens radio ſupernæ,
Quâ tui circum ſolii coruſcat
Limbus, inviſa mihi nunc jacenti
Mortis in umbrâ,
Pelle peccati tenebras, prementum
Quò gravi nexu ſcelerum ſolutus,
In tuas puro ferar accinendas
Pectore laudes.
Nam tuas caſto decet alme cultu
Chriſte virtutes recoli; prophano
Abſit impuri temerentur unquam
Pectoris auſu.
Nuncius præpes mihi labra ſummo
Tangat è cœlo volitans, reatu
Tangat infectas gemino, micanti
Forcipe fibras.
Tunc, tuæ fructum crucis, ad beatam
Quæ pios vitam documenta ducunt,
Perdius, pernox, animo revolvam
Sancta ſereno.
Te canam, lucis jubar ut reſurget;
Te, breves quando jacientur umbræ;
Teque, quum præceps teget ora mundi
Lucida lampas.
Patris æterni ſoboles coæva,
Par patri ſummo, ſimul ejus implens
Pectus immenſum, ſimul alma proles
Virginis almæ:

De Deo verus Deus, increatæ
Lucis æternum jubar, ora vivus
Patris ad vivum referens character,
Alter & idem.
Scala quæ cœli ſubiens cacumen,
Ad ſoli centrum penetravit, imis,
More mortalem ſuperante captum,
Summa coaptans:
Te, ſalus rerum, profugis receptus,
Naufragis portus, miſeris medela,
Lumen extinctis, onerum levamen,
Meta laborum:
Te, fatiſcentum requies, peracti
Palma conflictus, pugilum corona,
Præmium curſus, operumque nulli
Debita merces:
Fœderis mundum reparantis obſes
Arcus, undarum potior periclis
Arca, pax terræ, tremor inferorum,
Gloria cœli:
Gentium lumen, decus Iſraelis,
Patribus voti modus atque ſumma,
Scandali rupes atheo, fideli
Petra ſalutis:
Arbor ô vitæ ſenio carentis,
Quâ Dei vernat paradiſus, uno
Fonte diffuſâ riguus quaterni
Fluminis unda:
Legis & Vatum ſcopus, involucro
Moſis abducto faciem revelans,
Corpus umbrarum, ſimul agnus inſons,
Ara, ſacerdos:
Agnus à mundi jugulatus ortu,
Ara primævæ luis expiatrix,
Invii ſolus penetrans Olympi
Templa ſacerdos;
Te canam, lapſi generis Redemptor,
Teque lapſuri ſtator & retentor.
Qui manu magnâ Mediator unus
Cuncta coerces.

Qui

Qui ſupernatum ſubitam, caducæ
Stirpis adſcitu, reparas ruinam,
Et choris terrâ genitos beatæ
Inſeris aulæ.
Te quid excîrit referam, relicto
Patris æterni ſolio, latentem
Veſte ſub ſervi Dominum, rebelles
Viſere terras:
Carnis & craſſâ velut obvolutum
Nube, divinos operire vultus,
Et crucis diras, gelidique cippum
Ferre ſepulchri.
Nempe nec mundus redimi, nec ira
Patris extingui, nec acerba legis
Pœna perſolvi, nec imago nobis
Priſca refundi;
Nec polus pandi, nec avara cunctos
Parca pervadens perimi, reſurgens
Præda nec buſti carioſa vernum
Sumere vultum;
Nec triumphatæ ſpoliis gehennæ
Agmen augeri ſuperum, nec olim
Plumbeum tolli ſuper aſtra pondus
Carnis opacæ,
Abſque te ſolo potuiſſet; imos
Per gradus pœnę capitalis actum
Summa quem ſedes beat; & ſupremi
Culmen honoris.
Hinc labor nullum patiens levamen,
Gentis & lapſæ tibi luctus exſpes,
Fœta materno liquefecit urgens
Viſcera motu,
Sortis ut noſtræ miſeram ſubires
Aleam, noſtri pudor ut reatus
Ora confundens tua, nos perenni
Luce repleret.
Nam tuæ nobis tenebræ decorem,
Gaudium luctus, requiem labores,
Inferi cœlos peperere, lætum
Lucta triumphum.

O ſalutarem ſophiam, ſagaces
Iure quæ mundi fugiens magiſtros
Hujus, inflatæ vitreum fefellit
Mentis acumen!
O vices rerum, facieſque miras!
More quas miſcens tua tam decenti
Dextra diſpenſat, paribuſque librans
Lancibus æquat.
Nos tui mœſtos hilarant pavores,
Ora lugentum lachrymæ ſerenant,
Sanat afflictos dolor, ipſa vinctos
Vincula ſolvunt.
Languor infirmos reficit, fluentem
Vulnus admotum cohibet cruorem,
Nuditas nudos tegit, indigentes
Ditat egeſtas.
Sanguinis grumi facie cadentes
A tuâ noſtras radiis coronant;
Mundat attractam cruor è parentum
Semine lepram.
Mortis exhorrens calicem propinquæ,
Tela ſecuros facis ad ſuprema,
Noxios tu nos reus innocentum
Cœtibus infers.
Deſerit quum te patrius parumper
Vultus, extorres tua nos co-optat
Cura, ſuſceptos gremio nec unquam
Ejicis almo.
Quid morer multis? Erebum ſubintrans,
Tollis in cœlos. maledicta quondam
Furca, nunc arbos hominum beatrix,
Fitque boni fons.
Quum triumphati ſpeciem pudendam
Pendulus præfers; oculoſque pœnâ
Paſcis hoſtiles, odioque turgens
Pectus acerbo;
Squalidus, nudus, lacer, ora pallens,
Obrutus probris, co-opertus iræ
Fluctibus, clavis miſeranda fixus
Membra quaternis;

Inter

Inter infeſtas acies, latronum
Inter infauſtos fremitus, remandans
Spiritum Patri, geminumque fundens
Corde fluentum:
Tunc triumphali crucis in quadrigâ
Vectus, immanes agis ante temet
Hoſtium turmas, manibus retrorſum
Fune revinctis.
Fune conſtrictos agis indecoro
Principes mundi, ſtygiique portas
Carceris, fauces trucis & ſepulchri
Victor inermes.
Victor exutas Erebi phalanges,
Labis humanæ caput, architectos
Fraudis & falſi, ſcelerumque terras
Quidquid inundat,
Exhibes pulchrum ſuperis theatrum,
Noctis æternæ laqueo ſuperbas
Fracta cervices, pudefacta furvos
Agmina vultus,
Mortis hinc ſævæ ſtimulus bicuſpis,
Legis hinc iram parientis, anceps
Volvitur canthos dica ſubter, unco
Fixa trabali.
Ipſe cum-primis jacet Orcus ingens,
Enſe confoſſus proprio, doloſam
Dum crucis, rictu nimium furenti,
Devorat offam.
Finditur monſtrum furiale, rapto
Præda fit raptor lupus, unde vitam
Retur abſorptam tenuiſſe, cœpit
Inde teneri.
Gentis humanæ miſerator, hydro
Conterens tetro caput execrandum,
Cordis ô conſtans amor, O voluptas
Pura paterni!
Pacis & vitæ via ſola; magni
Promus arcani patrio latentis
In ſinu; veræ pietatis idem
Auctor & index!

Perditis, eheu! quid in omne nobis
Tempus, ô vindex hominum, fuiſſet,
Abſque te ſolo, ſobolique noſtræ,
Dulcis Ieſu!
Clauſtra perrumpens tumuli, ſupernam
Qui domum ſcandis redivivus,& nos
Convehens tecum, tua membra, nigro
Surripis Orco.
Surripis flammæ furiis, nocentes
Quæ manet, mundi ſenium ſub excors;
Iamque nos vitæ venientis amplâ
Inſtruis arrhâ;
Pacis obſignans & amoris almo
Spiritu, qui nos tibi, quique membris
Vnit, æterno tua quotquot implet
Gratia nexu.
Ille nos mundi, laqueoſque contra
Carnis & fraudes, furiaſque nigrâ
Nocte ſummiſſas, mediâque peſtes
Luce volantes,
Gratiæ ſalvos ope ſeptiformis
Præſtat, ac tandem ſuper aſtra tollit,
Nec ſpei fluxæ, fideive fultos
Præpete pennâ.
Ille divini lateris gemello
Tertius rivo comes, efficaci
Voce conteſtans, pia firmat ingens
Pectora pignus.
Ille proſtratis aditum tribunal
Patris ad ſummi reſerat, medullis
Ille mox, Abba pater, æſtuantum
Format in imis.
Ille ſingultu tacito, canoræ
Nulla quem vocis tuba, nec venuſtus
Æquet accentus, feriet paternas
Protinus aures.
Ille ſinceris oculos revelat,
Legis ut ſenſus penetrent profundæ,
Spernit elatos, humileſque ſanctis
Motibus afflat.

Ille torpentes acuit, labantum
Firmat inceſſus, revocatque lapſos,
Ille divinis moribunda mulcet
Viſcera flammis.
Ille præfractos refugoſque leni
Ductiles reddit, facileſque tractu,
Nulla quem duri pudefecit unquam
Pectoris incus.
Quin tuum, currant agiles, cupîto
Sponte cervices onerique ſubdant,
Suavè fragrantem ſimul atque nomen
Sparſit odorem.
Nomen effuſum quod ubique caſtas
Haud ſecus fibras ferit, imbecillos
Atque languentum pretioſa pulſant
Vnguina ſenſus.
Hujus, ô vitæ dator & viæ dux,
Imber irrorans olei, ſalutis
Arduum greſſu duit irretorto
Carpere clivum.
Noſque deſerti per inhoſpitalis
Teſqua palantes lachrymoſa, dipſas
Dira quæ terret, ſitis & retoſto
Squalida rictu;
Ducat optatus comes, ad ſupernos
Lactis & mellis fluvios, tuorum
Semper & plauſu pia, Chriſte, læto
Cœpta ſecundet:
Orbis à ſummo tua dum coruſcans
Axe majeſtas inopina, longum
Temporis fluxum ſeriemque puncto
Siſtat in uno.
Tunc ſuum rectâ repetent parentem
Amnium curſus, ubi tempus ævi
Condet æternâ caput, unde primùm
Fluxit, abyſſo:
Luce, quæ cœli rapidum volumen,
Luce, quæ rerum refluos tumultus,
Luce, quæ mortis rigidique ſolvet
Sceptra ſepulchri.

O dies

O dies nullâ vice ſummovenda
Noctis à tergo ſubeuntis! O nox
Nulla quam lucis premet invaleſcens
Aura diurnæ!
Lucis o lætæ ſeges! O triumphus
Perpes integris animi! Viciſſim
Conſciis ô crux inimica vitæ
Turpiter actæ!
Quæ pios luctu lachrymiſque ſolvet,
Impiis clangens eadem catervis
Rumpet infauſto tuba triſtis altum
Fine veternum.
Nam tuam clangor faciem præibit,
Orbis ô vaſti Moderator, omnes
Qui ſimul rerum feriens tremendo
Murmure metas,
Ad tuum ſiſtet ſolium, ſupernæ
Quoſque tunc auræ vegetabit hauſtus,
Quoſque nunc ſervat cineres profundi
Vrna ſepulchri.
Illius nemo fugiet ſeverum
Lucis examen, patefecit almæ
Cardo quem vitæ, vel adhuc ab ægrâ
Matre rubentem.
Quum vorax flammæ violentis ardor,
Qua tui circum ſolii crepido
Candet, igniti ſuper actus atras
Turbinis alas,
Cuncta luxabit liquefacta magnæ
Membra compagis, quatiens repoſto
A ſoli centro fugitiva ſummi
Mœnia mundi.
Solis involvent radios tenebræ,
Priſtinus linquet nitor aſtra, terræ
Vertet in canam decus omne victrix
Flamma favillam.
Mentis humanæ monumenta, moles
Arduas, quidquid validæve robur
Dexteræ, ſolers acieſve longo
Præſtitit uſu,

Vnius

Vnius fervor furibundus horæ
Involans,nictu citiùs volucri
Perdet,& rerum genus omne maſſum
Fundet in unam.
Quum tamen mundi pereuntis ingens
Cuncta confundet fragor & ruina,
Dura percellens trepido nocentum
Corda tumultu;
Tunc ab hircoſo grege triſtis agnos
Dextimos inter-dirimet-capedo,
Mira quos tinxit niveos rubentis
Vnda lavacri.
Dum tuum cinget ſubitò tribunal
Clara ſanctarum tribuum corona,
Solis ut purum radioſus orbem
Ambit amictus;
Nubis aſcendens nitidum ſerenæ
Sub tuis tenſum pedibus lacunar,
Triſte ſubſidet ſed humi ſiniſtrum
Eminus agmen;
Vocis exſpectans tonitru triſulcæ,
Nulla quam franget mora,quin paventum
Oſſa pervadat cinefacta ſævo
Protinus ictu:
Ite ſub terras maledicta cœlo
Turba,frendentes furias fatigans,
Ignis æterni cibus in perennes
Ite tenebras.
Vnde ſpes,lumen,requies,voluptas
Exulant;vermes ubi,cumque fletu
Dentium ſtridor viget,atque tetri
Sulphuris ardor.
Quantus extemplò premet angor,exſpes
Obruet quam non tolerandus horror,
Lingua quæ fando referet,quis acri
Mente prehendat?
Me ſed in tali trepidum periclo,
Præſtet,ô clemens hominum redemptor,
Sanguis immunem tuus,inque dextrâ
Sorte reponat;

Sorte ſanctorum, tua quos beatos
Reddit aſpectu facies propinquo,
Summa tu præſens quibus es perennis
Cauſa triumphi.

Quæ tui vectes tumuli refregit,
Nexibus junctum tibi ſempiternis,
Chriſte, depoſtum repetat rigenti
Vita ſepulchro.

Tollat & cœli radiantis ultra
Fornices, tecum fruar ut repoſtis
Læta quêis aulæ dapibus redundat
Menſa ſupernæ,

Gaudiis, quæ non oculi, nec impar
Auris admiſit modulus caducæ,
Craſſa nec finxit ſibimet profundo
Fibra receſſu;

Summa ſed ſummus Pater ad ſupremum
Culmen evectis cumulumque ſervat
Se penes; fiet quibus unus omnes
Omnia complens.

Vita jam victrix ubi mortis atrum
Virus abſorpſit, ſpecieſque fallax
Tranſiit, vultu novus & nitebit
Mundus amœno;

Huc ferar tecum citus, ô piorum
Portus & præſtes, bonitatis umbo,
Quos tuæ tutos facit à futuræ
Fluctibus iræ;

Noctis ô fulgens polus, inter umbras,
Vultus, ut magnes, tuus, huc potenti
Semper obtutu trahat incitatum
Cordis acumen.

Huc ferar, quo nil penetrat malignum,
Nulla ſit voto mora, nil timendum
Reſtat, huc ſanctus mihi fervor alas,
Chriſte, miniſtret.

Vt canam rerum Domino tri-uni,
Mentibus laudes meritas beatis
Miſtus, humano potiuſque pangam
Pectore carmen.

Chri-

Chriſte,ſic fiat,precor,alme,tandem
Sancta ſic lætus mihi vota firmet
Finis,ut fauſtam pia jam prehendunt
Carmina metam. AMEN.

Ejuſdem ODE ΠΑΡΑΙΤΗΤΙΚΗ,
Spectatiſſimæ virtutis,amicitiæ,doctrinæque viro,D.Georgio Sibbaldo Medicinæ Doctori celeberrimo.

QVî fit,meorum palma ſodalium,
Sibbalde,ſecli ſydus,egentium
Portuſque,patriæque lumen,
Et medicæ columen cathedræ;
Quem clarat ortus nobilis,ingenî
Quem cultus ingens lumine plurimo
Perfundit,&c repoſta ſacræ
Nobilitat ſophiæ ſupellex;
Nulli ſecundus quem fidei vigor,
Quem clauſa nulli dextera,ſeculis
Quem prorſus illibata morum
Temperies pariat vetuſtis;
Quî fit,receſſu cordis in intimo,
Ipſiſque,āmici, quos oculis fero,
Tam rara mentis ut reportent,
Rara manus monumenta noſtræ?
Rivete teſtis tu mihi conſcius,
Thoarſa quondam quo caput extulit
Celſum, ſed axe nunc Batavo
Quadrifidum radias per orbem.
Teſtis piorum Bruſius ordinum
Ductor verendus,quo potior vix
Luctæque nemo Chriſtianæ
Voce,manu,calamoque doctor.
Teſtis,Roberti-villa dat inclytum
Cui nomen,olim nectare dulcior
Collega,qui ſub impari nunc
Faſce gemit,ſocio ſuperſtes.
Edinianâ teſtis acropolî
Fulgens,diurnâ lampade puriùs,
Eliſa,quam colit perennem
Forma,genus,pietaſque ſedem.

Dei timentum gloria cœtuum,
Flos urbis almæ,teſtis,amabiles
Quorum ſub abditis recurrunt
Vſque mihi ſpecies medullis.
Devota Chriſto pectora,vos meis
Non fluxus ævi,non fuga temporum,
Eradet oſſibus,nec inter-
Vlla loci rapiet-capedo.
Quin ergo teſtes promis idoneos
Flammæ latentis,ne meritò ſui
Tuique te querantur,aurâ
Immemorem ſupera fruiſci?
An quòd parergis dum priùs occupat
Mens expediri,quò gravioribus
Intentà,proſequatur actu
Orſa dehinc pia pertinaci,
Semper novorum,queîs premor indies,
Obſtaculorum ſemina pullulant,
Spem præter & votum,futuræ
Propoſito remoræ ſalubri?
Sic me morantem ſeptima ſepties
Iam pænè pulſat meſſis,& ultimæ
Quis novit an ciebit horæ
Terrifico tuba dira cantu?
An mentis alas implicat anxiæ
Molimen ipſum,quæ parit ægriùs,
Quo ſudat acriùs,viciſſim
Summa levi petit aſtra niſu?
Hinc ſomnolenti ſæpe ſilentii
Condor latebris,lumine frivolos
Donare publico perhorrens
Ingenii trivialis auſus.
Nec jam politis parturit auribus
Dignum quid,ardor priſtinus ignei
Poſtquam deferbuit vigoris,
In tenues abiens favillas.
Quas interim,fors,aura faventiæ
Tuæ ſecundo flamine ſuſcitans,
Hæc plumbeæ ramenta venæ
In rutilum recoquet metallum.

THO-

THOMAS CRAIGIVS.

Iacobi Sereniſſimi Scotorum Principis Ducis Rotheſaiæ Genethliacum , 1566.

IGnea qui rerum Dominus ſtellantis Olympi
Templa colis,nutuque orbis moderaris habenas,
Hæc nobis æterna ſinas,hæc gaudia ſerva,
Quæ ſceptro adnaſcens Scotorum regia proles
Tanta Caledoniis nuper diffudit in oris.
Quo renovent animos ſolatia mutua feſſos,
Et meritus tibi ſurgat honos,qui plurimus omnes
Occupat ecce animos tanto pro munere gratos.
Sed ſi perpetua fatorum lege,ſecundos
Triſtior alterna Nemeſis vice temperat actus;
Si rerum ſic ordo petit,cæciſque catenis
Implicita adnectunt redituros gaudia luctus:
Non tamen ulla malis clades devota ferendis
Pectora mole ſua vincet.Quaſcunque libentes
Lætitiæ huic pœnas luctu pendemus amaro.
Crudeli tantum Parcarum à ſtamine tutus,
Creſcentes Princeps Scotorum ſurgat in annos,
Dum, quod (purpureas cum primũ exiret in auras)
Humani audebat conſtans fiducia voti
Frænandum puero promittere,poſtea victor
Fatale imperium florentibus ambiat armis.
Ecquid erat tandẽ quod ſummo à numine majus
Poſceret his noſtris ſolertia provida rebus?
Libera cujuſvis vel ſi optio muneris eſſet,
Si noſtra æternæ jurent in vota ſorores,
An quicquam fatis quæſo præſentius iſtis
Auſa erat humanæ ſperare licentia mentis,
Seu res privatas ſeu publica commoda ſpectet?
Scilicet ætatis noſtræ quæ plurima ſenſit
Præterita acceptis alios exempla docebunt
Cladibus,adverſis quam ſtet Reſpublica Divis
Infælix nimium,niſi magni Principis adſit
Imperium ſemper præſens,niſi ſanguinis ordo
Regius imperium generoſo robore firmet.
Quid memorem iratis exhauſta pericula cunctis

Cœlorum ordinibus,quid tot diſcrimina noſtris
Nobilitata malis,miſeras dum impune per urbes
Perque agros vaſtis furerent incendia flammis,
Victor & effuſis hoſtis volitaret habenis?
Nimirum præceps animos occaſio fecit,
Armavitque hoſtes,quiſquis fuit ille Deorum,
Invidia pulchros regni populatus honores,
Qui regis piceas Iacobi in funere tædas
Tinxerat,in vidua dum filia ſola tyara
Magnanimis ſupereſt de tot modo Regibus unum
Æterna imperii manſuri in ſæcula pignus.
Interea quas non deflevit Scotia clades?
Dum malè certa domi ſtudia in contraria cæcos
Conſilia hinc raperent animos,dum fulminat illinc
Anglus,& irarum plenis bacchatur habenis.
Tanta utrinque ferunt rebus momenta gerendis
Regia præcipitem propè deſolata ruinam
Sanguinis,adverſis fatis cum ſceptra minantur.
Ergo Caledoniis cæli indulgentia terris
Quid potuit tenero hoc largiri Principe cunctis
Gratius,æterni ſceptri fælicia tandem
Numina perpetuâ ſpondens regalia prole?
Quæque ſuos aliis regnandos ceſſit honores,
Et Franco rerum miſerando fœdere habenas
Scotia tranſcripſit,Dominis addicta profanis;
Quam ſua necquicquam voluit ſub jura Quirinus,
Tunc cum victrices aquilas inferret in ipſos
Argadas,& ſignis horreret Grampius ingens
Auſoniis,nullo labefacta hic pectora bello
Inſolitos Domini potuere agnoſcere nutus.
Ergo tot annorum generoſi gloria Martis
Cum ſua Liligeris inſcripſit nomina faſtis.
Qualia non ſenſit precibus pulſatus Olympus
Vota,coronatis quæ tunc non fecimus aris
Munera,ſi reduces rerum in faſtigia Scotos
Præterita Deus imponat placatus ab ira?
En ſpe plura dedit,Dominis ſua numina priſcis
Gratatus,fatis caderent ne rurſus iniquis,
Regia fælici ſtabilivit ſtemmata prole.
Denique,

Deniq;, præteritis quoniam venit uſus ab annis,
Si veterum quiſquam monumenta reſignet avorũ,
Quæ bis dena hujus numerant ab origine ſceptri
Sæcula,ſi eventus varios,ſecumque volutet
Tam multas rerum facies,hiſque omnibus idem
Inſcribat proprios Reges,quo Principe ſævas
Mars ferus in miſeros cives exercuit iras,
Et blandam rerum turbabant bella quietem,
Quoque iterum lætis revolans victoria pennis
Principe,magnificis inſcripſit ſigna triumphis,
Lætaque ſecurâ florebant omnia pace:
Fallor ego,aut fatis nuncquam melioribus uſa eſt
Scotia,ſeu cum ſe à ſævo defenderet hoſte,
Seu valida inferret vicinis gentibus arma,
Otia ſeu poſito caperet ſecura tumultu,
Quam Dî purpureum poſtquam ceſſere Leonem
Steuartæ æterno manſurum in fœdere ſtirpis. (ges,
Scilicet an mirũ eſt, quemquã hos ſibi poſcere Re-
Quorum in pace fides,quorum ſpectatur in armis
Omnipotens virtus, quorumque in nomine ſemper
Non ementito reſplendet gloria fuco?
Plenior egregiæ nulla eſt virtutis imago,
Quam Steuarta domus,ſi belli jura togæve
Excutias ſolers,& quicquid fœdere ſancto
Poſſit ab æterno famam defendere buſto.
Ergo age chare puer,Steuarti nominis hæres,
Magna patris,major matris,ſed maxima regni
Gloria ſpeſque tui,veniet cum fortior ætas,
Neſcio quid magnum tibi jam præſagia ſpondent.
Si quid habent veri,tibi ſe frænanda reſervat
Qua patet armipotens,tanti ſibi conſcia partus,
Qua latera extendit ſinuante Britannia ponto.
Interea teneris his accreſcentibus annis,
Ille ſuâ tanquam clypeo te protegat umbra,
Ignea qui vaſti ſtabilivit mœnia mundi:
Fulciat & vivo te robore,membra ſopore
Seu blando laxas,vigilans ſeu pondere dulci
Penſilis innectis materno brachia collo,
Incipiens tremulæ blandiri murmure linguæ,

Penſabiſque pia longos mercede labores.
Vt tener irriguo cum ſurculus inſitus horto eſt,
Paulatim ſtupidis in ſe ſua robora membris
Colligit,& pleno vix ſe audet credere cælo:
Mox ſenſim incipiet teneras diſpergere fibras,
Et crudeſcenti ſeſe armat cortice ſtipes,
Brachiaque in volucres interritus ejicit auras.
At ſua cum plenis veniet maturior ætas
Viribus,humani fugiens faſtidia tactus,
Aereas procul in nubes ſua robora ſpargens
Emicat,& cælos jam ſeſe audacior ipſo
Sperat,& infeſtis Phœbi caput objicit armis.
Multus ibi cantu cæleſtia membra coronat,
Dum cupit exiguos ales ſtabilire penates.
Lanigeræ pecudes hujus genialibus umbris
Defeſſas æſtate novant in pabula vires.
Sic tibi qui dulci vagitu numina ſupplex
Auxilio invitas,omnis nunc roboris expers,
Cum ſolidas major luſtris venientibus ætas
Firmabit vires vivaci in pectore, ſervant
Se tot florentes metuendo ex hoſte triumphi.
Tunc vires vanis necquicquam expertus in armis
Ad tua procumbet ſupplex veſtigia Cimber.
Et quæ perpetuo damnatur frigore Ierne,
Mutabit Dominos à te regnanda profanos:
Nilque tuo diſcent omnes fore tutius ævo,
Quam duce te ſi pax,duce te ſi bella gerantur.
Non mihi quæ canerem ſubjecit futilis augur,
Non dubii tripodes,non vana oracula,non qui
Fallaci ludit Morpheus temerarius umbra.
Tu mihi,qui fidei es & veri plurimus index
Præteritis uſus ſemper firmatus ab annis,
Tu mihi teſtis eris,veterum dum exempla revolvo,
Hæc quo præſentes fidei mereantur honores.
Fælici invictus princeps Iacobus ab ortu
Omnia ſolus habet,quæ priſcis ſingula magni
Imperii fecere fidem præſagia,quò quis
Sponte ſua Parcis properantes currere fuſos,
Per tam præſentes poterit cognoſcere Divos.
Hæc

Hæc Dea Numinibus magnis gratiſſima cõſors,
Fælicis partus fortunatiſſima mater,
Arcanos ignara Deos in pectore claudit.
Quippe ubi juſta ſibi pariturae tempora vidit
Creſcere & hærentem præſens Lucina moneret,
Non ſibi magnificis laqueata palatia legit
Murorum titulis,non qua modo gratior aura
Sollicitos poterat partus lenire dolores.
Arx in Edinburgi præruptis undique ſaxis
In cælum minitans ſcandit clariſſima,non quæ
Regali inſtrueret convivia ſplendida luxu,
Non intertexto quæ lumina paſceret auro:
Sed multa æratis ſplendent in poſtibus arma,
Multa globos tormenta vomunt rabioſa furentes,
Signorumque ordo Phœbi radiantis honores
Provocat.Hac ſeſe dulci cum pondere mole
Non ſine præſenti Divorum numine clauſit
Diva Caledoniis fælix quæ præſidet oris.
Vſque adeo arcano cunctos trahit ordine fatum
Præcipites,atque occulta virtute fatigat.
Hac ſiquidem imperii fatalia numina ſolâ
Arce ſedent, arcis cuſtos Victoria tantæ
Nullius in leges unquam deſcenderat hoſtis,
Aut turpi invictam maculavit crimine famam,
Quo pura invictum poſſit producere Regem,
Qui ſacra armata protendens Scotica dextra,
Imperii ſubdat populos ditione ſuperbos,
Quâ refluo Oceanus radit vaga littora plauſu.
Hos primo fortuna loci deſpondet honores,
Hoc etiam pueri cingunt quæ plurima cunas
Arma monent,nuper nati ſibi conſcia Regis,
Quo ſibi laurigeros ſperant victore triumphos.
Stat vetus & plena turris dominatur in arce,
Et picea aſſurgens longè inter nubila condit
Faſtigatum apicem circa hunc examine juſto,
Fulminat à medio cum Sol calidiſſimus axe,
Florilegæ denſantur apes,& murmure rauco
Certa monent magnis quæ ſtet ſententia Divis.
Viſa fides,pleno tumefactus pondere venter

Sedula Lucinam cum primum in vota vocaret.
Reſpice quas rerum moles portenderat illud
Oſtentum,& dubias firmet Lavinia mentes,
Cum terræ imperio ſponderent fata Quirites:
Et qui Tinacrias Hiero clariſſimus oras
Æterna extendit ventura in ſæcula fama.
Ille triumphata victor Babylone Seleucus,
Qui Macedûm, fractis Pellæi funere regis
Viribus, Aſſyrias magna ditione tyaras
Rexit, & attonitas ſtupefecit nomine terras:
Huic cum naſcenti venturi conſcius index
Anchora curva femur tyrio rubefecerat oſtro:
Continuo Vates: Nimirum hæc purpura Regem,
Imperii ſtabiles hæc deſtinat anchora ſedes.
Purpura ſi Reges; ſi Martem deſtinat enſis;
Cor ſibi ſi ſedem virtus interrita legit;
Dic age quid puero huic promittat corde ſub imo
Murice purpureo accendens latus igneus enſis?
Præterea has dubiæ mater ſpes maxima menti
Excitat, humanis ſi ſit fiducia rebus:
Quam (licet in ſexu hoc animos Natura negavit)
Lætus honos, virtus, & læto gloria vultu,
Et decus, & niveis victoria concolor alis,
Delegere ſibi ſedem, qua dignior ulla
Hoſpita numinibus tantis, à Memnone nigro
Non fuit, extremos ubi Ganges lambit Eoos,
Herculeis donec cohibetur terra columnis.
Ergo animis matris fortunam adjunge paternam,
Non ſua quæ cæco velamine lumina claudit,
Sed cui cuncta comes juncto veſtigia paſſu
Inclyta compreſſis virtus moderatur habenis.
Cum genus authores ſapiat,nec ſanguinis hæres
Quam morum potius ſit filius,inque parentum
Paulatim aſſurgunt nati veſtigia,quid non
Principe,cùm major fuerit,ſperabimus iſto,
Vivida cui Mariæ virtus,cui maxima patris
Fortuna Henrici,coaleſcent pectore in uno?
Maximus ille opifex rerum,ſi cætera deſunt,
Aſpice quam puero lætos afflavit amores,
Quantus

Quantus honos fronti eſt,quali radiantia flamma
Lumina,virgineo qualis pudor oſcula rore
Inficit,& facie qualis decor inſidet omni.
Sicut verna novis erumpens purpura pratis,
Vel quales volucres,ſi tantum ſpicula ponant,
Artificis manus in tabula depingit amores.
Nempe hæc tam fælix per ſe diſtinguet imago
Pulchrior,humanæ quam ſit reverentia formæ,
Quanta pater Superũ puero huic facienda reſervet.
Lanificæ ſtabili fatorum lege ſorores:
Victrices lauros,parvis munuſcula cunis
Cum dederant,trino cecinerunt omine cuncta,
Ter ſacra pueri cinxerunt tempora quercu.
Et properanda ſuos hortatæ in ſtamina fuſos;
Currite perpetuo dixerunt tempora filo,
Tempora,quæ tanti efficient aliquando potentem
Imperii puerum hunc,quo ſoſpite gloria claris
Martia Scotorum ſub ſe premet æthera factis.
Mentior?hæc ætas hæc ſpero læta videbit,
Et mirata ſacros agitent quæ numina vates,
Nimirum (dicet) longè hæc prædixerat iſte,
Quæ bona pars hominũ nuncquã ventura putaſſet.
Hic tamen audaces ſi quis ſinat eſſe Camœnas,
Nec mea dicta ferant Zephyri per inane volucres;
Pauca velim monuiſſe prius.Tibi maxime Princeps
Spes & vota hominum,tibi provida numina credo
Imperii Oceano fines ſtatuiſſe refuſo.
Ante tamen meruiſſe velim,ſecurus in omnem
Dormiet eventum,meritis quem maxima virtus
Evehit,& dignos penſat mercede labores.
Scin' regnanda Iovi cur celſa palatia cœli,
A Gange ad Gades,totus tranſcripſerit orbis,
Quem tamen exiguo clauſit Minoia Crete
Imperio,& parva morientem condidit urna?
Cælica quæ primum naſcenti conſcia mundo
Effulſit virtus,cum nondum cæca cupido
Iudicio obſtaret veri,digniſſima viſa eſt,
Quæ ſola æternas rerum moderetur habenas.
Et ſua devotæ ſacrantes tempora vitæ

Magnanimi Heroes ſolos virtutis in uſus,
Vſque adeo prima hos annis melioribus ætas
Credidit imperio dignos,ut decolor Indus
Damnatuſque Afer Lybiæ ſitientis arena,
Quiq; omni Herculeis removetur ab orbe colũnis:
Hos ſaltem fato functos,moderamina rerum
Et tenuiſſe velint & credant;invida Reges
Quos ſibi,dum vitam traherent,Fortuna negavit.
Divitiis externa omnis felicior ora
Eſt prope,ſitque precor,dum ſemper torpor inertes
Et luxus comitetur opes,dum ſplendida fortes
Mollities frangat cives,dum creſcat avaro
Hoſti animus , prædæq; omnis ſpes provocet arma.
Et quis opes his invideat,qui nil melius quo
Nobilitentur habent?ſed te pulcherrime Princeps
Gloria tantorum titulis inſignis avorum
Hæredem agnoſcet:veraque in laude reponet
Martia vis animi,& conſtans fiducia in armis,
Quæ Ferguſiadas ſævo ſervavit ab hoſte,
Et nuncquam Dominis paſſa eſt ſervire profanis:
Cum tamen in prædam fulvi vis futilis auri
Ipſaque cum plenis caderent Pangæa metallis.
Scimus ut in ſumma dominetur plurimus aula,
Vt miſeranda vorat perituri viſcera regni
Luxus,adumbrati faciem mercatus honoris.
At tibi ſi in patrias ſurges non degener haſtas,
Tempora ſollicitos ſpondent ventura labores,
Vnde tibi veræ precium ſtat gloria famæ.
Ergo ſtatim cruda teneras velut indole vires,
Nec te ſecura frangant pigra ocia in aula,
Frigora Ripheæ brumæ tolerare docebis,
Et Iove ſub gelido vigiles perducere noctes,
Et capere in clypeo ſomnos,& robore vivo
Frangere nando citos violenti vorticis amnes,
Exigere æſtivos calido ſub pulvere ſoles,
Solvere ſepoſita in campis jejunia menſa,
Spargere ſulphureo plumbatas turbine glandes.
Artibus his tibi ſurget honos,hæc munera Scotos
Præcipiti mundi tunc ſubduxere ruinæ,
Cum

Cum Dominos rerum ſtatuiſſent fata Quirites.
Liliger ille leo patriæ virtutis imago,
Quem ſibi perpetuo ſacravit fœdere Scotus,
Diſce quid ille velit,ſibi cur tam nobile ſignum
Vendicet,imperii qui plenas tractat habenas,
Hujus ſurgendum eſt tibi per veſtigia,tandem
Quæ memores acuant generoſo in pectore curas.
Vt trahit arcano ferrum Magneſia cautes
Imperio,& cæcis longa pendente catena
Nexibus implicitum violentior impete vincit:
Non te mentitos virtuti obtendere fucos,
Aut pigra reſides ſponda deponere curas,
Semina materni patientur ſanguinis,atque
Gloria nativos mentiri neſcia mores.
Interea primi creſcant tibi molliter anni,
Et læta aſſurgens puerili in flore juventa
Dulcia Scotorum ſperando gaudia paſcat.
Quocunque incertis blanditur ſedula nutrix
Numinibus,magnis dum provocat æthera votis,
Hæc collecta ſtatim properantibus omnia fuſis,
Manſuroque trahant nentes in ſtamine Parcæ.
Et qui tam grato reparavit munere Scotis
Præteriti tandem miſerandas temporis iras,
Ille idem caſtis precibus ſua numina victus
Commodet,& pleno ſinat hæc ſua munera voto.
Sic tua fælici diſtinguat tempora fato,
Sic tua jucundis beet incunabula ſomnis,
Cum latus in blandam ſolvis puerile quietem.
Sic juvenile decus vivaci inſcribat honeſto,
Sic tibi fortunet quodcunque inſtabit agendum,
Et Pyliæ in ſenio duplicet tibi tempora vitæ.
Vt te dum ſpectant, diſcant in ſæcla nepotes
Quid poſſit juſti ſperare licentia voti:
Quæ ſit fortunæ per te menſura faventis,
Exemploque legant in eo,quos maxima fines
Creſcendi humanis poſuerunt Numina rebus.

Ad Sereniſſimum & potentiſſimum Principem IACOBVM VI, *è ſua Scotia diſcedentem, Paraneticon.*

VIve diu ſoſpes,cælo acceptiſſime Regum,
Et qua divini te invitat numinis aura,
Progredere ô fælix,fatoque accede vocanti.
En tibi læta ſuos ſubmiſit ut Anglia faſces?
Anglia vicinas inter pulcherrima gentes,
Prole virûm fælix,ſtudiiſque aſperrima Martis:
Tuta mari magno,cujus Tarteſſia claſſis
Horruit,Oceano nuper ſub judice,vires:
Iam quacunque patet refluo,circumſona ponto,
Illa tibi undarum regina Britannia ſervit.
Multa tibi meritò potuit promittere virtus,
Multa tibi Regum ſeries longiſſima avorum,
Et qui purpurei ſurgit tibi ſanguinis ordo:
Multa etiam potuit legum veneranda poteſtas;
Contigerant hæc ſæpè aliis,ſæpè antea magnis
Ius meritis junctum fuit, & cum ſanguine virtus,
Cum titulis tamen,hi longè jacuere repulſi.
Sed tibi poſt homines fortunatiſſime natos,
Quam prius optanti Divûm promittere nemo,
Non hominum audebat,nunc ultrò contigit uni,
Cum titulo,unanimis populi ſententia concors.
Te,quicunque habitat fines ubicunque Britannos;
Te gravium veneranda Patrum,conſultaque turba,
Te proceres,reſideſque ſenes,te tota juventus
Agnoſcunt læti Regem,Dominumque ſalutant,
Arceſſitque tuis titulis, quod defuit illis.
Quamque vagus Nereus anguſto dividit æſtu.
Piſcibus,& multa pecoris vi dives Ierne,
Deucalionæo & ſi quæ jacet inſula ponto,
Se tibi dant totas,neq; enim dare majus habebant;
Omnia fauſta tibi,non caſſa in vota precantes.
Atque ut tranſcendas,ſi quas cæleſtia metas
Creſcendi humanis poſuerunt Numina rebus,
Omnibus una hæc vox,hæc acclamatio concors,
Ecquando venies,ut debita ſceptra capeſſas?

Certi

Certi omnes, quantum ſecreti numinis adfers:
Quotque ſimul radiis (Phœbææ lampadis inſtar)
Imperii præſens ſpecies flammantibus ardet.
Quinetiam ut paſcant dilecto lumina vultu,
Vt veras poſſint audire & reddere voces,
Sollicitant, precibuſque rogant, ſtudiiſque fatigant.
Tu modo, ne qua moræ veniant diſpendia, greſſus
Accelera, & fatis te ultrò poſcentibus infer.
Plus longè eſt regno, ut regnes meruiſſe rogari.
Sæpè prius, fratriſque ſoror, natuſque parentis
Funere ſucceſſit, cognataque ſceptra recepit,
Et laxati animi plenis in gaudia habenis,
At veterum ſi quis monumenta reſignet avorum,
Si memor excutiat, noſtris quæcunque ſub annis
Gaudia, non ullo blandum caput extulit ævo
Lætitia, aut tanto faſtu ſe prodidit unquam,
Quam commiſſa tuæ cum rerum pondera curæ.
Sic humili cum plebe patres, ſic undique cuncti
Publica teſtati manifeſto gaudia vultu.
Scilicet en dono Divûm gratiſſima venit
Alma dies, finem exitiis poſitura futuris,
Expectata diu, niveoque notanda lapillo.
Poſt tantos bellorum æſtus, triſteſque furores,
Æternam Martis ſpondent converſa quietem
Numina. Non hominum, ſæclis odioſa futuris
Sanguine ſudabit tellus, igneſque reſident,
Æquora, jam pelagi metuens, pirata relinquet,
Navitaque in tuta compendia puppe ſequetur.
Non vulgi (mirum) variare labantia corda
Vidimus, aut ullo turbatum pectora motu.
Res avidi conſcire novas, petiere latebras,
Et nova lux, hominum perſtringere lumina viſa eſt.
Tantaque ſyderei fuit indulgentia cæli,
Vt ſine vi, ſine cæde, etiam ſine murmure ſalva
(Omnia quæ ſupra eſt) etiam pietate, ſub uno
Te Domino, infenſæ, damnato Martis amore,
Æterno gentes junxerunt fœdere dextras,
Fœdere, quod neque Mars duro convellere ferro,
Non Neptunus aqua poterit, non Mulciber igne,

Non

Non ſi ipſæ effuſo laxentur Erinnyes Orco,
Enceladuſque ferox injectam excuſſerit Ætnam,
Maxima pars hominum fieri cum poſſe negaret.
Non hæc humanæ malè firma potentia dextræ
Fecerat, authoreſve homines hæc fata loquuntur.
Conſiliis nihil hic (certum eſt) mortalibus actum.
Ille, ſupercilio totum qui concutit orbem,
Omnipotens, quē terra tremit, cui pontus & æther
Militat, & quicquid vaſti ambit machina mundi,
Hæc dedit, illius præſenti hæc numine facta,
Illius hoc opus eſt, illius & arte magiſtra,
Depoſitis odiis tandem civilibus, ultrò
Infenſæ gentes, æterno fœdere junctæ
In Domini unius conſpiravere favorem.
Iam dudum tollens ingentem ad ſydera planctū
Regia Saxonidum, turbataque funere tanto,
Pectoribus tunſis, lachrymarum rore madebat:
Ille animos hominum ſubiens, occultus amorem
Divinum inſpirat, ſimul oſſa accenſa pererrans,
Maxima præteriti oſtendit ſolatia luctus:
Lætaque cuncta metu juſſit ſperare relicto.
Sic poſito gemitu, ſuſpenſas blanda viciſſim
Gaudia pertentant mentes, atque undique ſenſim
Errabant, male certa tamen, ſine voce, ſine ullo
Murmure; ſed poſtquam poſitis ambagibus omnes
In nomen venere tuum procereſque patreſque,
Detergunt ſubitò lachrymas, nova gaudia dextris
Teſtati erectis, gemitus trans æquora mandant.
Iam fora lætitia, jam compita cuncta ſonabant,
Exſuperantque animis, nunquam præſentius ullis
Affuit ominibus cælum, mens omnibus una,
Quæ lætum Pæana canat, ſtudiiſque faventum
Conſonat omnis honos populi, tantaque remota
Principe, turbatas rerum non ſenſit habenas
Regia, & occaſum Solis nox nulla ſequuta eſt.
Ter quater ô fælix! tanti ſi muneris author
Suppliciis puris, & caſta mente colatur,
Si Dominum agnoſcas, dominas qui nuper habenas
Saxonidum à ſumma cœli tibi tradidit arce:

Si gratum inveniet,memorique recondita mente
Munera quæ tribuit,cupiet majora dediſſe,
Parturietque novos tibi gratia reddita fœtus,
Et memores grates comes indefeſſa ſequetur.
Quanquã ô!quid potuit pręſenti hoc munere majus
Humani effrænis ſperare licentia voti?
Inſula dives opum,ſcopuloſique objice ponti
Vndique ſecura,& triſti metuenda pharetra,
Virginibuſque ſacris eadem gratiſſima ſedes:
Qua neque divitior Cerere eſt,neq; vellere tellus;
Seque ſuoſque omnes,Domino tibi devovet uni,
Et famulas ubicunque manus,& pectora tollit
Ad cælum,Dominumque ipſum,cælique,ſolique,
Obſequii teſtem præſenti pignore firmat.
Iam nullum aſpicies,quod non tibi ſerviat æquor.
Parte alia tanto tu reſpondere favori
Officiis,meritiſque piis,contende viciſſim:
Indue mente patrem patriæ:tranquilla poteſtas
Non raro efficiet,quod non violentia præceps.
Iuſtitiâ ſcelus,errorem pietate repurga:
Nec tibi quid liceat,ſed quid decet aſpice.debet
Fortuna in magna minima eſſe licentia,ne te
Diſſimilem Dominæ dicant nova regna priori.
Ipſe vides,medio cum Sol altiſſimus orbe eſt,
Vt minor apparet,gyro breviore coactus,
Nec tantum ſpecie,quantum virtute relucet.
Ergo hanc,quæ tanto te dudum amplexa favore eſt
Regia Saxonidum,regnique inſignia magni
Detulit,ultro etiam quanquam tibi debita,rurſum
Inque vices tu ſemper ama,certetis utrinque,
Quis prior officiis. nihil hoc certamine utrique
Gratius,aut cujus mallent meminiſſe nepotes.
Sit prior illa licet,tibi quæ ſe credidit ultro:
Non tamen egregia palmæ ſuperabere laude,
Si meritum majora,& ſe coluiſſe colentem,
Si te regnandi nulli ſciat arte ſecundum;
Vt dubitet noſtra hæc,ut poſtera neſciat ætas,
Tune illi meritis,an plus tibi debeat illa.
Sic tamen,ut patriæ ſerves communis amorem,

Quæ tibi primævo tribuit cum lumine ſceptrum,
Quæ tua fælici cunabula ſidere vidit,
Et dudum in veros eduxit Principis annos.
Proque tuo titulo in mortem quamcunque parata,
Triſtia ne illius tibi mentem oblivia tangant;
Sed maneat ſemper tibi cura antiqua tuorum,
Per te,per cæli lumen ſpirabile adoro.
Sæpe etiam mentes Superûm mortalia tangunt,
Præcipuè ſi quid ſanctum eſt mortalibus,aut quæ
Reſpicit humanos pietas antiqua labores.
Vive memor Divæ,tibi quæ diadema reliquit,
Quæque ſui memorem fecit te ſæpè merendo;
Et dudum expletis humani finibus ævi,
Cum ſibi cedendum terreno carcere vidit,
Purpureos in te abſentem tranſcripſit honores.
Aſpice quantum illud fuerat,ſi cætera ceſſent,
Indicio illius ſceptrum meruiſſe ſupremo,
Cum nil deberet terræ, aut mortalibus ultra,
Ante oculos cum jam,&. ſanctæ penetralia mentis
Sola Panomphæi ſtaret cenſura Tonantis.
Nec tam quæſitus,tum à tanta judice,ſceptri
Debitus eſt hæres, (neque enim ſub nube latebat
Obſcurus) ſed quis magnæ virtutis honore
Quis meritis primus,cujus ſub pectore ſedem
Legerat alma fides,mentemque amplexa tenebat,
Pondera ſufficiens qui regni oneroſa ſubiret:
Indicium virtutis erat:judexque ſedebat,
Cui famulas fortuna manus ſubmiſit,& omnes
Enthea vis animi,& Virtus comes ibat in actus.
Hæc te dignata eſt,nati,dum vixit,honore,
Proque viro lecta eſt gemini conjunctio regni,
Quam tacita ſecum ſemper ſub mente coquebat.
Sic pater ille Deûm,cælo miſeratus ab alto
Diviſum imperium,monſtrique bicorporis inſtar,
Tot prius & bellis,& tempeſtatibus actum:
Tandem aliquando tibi,Domino ſubjungeret uni,
Vt facie,& forma quemvis delectet amœna.
Inde expers thalami,tædaſque exoſa jugales,
Intactæ elegit ſibi virginitatis honorem.

Tu

Tu tumulo flores,ſectoſque impone capillos,
Et vera amiſſam defle pietate parentem:
Quæ meritis,Regum laudes tranſgreſſa priorum,
Tantum omnes inter ſupereminet unica,quantum
Sydera Latois,vincit,Latoida Phœbus.
Digna cani à cunctis,quā nnnc nova gloria pennis
Evehit auratis,magni per mœnia mundi.
Hinc tibi virtutum ſtimulos exemplaque ſume:
Et tanta ad virtutis iter te accendat imago.
Hujus ſurgendum eſt tibi per veſtigia,ſi vis
Non ementito ut veniat tibi gloria fuco.
Hanc tu ſollicita cura ſi imitere ſequendo
Iuſtitia,& pietate,eadem tibi præmia ſpera,
Dum vives,feſta florebunt omnia pace,
Et famam moriens omne æternabis in ævum,
Inque animis hominum,longè meliore triumpho
Regnabis,quam ſi Gangem cum Gadibus uno
Imperio jungas, & Sol te obſervet uterque.
Plus etiam vobis hodie, quam creditis,actum eſt
Saxonidæ fortes,& magni Martis alumni.
Iam tandem,tota quod mente optaſtis,habetis.
Quod neq; magnanimus,ſęvus Odoardus in armis,
Marte ſuo poterat,natus non illius,aut qui
Creſciaca infecit Gallorum ſtragibus arva,
Quique illos longa ſerie ſunt deinde ſequuti:
Vos hodie ſine vi,regnum cum Rege tuliſtis.
Liquiſtis nobis lacrymas,dux fœmina facti.
Viciſtis, quo more boni ſunt vincere ſueti,
Et quo nemo bonus vinci non gaudeat. ipſis
Vtilis eſt etiam quædam victoria victis.
Quamque prius vobis bello ter quinque negarunt
Sæcla,triumphalem virtus dedit inclyta palmam.
Præteritæ nobis cædes,incendia,clades,
Hac mercede placent, pugnavimus hactenus armis
In commune nefas,ſtimulos dabat æmula virtus.
Libertas odiis crevit ſcelerumque pudendo
Proventu,quos non olim fœdavimus agros?
Nunc vera victos tandem virtute fatemur.
Vincite,ſi qua ſuper fuerit fortuna laborum,

Quo res cunq; cadent, unum & commune periclũ,
Vna ſalus ambobus erit: ſæcliſque futuris,
Communes lituos, communia caſtra ſequemur,
Et fræna unanimi concordia mente feremus.
Accipite, & ſocias in amico fœdere dextras
Iungite, ſunt etiam nobis habitata Gradivo
Pectora, ſunt animi, & factis ſpectanda juventus.
Nec levis hæc veſtris accedet gloria rebus,
Quod regnum, in toto quo non antiquius orbe
Sol videt, hoc vobis hodie commilitat omne:
Quod neque Martigenæ bello domuere Quirites;
Nec Danus ſumpta ſpirans immane ſecuri,
Cum totum inferret victricia ſigna per orbem:
Non Pictus, non qui duris metuendus in armis
Sævus Hyperboreo venit Norvegus ab axe.
Quodcunque his ſæclis præclarum geſſimus, omne
Id veſtrum eſt hodie, vobis pugnavimus, eſſet
Terminus imperii ut magni cum margine ponti,
Orcades ut vobis, ut ſerviat ultima Thule.
Ille etiam natus regno huic, & debitus uni
(Quo cœlo placuiſſe prius, nos ſoſpite certum eſt)
Veſter erit Dominus. Fas ſit mihi vera fateri,
Non alium tanta regem tulit indole tellus;
Cui magis inſcriptum eſt generoſo pectus honeſto,
Cui nulli deſunt magnæ virtutis honores,
Aut cui plus debent leges, Aſtræa, fideſque.
Et puræ aſſertor primo pietatis ab ævo,
Tantum inter Reges aſſurgit celſior omnes,
Quam ſuperant humiles montana cacumina valles.
Et tu littoribus noſtris contermina Ierne
Cinge triumphali lauro tibi tempora, nam quæ
Cauſa tibi toties fuerat conſurgere in arma,
Externos habuiſſe duces, externa tuliſſe
Imperia, & proprio ſemper caruiſſe tyranno;
Libera jam tandem, externæque immunis habenæ
Diſce pati imperium, tuus eſt qui regnat, & à te
Principium generis qui ducit origine longa.
Omnis ab occidua deſcendit Scotia Iërne,
Et bello Auſonio totam commovit Iernen
Scotus

Scotus,& infeſto ſpumavit remige Tethys.
Scotorum tumulos mater deflevit Iërne.
Et quæ per Latios occurrent plurima vates,
Ad nos à veſtris venit Ferguſius oris,
Has repetit,meritoque ſuo ſibi vendicat hæres.
Sic genus amborum ſe à ſtipite dividit uno.
Aut ſi,quod nollem,ſævo te credere Marti,
Et conſanguineo mavis includere bello,
Diſces quid virtus poſſit conjuncta duorum.
Eſt etiam nobis miles qui frigora ſpernat
Et nivis & Solis patiens,doctuſque pruinas
Ferre,pedes nudus,nudoque hyemare ſub axe.
Tu quoq; tantorum in partem ventura bonorum
Præſentes agnoſce Deos ô Wallia pugnax,
Seu potius priſco à Cambro vis Cambria dici:
Iam tuus eſt magni princeps pulcherrimus orbis,
Qui vultu,æthereos ortus,atque indole præfert:
Tantaque ſe primis pietas oſtendit in annis,
Quanta novo Phœbi cum lux diffunditur ortu:
Quo nemo generis (placeat ſibi quiſque licebit)
Luce prior vivit,qui ſolus origine ab una
Sceptriferos numerat centũ & ſeptẽ ordine Reges.
Nec deſunt generis manifeſti in ſanguine mores.
Quodq; magis mirere,& adhuc ſi priſca tibi mens,
Camber & à Cambra deducit origine ſtirpem.
Regius exilio juvenis cum fata Fleanchus
Vitaret,ſævi invidia turbante tyranni,
Fugerat ad Cambros,cui Regis filia furto
Walterum enixa eſt utero pulcherrima pleno,
At pater infeſto juvenem malè ſuſtulit enſe,
Exponi mandans meritum nil tale nepotem:
Illum inter ſylvas,inter ſpelæa luporum
Inventum,admirans certantia lumina flammis,
Æmulaque ora roſis,animo miſeratus amanti
Regius armenti cuſtos,cum prole careret,
Inductum laribus,proprium ceu pignus adoptat.
Ah fati ignaræ mentes!genus illius hic eſt,
Cui Domino paret jam tota Britannia ſoli.
Iam Cyrum Aſtyagis ſileat mirata vetuſtas,

Iliada-

Iliadæque ortum ceſſet jactare Quirini.
Walterus generis certus, cædiſque paternæ
Vltor, ubi effugit, patriæ ſe incognitus infert,
Dumque iter obſeptum ad patrimonia vidit avita,
Invenit virtute viam, perque ardua quæque
Marte petens claros, vitæ ſecurus, honores;
Clade rebellantes proſtravit Galvvidianos.
Multaque (dum Regi obſequitur) poſt fortia facta
Galvvidiam accepit, pretium non vile laborum.
Tunc neque inops virtus fuerat, nec inertia dives,
Non luxus mores, veſtes corruperat aurum.
Inde Seneſcalli indutus cum munere nomen,
(Proxima quæ Regi fuerat veneranda poteſtas)
Perpetuumque ſibi fecit, gentique reliquit.
At pronepos laudes longe tranſgreſſus avitas,
Norvvegum Hebridibus regnantem depulit, ipſe
Regis Hyperborei ſpoliis inſignis Achonis.
Maſcula ſed celeri virtus pede tendit in altum.
Illius ecce nepos (pronepos pleriſque putatur)
Egregiam factis famam virtutis adeptus,
Cum Scoti, infeſtis bello premerentur ab Anglis,
Regius ut fieret meruit gener, inde ſequutus
Filius imperii Scotorum accepit habenas.
Hinc genus à prima deducit origine Princeps,
Qui regnum Oceano, famam jam extendit Olympo.
Sic etiam (auditis ſi quicquam credimus) ille
Spiritus humana ſpecie qui auguſtior olim
Occurrit Cadavaladro, monuitque furentem,
Ne fruſtra patriæ tentet fulcire ruinam:
Eſſe etenim in fatis, ruituros Marte Britannos
Saxonidum, at fortis junxit ſolamen iniquæ,
Illius à magno venturum ſanguine Regem,
Qui gentis rurſus rediviva laude Britannæ
Imperium Oceano, famam qui margine cæli
Clauderet, & noſtros ea fata manere nepotes.
Si qua fides meritis, tenet, æternumque tenebit
Imperium Steuarta domus, non clarior armis,
Non alia eſt ſæclis melior cantanda futuris.
Aſt alios inter fortuna miſerrima noſtra eſt:

Qui tenero primos vagitus Principis ævo
Hauſimus, & trepida circum cunabula cura
Inſomnes ſoliti tecum producere noctes;
Nunc etiam hoc ipſo ſpoliamur Principe, nec jam
Dilecto datur ore frui, neque cernitur uſquam,
Qui noſtras audire preces, bibere aure querelas
Suetus, & ignavæ facimus convitia morti,
Teſtamur Superos, & magni conſcia mundi
Numina, res hominum cælo ſpeculantia ab alto;
Invitis nobis, patria te abiiſſe relicta.
Quis populi tum vultus erat, quæ turba gementum!
Vidiſti planctuſque pios, lachrymaſque cadentes,
Et miſeris matres tundentes pectora palmis,
Dum qualem infælix amiſit Scotia Regem,
Ingeminant triſtes, cœlumque & ſydera culpant,
Omniaque in terris miſerè loca queſtibus implent:
Omnia jam mœrent, tecum ſolatia rapta.
Non juveni virgo; conjunx non grata marito,
Nōn natis cordi eſt miſerorum cura parentum,
Cui jam comemur? cui nunc ornabimur? ecquid
Proderit huic feſtis veſtes mutare diebus?
Nil ſine te gratum (exclamant) nil dulce relictum.
Sic ubi deflectit (niſi quod rediturus) ad Auſtros
Phœbus, & Arctoi fugiens confinia cæli
Æthiopas viſurus abit, brumæ ingruit horror
Luridus, & picti perit omnis gloria campi,
Triſtis agros macies, teneras rigor alligat herbas,
Vndique ſylvarum virides ponuntur honores.
Non tamen his tantis fas eſt ſucceſſibus ulli
Ingemere, aut triſti teſtari voce dolorem,
Si tibi præteritæ cumulentur præmia vitæ,
Si meritis accedat honos, arma inter & urbes
Saxonidum, quamvis ſolito conſpectior ibis.
Sed maneat noſtros ea gloria prima nepotes,
Hæc æternetur nobis lux maxima ſemper,
Gente Caledonia, aëriique à vertice Grampi,
Progenitum veniſſe, & non ſine numine Divûm,
Qui longè imperium primus latèque teneret,
Qua latera extendit, ſinuante Britannia ponto,

Pro-

Pro Domino ſaltem hoc maneat ſolamen adempto,
Vt tecum ſemper meritò poſt mente feramur,
Dilecto ut quoties cupimus nos paſcere vultu,
Acceſſus tribuas faciles,avidâque querelas
Aure bibas,famulo inſtillans hæc dicta ſequenti:
Sunt etiam hi noſtri,quos olim ſydere amico
Concilians Natura mihi conjunxit ab ortu,
Hi pro me nuper diſcrimen in omne parati,
Nec mortem horrebant noſtro pro jure paſciſci.
Interea nivei ſurgat tibi temporis ordo,
Imperiumque diu teneas ſine nube ſerenum,
Et qui naſcentis dederat primordia regni
Cornibus auratis,dilapſæ portitor Helles,
Omne tibi fatum Nepheleio è vellere ducat.
Vive diu noſtri pignus memorabile voti,
Et nova ſuppreſſis cumuletur adorea bellis,
Quacunque ingrediere, caput quacunque decorum
Attolles,tecum niveis victoria pennis,
Caſtra ſimul jungens,ſemper comitetur euntem.
Nos indefeſſo victricia ſigna labore,
Atque triumphales currus quicunque ſequemur;
Sive paras bellum in ſævos lachrymabile Turcas,
Seu tu Phœbæa redimitus virgine victor
Romani referas ſpolium memorabile monſtri.
Iam mihi,jam videor,captam Babylona videre,
Quæ ſeptem muro montes circumdedit uno:
Atque catenati fumantia Tybridis arva,
Et deturbatum Chriſti de ſede ſuperbum
Pontificem obtorto mergi ſub Tybride collo,
Inde cucullatos tundi per compita fratres.
Inque tuis te triſtis Iber mox ſentiat armis:
Funeſto qui nunc bello circumtonat orbem,
Nec,niſi cum veniet ultro ad tua lumina ſupplex,
Hiſpano pacem magno pro munere dones.
Fælix ſi per te quæ illuſerat hactenus orbi
Vana ſuperſtitio,verique ignara Tonantis,
Vis,furor,& fraudes,terras formidine ſolvant.
Et quæ jam miſeris ſolo ſunt cognita nobis
Nomine,

Nomine,ſi per te pietas,Aſtræa,fideſque,
Et reliqua antiqui revocentur Numina mundi.

Ad Sereniſſimum Britanniarum Principem Henricum, *è Scotia diſcedentem,Propempticon.*

MVlta rapit mentes hominũ admiratio, cum tot
Saxonidum vates in publica gaudia certent
Aonio doctas deducere monte ſorores,
Ecquæ noſtrates tam ſegnis inertia cepit,
Vt neque Pieridum ſacros tentare receſſus,
Artificeſve manus plectro componere curent.
An gelidus torpet circum præcordia ſanguis?
At non virginibus ſacris gens gratior ulla
Ante fuit,nec quæ Phœbo mage digna canebat.
An Muſas odere?& mens abſentibus omnis
Cum Dominis amiſſa abiit?fallaxque priorem
Cum vultu Fortuna fidem mentita novavit?
Scilicet,hinc hodie vatum alta ſilentia ſurgunt,
Dum ſua rapta ſibi taciti ſolatia lugent.
Ille hominum longè primus,quo vate Lepanti
Innumeris ſtratum eſt Turcarum cædibus æquor,
Qui prius aſſuerat validas in carmina vires
Sufficere,& noſtris animos accendere Muſis,
Immemor Arcadiæ veteris,gelidique Lycæi,
Deſeruit ſedes (ſic Dî voluere) priores.
Sic ſacer ille Helicon priſcis exaruit antris,
Et nos ſæva premunt manifeſtis numina cauſis.
Nec tantum Muſis,quantum ſervire dolori
Cogimur,& tenebris nigreſcere cuncta videmus.
Et miramur adhuc ſegnes in carmina Muſas?
Carmina cum tantum ex animo naſcantur amœno.
En nos hic alter Solis defectus obumbrat,
Iamque premunt gemina privatos luce tenebræ.
Ecce Caledoniæ decus,& ſpes altera gentis
Eripitur nobis,& nocte obnubimur atrâ.
Quo meriti hanc pœnam facto?quo Numine læſo?
Scilicet is labor eſt,ne te pulcherrime rerum
Quæ genuit tellus poſthæc præſente fruatur?
Teſtatur Divos,& cæli vota,relinquet

Non meritam. cur ſic oculo privetur utroque?
Saltem ſi qua manet propriæ tibi cura ſalutis,
Hos abitus prudens in idonea tempora differ.
Torrida jam regnant duo ſidera,Cancer aduſtus
Lætiferis aperit (viden) ut ſua brachia morbis?
Et ferus inſequitur rabioſo Syrius æſtu:
Et tenera eſt ætas,duriſque laboribus impar.
Nec mora parva nocet,annum non amplius unum
Poſcimus:accedat donec robuſtior ætas,
Dum doceat victos triſtis fortuna dolere.
Ardua res magnum ſubito deponere amorem.
Noſne fugis?patriæque ferunt te tædia ſedis?
Per lachrymas noſtras,per qui genuere parentes,
Si precibus locus eſt,nec adhucDeus obſtruit aures,
Parce fugæ,& dulces patriæ ne ſperne receſſus.
Hic etiam juvenes,qui curſu,atque alite planta,
Qui jaculo & lucta tecum contendere poſſunt.
Aut ſi delectent animoſa pericula, ſunt hîc
Qui tecum ſylvas cane multo,& luſtra ferarum
Inſidiis,curſuque,& longa indagine cingent.
Qui te per montes, quaque eſt via nulla,ſequentur
Venando,& valles tecum ſaltuſque fatigent.
Denique qui Muſis tecum communibus uti,
Et ſocias ſoliti diſcendo jungere curas.
Ocyor eſt curſus,quoties certatur,equorum,
Tum demum creſcit,quoties venit æmula virtus.
Quod ſi debuerant paribus nunc legibus ambæ
Invictæ gentes æterno fœdere jungi;
Dura rudimenta,& primordia ſenſimus hujus
Fœderis,haud hæc ex æquo conjunctio facta eſt,
Vicini ut teneant communia gaudia ſoli,
Nos miſeri in luctus tantum & lamenta relicti.
Si vultum ſaltem Domini communis utriſque
Invideant:adituſque ſacros,præſentiaque ora,
Et ſoli cupiunt partes tenuiſſe priores,
Debuerant nobis non invidiſſe ſecundas.
Ille oculus mundi,certo qui fœdere lucis,
Vndique cum terris immenſum purpurat æquor,
Vno eodemque Helicen anno gelidoſque Triones
Viſit,

Viſit,& hinc rurſus pluvios deflectit in Auſtros:
Æquus utrique polo, medium nec deſerit unquam
Certus iter, vergit quà obliquo Signifer axe:
Nec plus huic parti lucis,quam dividit illi,
Vitalemque pari metitur lance calorem.
Quod rectum,ex æquo Phœbus partitur utriſque.
Quod ſi juſſa premunt magni genitoris,& omnes
Eripuere moras,nec fas jam tendere contra,
At liceat lachrymis ſaltem veſtigia fuſis
Implere,& ſparſos abeunti exponere crines:
Et Domini memores oculis effundere fletus.
Non lachrymis vincet Veneri ploratus Adonis.
Sed lachrymis triſtes nuncquā ſaturantur amores.
Hæc ſaltē ad patrias defer non immemor aures:
Prima puer certo hic fixit veſtigia greſſu,
Palladis hic etiam ſtudiis operata juventa
Implevit veris ſpatioſum laudibus orbem.
Hic illum,poſtquam acceſſit maturior ætas,
Aonas in montes doctæ duxere Sorores,
Caſtalioſque ipſis latices de fontibus hauſit.
Hoc pro tot meritis unum patria alma repoſcit:
Viſere dignetur ſedes aliquando relictas.
Cum redit,& pluvios ubi primum liquerit Auſtros,
Cuncta revertenti occurrunt lætiſſima Phœbo.
Tu celeres reditus,nec inania tempora ſponde.
Nec quid ſi fallas patriæ pietate pericli eſt.
Ah miſeri!licuit toties quibus eſſe beatis,
Nec bona ſentimus,donec plangamus adempta.
Si tamen iſta neget duras dimittere in aures
Immemor,& ſævo mentem non mitior hoſte,
Si levibus ventis hæc,ut ludibria mandet,
Illius tu ſæpe vices pulcherrimus imple.
O deſiderium populi commune duobus,
Qui Superos formâ,formam virtutibus æquas,
Sceptrigeroſque omnes Reges natalibus ante-is.
O ſolo genitore minor,genitoris imago
Vivida,non ſpeculo reddetur certior ullo;
Vnius in vultu vultum cernemus utrumque:
Et patrius lucet manifeſto in ſanguine candor.

Anne tuas etiam obnubent oblivia curas?
Atque novis opibus,patriæ faſtidia trades?
Res timida eſt omnis miſer,& mutàtur in horas,
Facta metus fingit,fieri quæ poſſe putabit.
Multa tibi forſan,poſtquam perveneris illuc,
Quæ pronam in reditus poſſunt avertere mentem;
Non raro objicient,quam ſit tibi barbara tellus,
Aerii montes,nec cinctæ mœnibus urbes,
Incultæque domus,nec mores gentis amœni:
Vt quæ te genuit tellus,tibi ſordeat ultrò.
Omnia tu rapidis trade ut ludibria ventis.
Scilicet,an quæ vos tales,natumque patremque,
Tot quibus ingenuæ lucent in pectore gemmæ,
Protulit,hæc meritò dicetur barbara tellus?
Vtq; patrem taceam,quem nunc nova gloria pennis
Evehit auratis,magni per mœnia mundi,
Quis tibi vel puero paribus ſe conferat annis?
Exigat aut Latiæ ſi quis commercia linguæ,
Aut ſi Romanis pangatur epiſtola verbis,
Quis calamo melior,Latii quis doctior oris,
Sive tuos æquet,vel fors geminaverit annos?
Canities animi ut puero,ſic dulce loquendi
Pondus,& attonitas ſermo qui pertrahat aures.
Et quanquam arma annis etiam metuenda tenellis,
Indolis ipſa ſuæ vivacia ſemina fundit
Natura,& teneros generoſo in ſanguine mores.
Intrepidus ferri,gladios hoſtile micantes
Ambit,in armiſonæ metuenda Palladis ille
Ægide tractaret ſævos interritus angues.
Nemo manu melior,Martis ſimulachra ciere,
Sive Macedoniâ vibrabitur arte ſariſſa,
Seu gladios tractet,ſeu tela micantia ferro.
Spicula ſi jaciat,jures Chironis alumnum
Stare,omnes doctum feriendi cominus artes.
O quoties,& quot flagrabant pectora votis,
Optatas audire tubas,& fulmina belli,
Quæ vomit in muros violenti machina Martis.
Credo equidẽ, nec vana fides,jam Mulciber enſem
Præparat,& multa ſudans incude laborat,
Feſtinat

Feſtinat galeam Brontes,thoraca Pyracmon;
Et Steropes clypeum,magni geſtamen Achillis.
Scilicet ut celſi vigor eſt digniſſimus oris,
Maſque animus,ſæviſque ferox fiducia in armis,
Signa aliquando Ducem ſpōdent hæc certa futurū.
Vt quoties coget violenti injuria Martis,
Vindicibus pœnis juſtas exſurgere in iras,
Falce nova meſſor denſas ut ſternit ariſtas;
Talis in adverſos iratus fulminet hoſtes.
Hæcne,rogo,magnæ cæleſtia ſemina mentis,
Hos animos uſquam producet barbara tellus?
At Cereris (dicent) parca, atque inimica colono,
Nec pecori grata eſt,nec quæ Mileſia fundat
Vellera,nec fulvis tellus generoſa metallis.
Quod ſi divitiis certent,concedimus ultrò.
Non hominum mentes opibus,curæve levantur,
Nemo opibus factus melior,ſub paupere tecto
Reges,& Regum licuit præcurrere amicos.
Sunt & opes nobis, nec adhuc nos pœnitet harum.
Luxus abeſt,abſitque diu. Fœcunda virorum
Credita paupertas. non defenſura calorem
Aurea compeſcunt rapidos umbracula Soles,
Quæque viæ ſolitæ rhedæ mollire labores ,
Officiumque pedum ſubjecto explere cubili.
Luxus inops hominū eſt, dum toto accerſitur orbe,
Quo gens quæq; perit,venienſq;per æquora victus,
Et nimia humanas oblimat copia mentes.
Terra ſuis contenta bonis, Cereriſque benigna eſt,
Et pecoris dives nivei,licet undique montes
Aerei occurrant,quorum declivia noſtri
Vomere ſollicitant, atq; horum aſperrima paſcunt,
Non pars humano molleſcere neſcia cultu,
Et fulvis quacunque patet fœcunda metallis.
Pectora ſunt Latiis,Grajiſque habitata Camœnis.
Hic ſeges illa virum denſiſſima ſurgit in annos,
Et nova ſuccreſcit ſoboles rediviva priori.
Hæc res victores,& Martis in arce locatos
Attonitos novitate mali, dubioſque futuri,
Fregerat Edwardos,patrem,natum, atq; nepotem:

Quos tantis Gallorum aluit Bellona triumphis,
Cum furerent in nos armis,& Marte ſecundo
Innumeras ſecum traherent in prælia gentes.
Sed gravidam bellis terram contendere contra,
Et genus immortale hominum oppugnare videbant.
Nec tantum una acie fundi potuiſſe cruoris;
Quin totidē examen juvenum, qui proximus annus
Sufficeret,totidemque manus in bella paratas,
Crediderant Cadmi Dircæis vomere in arvis
Tot ſubitas acies fœta tellure renatas,
Myrmidonaſve ſatos,aut Colchidos arte veneni,
Vipereos dentes,gravidis ſoboleſcere in agris:
Armiferi veluti florerent milite ſulci,
Et ſeges in proprium jam ſtringeret arma colonū.
Sic prius innumeris redivivam mortibus hydram,
Fœcundamque ſuis damnis,creviſſe dolebat
Amphitryoniades,geminaſque reſumere vires,
Tanquam animos,& opes ferro duxiſſet ab ipſo.
Nempe erat in fatis,non duri pulvere Martis
Iungendas olim has,ſed amico fœdere gentes.
At tu fœlici qui natus ſydere utriſque es,
Hic aliove loco,teneris adoleveris annis,
Si tibi ſit benè,ſi valeas,utcunque feremus,
Si cures,ne te tua ſola Britannia noſcat:
Si tibi quod ſanguis,quod ſpes,quod publica vota
Imperium ſpondent,meruiſſe videbere cunctis.
Scin' regnanda Iovi cur celſa palatia cæli
A Gange ad Gades totus tranſcripſerit orbis?
Quem tamen exiguo clauſit Minoia Crete
Imperio,& parva morientem condidit urna.
Sola illi tribuit terras & ſydera virtus,
Sceptraque tum ſoli fuerant virtutis honores.
Sola etenim virtus verum dat in omnia regnum.
Non parit hanc molli ſurgens ignavia lecto,
Nec quæ corrumpit generoſas copia mentes.
Sed tu,qua virtus tua te vocat,alite penna
Carpe iter,& magnis enitere in ardua pennis,
Dumque ætas tenera eſt, Virtutis templa tenella
Incipias pulſare manu:fax mentis honeſtæ,

Gloria,

Gloria, (ſi facilis monitis aſſueſcere poſſis)
Ducet eo,& famæ tandem te ſiſtet in arce.
Interea duro nervos aſſueſce labori,
Et tenerum pectus tolerando præſtrue Marti:
Vtque tibi crudo ſolidæ ſtent robore vires;
Sub gelido incipias vigiles Iove ducere noctes,
Ferre famem docilis, facilique avertere victu,
Venando montes,fluvios ſuperare natando,
Delibaſſe cibos raptis contentus in armis:
Fama etenim nulli multo ſine pulvere venit.
Sed,dum prima novis adoleſcit moribus ætas,
Curandum,ne te ſecura frangat in aula
Luxus adumbrati faciem mercatus honoris:
Ingratum luxus famæ,atque ignobile nomen.
Vt trahit arcano ferrum Magneſia cautes
Imperio,teneras ſic rerum copia mentes
Faſcinat,& vero longè disjungit honeſto.
Ante oculos verſes Titanidos atria Circes,
Obſcœnis ululata lupis,latrata Moloſſis,
Vtque ſuum ſuibus,vel ſi quid turpius uſquam eſt,
Induat in vultus homines ignava voluptas.
Talia luxus iners nobis monumenta reliquit.
Fac tecum ſemper Muſæ tua cura ſeneſcant,
Nec pigeat prima coluiſſe Helicona juventa.
Rarus erit, quē fama vetus,quē charta loquuta eſt,
Quem puerum doctæ non limavere Sorores.
Alcides,clarum fama per ſæcula nomen,
Dum juvenis,poſitis clava,ſpolioque leonis
Sideraque & cœli motus,Atlante magiſtro,
Et quibus hic totus compagibus hæreat orbis,
Hauſerat,& multa fertur maduiſſe Minerva.
Non unquam illius vitia allatrantia mentem
Quaſſarunt,corpuſve acres vicere labores,
Sed vitæ placuit tum nobilioris imago.
Pene puer doctus curſu prævertere nimbos,
Et ſoles,imbreſque pati,contemnere frigus.
Præda cibum dederat, ſolituſque in montibus altis
Venando pharetræ pondus conſumere in arcus.
Non ſe deſidiæ aſſueſcens dapibuſve paratis,

Aut pigra reſides ſponda deponere curas.
Non corpus,non mens ulli ceſſura labori.
Gratius eſt quicquid duro ſudore paratur.
Ille Agamemnonio bello metuendus Achilles,
Dum puer Æmonii fertur Chironis in antro,
Quid deceat,quid nõ,quid fas didiciſſe,quid æquũ,
Semiferique ſequi facilis præcepta docentis,
Sive lyræ cantus,medicas ſeu traderet artes,
Sæpe etiam tetrici correptus voce magiſtri
Horrebat,nubem frontis veneratus,& illam
Invictam dextram,qua maximus occidit Hector;
Subduxit nuncquam ferulæ,ſubmittere juſſus.
At poſtquam virtus annis adoleverat,idem
Mæonio in laudes ſolus ſuffecit Homero.
Pellæi juvenis primos formaverat annos
Magnus Ariſtoteles, facibuſque ardentibus omnem
Accendit juvenem,& generoſo implevit honeſto,
Quid fas quidq; nefas, quò virtus,quò ferat error,
Quo ducit molli nutrita ignavia lecto,
Tradidit,inſtillans teneris meditanda ſub annis;
Longè illi,digitos vivis incendere gemmis,
Longè illi,Phrygia pictæ muliebriter arte
Veſtis odoratæ ſtudium,doctuſque profundi
In nemoris dorſo fugientes carpere ſomnos.
Non minus omne illud,quod Sol utrinq; recurrens
Aſpicit imperium,potuit meruiſſe videri.
Maluit ille armis,poſtquam corruptior ætas
Perſuaſit, patrios opibus ſubmittere mores,
Tum ſacræ virtutis honos emarcuit,iræ
Dum nunc præda ſuæ eſt,nunc blãda præda Lyæo,
Ebrius imperium tandem cum luce reliquit,
Et Macedûm retro ſublapſa potentia ceſſit.
Scipiades,Lybicæ victor qui nomina gentis
Induit,Aoniis conjunxerat artibus arma:
Sive manu valida Pœnum proſterneret hoſtem;
Sive triumphanti aſcendit Capitolia curru,
Ennius hærebat lateri comes unus,& acri
Accendit juvenem famæ venientis amore.
Subdidit ille ultrò ſtimulos,blandumque venenum
De-

Deſidiæ ex animo,& curas avertit inertes.
Illum haud dedecuit veſtis neglectior uſus,
Non faciles epulæ menſis,non maſculus horror.
Gratior eſt multo quæ fama labore parata eſt.
Cæſar ut incertum Muſiſne an clarior armis,
Sic certum eſt,ut in his fuerat,ſic primus in illis,
Culmē utrumq; tenens, teneris tamē ille ſub annis
Fingenda Aoniis ſubmiſit pectora Muſis.
Interea addiſcens,quæ fælix area Marti,
Quis locus inſidiis,aciebus idoneus eſſet,
Quis caſtris,quando faciendæ copia pugnæ;
Sobrius acceſſit,quicquid ſuſcepit agendum.
At niſi ſe primo ſtudiis melioribus ævo
Ornaſſet,Latio Dominas in honore ſorores
Non ſeptemgeminus Nilus,non Rhenus & Iſter,
Non Ganges, non occiduus ſenſiſſet Iberus,
Nec foret ullum hodie tanto de Cæſare nomen,
Ille licet Solis famam jam terminet aſtris.
Cætera Cæſareæ nec pace nec utilis armis
Pene domus ſeries,dum laxat in otia curas,
Ingratum terris nomen cæloque reliquit,
Imperiumque tenens curarum ignara voluptas,
Et magnæ nil laudis agens,ſubſidere cœpit;
Pondera Trajanus donec ruitura ſubiſſet,
Plutarchi inſtructus monitis,curaque fideli,
Et priſci Auſoniis ſub eo rediere triumphi.
Ille alta invectus cæſis Capitolia Dacis,
Vindicibus ſternens Parthos fortiſſimus armis,
Vt Romana foret,fecit,provincia,Tygris:
Et domito adjecit quicquid tum defuit orbi.
Quod ſi exēpla placent,vitæq; imitamina magnę
Sunt cognata tibi,atque æternæ nomina famæ,
Quoſq; imitere domi,occurrent Regeſq; Duceſq;,
Quos legere,& quæ ſit poteris cognoſcere virtus,
Hinc pete,dum primi ſurgunt tibi leniter anni,
Quos fugias prudens,& quos virtute ſequaris,
Et magna accendat proavorum gloria mentem.
Tempora ſollicitos ſpondent ventura labores,
Nec pigro licet eſſe tibi,ſudavit & alſit

Non ſemel, in ſumma famæ qui conſtitit arce.
Per ſalebras iter eſt, via quæ fert invia, multi
Anfractus, variis fallens ambagibus error,
Longa catenatis ducit via ſecta periclis,
Difficiles aditus, dextra lævaque labores,
Tædia, & inſomnes poſuere cubilia curæ.
Ne facili credas palmam ſudore parandam,
Cum gravia incumbent oneroſi pondera regni,
Cum rerum commiſſus apex. Surgentibus annis
Præcipuè cures, moles quid publica poſcat,
Quidque humili proſit meditando exquirere plebi,
Quæ furiare ſolent, ſævaſque accendere in iras.
Area virtutis longè eſt clariſſima Regi,
Commoda ſi curet populi, vitetque quod obſit.
Quid valeant humeri, ut verſet, quid ferre recuſent,
Ne gravior, ne forte ſuis oneroſior æquo,
Nā benè fert, ſua qui prudens benè pondera librat.
Sancta fides verbis, nec pervia pectora fraudi,
Nec veniæ durus, (ſuberit ſi cauſa) nec ulli
Difficilis, niſi qui ſceleris ſibi fecerit uſum.
Infirmum imperium eſt, quod nō clementia firmat.
Non avidas falſis præbe rumoribus aures,
Non facilem inveniat delator perfidus aulam.
Inde parens odii ſurgit metus, exitiale
Sæpè malum, & cuſtos regnorum peſſimus idem,
Quippe tot ut metuas, à quot metuere neceſſe eſt.
Nec metuet, quiſquis de ſe benè ſenſerit unquam.
Sed melius longè rerum moderabere habenas
Exemplo, quam vel vinclis, vel legibus ullis,
Si Dominus potes eſſe tui, tibi regula vitæ,
Si docti valeant legem ſibi dicere mores.
Iratus ſi forte, aut ſi juvenile calebis,
Conſilio tum fac tua ſtet minor ira fideli.
Sic Domini populus ſe moribus induet ultrò,
Spectabunt in te, quid fas, quid dedecet uno.
Tum ſine faſce pudor populū, ſine vindice honeſtū
Diriget, & vitæ referet melioris in uſus.
Ipſe tui judex incorruptiſſimus à te
Exigere haud ceſſes, humili quæ in plebe requiris.
Et

Et juſſos aliis primus decurre labores.
Peccandi ſtudium tollat permiſſa poteſtas,
Et ſceleri nuncquam imperii prætenderis umbrã:
Sed tabulas ſemper meritorum crede fideles
Eſſe hominum mentes,& conſcia pectora veri.
Hæc quoties cernent gentes ubicunque remotæ,
Sponte tuum imperium & nullo cogente ſubibunt.
Sola etenim virtus cunctis violentior armis.
Prima tamen (nec te pigeat) ſit cura fovere
Præcones verbi divina voce tonantes,
Quique arcana Dei populo mandata recludunt,
Vt nec inops virtus tibi ſit,nec inertia dives:
Et vera incipias laudem pietate mereri.
Sic bonus ille Deûm genitor,flammantia cæli
Templa colens,terras qui fecit,& æquora, faxit
Invidiæ ut fines major virtute relinquas:
Vt priſcæ titulos poſſis tranſcendere famæ,
Vatibus in laudes ut ſis ſatis omnibus unus,
Regnaque ſubjicias meritis tibi maxima ſolis:
Et famulas ubicunque manus ſubmittere cogos,
Sitque aſſueta tuis ſemper victoria caſtris.
Vt neque ter Pyliæ ſuperes ſi tempora vitæ,
Vel pacis te unquam,vel belli tædia carpant:
Sed te omnes vivæ ut ſpeciem virtutis adorent.

Sereniſſimi & Invictiſsimi Principis Iacobi *Britannia-rum & Galliarum Regis* Στεφανοφόρεια.

SIc erat in fatis,& vatum oracla canebant,
Conjuge de Franca genitũ,& de ſanguine Bruſi,
Sed non ante gradum,nono qui proximus eſſet,
Venturum,cui ſe formoſa Britannia ſubdet,
Qua circumfuſo Oceani compeſcitur æſtu.
Multi hæc,ceu dubii vatum præſagia caſus
Vana putant,forteſque omnes ambage maligna
Deberi Æoliis tanquam ludibria ventis,
Cum nulli fas ſit fatorum evolvere leges:
Aſt alii haud incerta ferunt documenta futurĩ
Prodere poſſe pios arcano numine vates.
Scilicet,humanos poſtquam furor entheus omnes

Expulerit ſenſus, vatum ſuper æthera tollit
Pectora, & æternæ reddit patientia lucis.
Hinc fati mens illa capax, ſolerſque futuri:
Nec pater umbrarum, mundique noviſſimus hæres,
Creditur antiquis venturi neſcius ævi.
Et vivunt hodie Cumææ carmina vatis,
A priſcis laudata fatis. ſic providus æther
Scire homines voluit, magnos nil fallere Divos,
Et neſcire tamen, ſupera quid agatur in arce,
Sed ventura Deus multa caligine merſit,
Et fatum voluit craſſa ſub nube latere.
Ipſe incertus agor, quo me duce, quo lare tuter,
Et tamen, ut verum fatear, non vatibus omnem
Poſſe fidem tolli, docuit ſæpè exitus ingens.
En, quæ Cimmeriis latuit damnata tenebris,
Oracli quæſita fides, nunc luce recluſa eſt,
Eventu manifeſta ſuo. Pulcherrima conjunx
Liligeri Regis natum eſt enixa, potentis
Imperii hæredem, decimumque ab origine Bruſi,
Quique hodie regni fines extendit in æquor,
Quo ceu nativo munita Britannia vallo eſt.
Sic ſeſe tandem longis anfractibus ævi
Evolvunt, panduntque ſuo ſe tempore fata:
Non ſecus ac Phrygiis ludens Mæander in arvis,
Itque reditque ſuos toties revolutus in ortus,
Ambiguuſque viæ, nunc huc, nunc flectitur illuc,
Dum variis tandem feſſas erroribus undas
In mare provolvens, pelago decurrat aperto.
Proxime Dîs Princeps, cujus cũ nomine virtus,
Cum meritis pietas totum ſpectata per orbem:
Cujus in aſpectu probitas, in pectore candor
Scribitur, & lætos diffundunt lumina honores:
Ingredere, & votis hominum, fatiſque Deorum
Lætus ini ſolium, tibi debita ſceptra capeſcens.
Fortunæ majoris honos non contigit ulli,
Scilicet ut per te, nunc ferrea deſinat ætas,
Alternis odiis, furiiſque immanibus acta,
Aurea ſuccedat, nullis obnoxia ſæclis.
Sat ſuper imperio certatum eſt hactenus armis,
Nunc

Nunc utriuſque ſalus populi dum pendet ab uno,
Qui ſocias junxit, ſe fœderis obſide, dextras;
Certandum officiis, meritis, pietate, fideque,
Iungat inabrupto nos ut concordia vinclo.
Quæ ſtudia & veri certa argumenta favoris
Præbuerant, quanto flammati pectora motu
Magnanimi Anglorum proceres, (Rex optime) nulli
Quam tibi cognitius. Dominæ poſt fata prioris,
(Quam fragili nuper Parcæ ſolvere ſenecta,
Poſtquam indignantes ſub jura redegit Hibernos,
Et numerum fælix cæleſtum his menſibus auxit)
Tu tanquam populi votis aptiſſimus unus,
Cunctorum es ſtudiis ad publica ſceptra vocatus.
Nempe ſalus per te populis inopina refulſit,
Publica mox lætas caluerunt vota per urbes,
Virgine mutatæ Phœbæa ubicunque cupreſſi,
Accenſi proceres cura properante volabant,
Quis ſceptri primos tibi grataretur honores.
Non equiti ſonipes cunctas mutatus in horas
Suffecit, nec equûm rapidis calcaribus armi.
At tu feſtinus nimium, nimiumque tuorum,
Securuſque tui, penè incomitatus abibas.
Non lachrymæ, triſteſq; preces, nõ vota morantur,
Non ſi quid charum eſt homini. Te flebile planxit
Conſcius ille tui quondam Bodotria partus:
Glottaque, & electro qui purior æquora lambit
Taus, & ille canum tibi tot latratibus actus
Levinus. vitreis te Spea argenteus undis,
Te fontes abeuntem omnes flevere, lacuſque.
Signabat gemini limes divortia regni,
Pene ſui juris, famulæque oblitus habenæ
Tueda amnis, nuncquam qui ripæ utriuſq; priorem
Rectorem ante tulit, blandas tunc mitior undas
Extulit, ut Domino properanti occurrere poſſit:
Et poſtquã ambroſiæ eſt admiſſus ad oſcula dextrę,
(Sed ſupplex genibuſque minor) juravit in omne
Obſequium, quacunque vagas poſt flecteret undas,
Aſtreæque ſuos juſſus ſubmittere fluctus
Paruit, & leges venturum accepit in ævum.

Mox ſua nativo repetens ſub pumice tecta
Lætior,& vincta redimitus arundine crines,
Excit amatrices vitreo de gurgite Nymphas:
Et ſimul,ô natæ (ſi quid mihi creditis) inquit,
Ludereque,& feſtis licet indulgere choreis:
Et nihil eſt nobis poſt hæc hoſtile timendum,
Nocturnique omnes Fauni,Satyrique ſalaces,
Quique alii veſtro inſidias ſtruxere pudori,
Præcipiti ad Belgas fugere per æquora curſu.
Nunc , licet ut tuta hic armenta utrinq; pererrent:
Securi geminæ pecudes ad paſcua ripæ
Vicini invitent,genitrix Aſtræa quietis
Hic ſenium & ſenii ſanctam ſibi deſtinat aulam.
Ipſe mihi hic celſas operoſis molibus ædes
Molior,hic procerum turrita palatia ſurgent:
Hic liquidi fontes,hic gramine roſcida prata,
Lanigerique gregis geminus bibit ubera fœtus:
HicCereris fœcundus ager,nec amœnior uſquā eſt,
Aut ubi cæleſtis poſthæc reverentia juris
Plus poterit,poteritve minus violentia triſtis.
At tu Parthorum miſſa poſt terga ſagitta
Ocyor,ut Tuedam,& campos,ubi ſæva jugales
Flectere ſanguineo ſolita eſt Bellona flagello,
Liquiſti;optatis tandem conſiſtis in arvis.
Vt patuit manifeſta fides,liquere penates
Quiſque ſuos,rapienda volant ad gaudia cuncti
Præcipites.credas Hyblæa examina fundi
In cellas abitura novas,ſic undique nimbos
Pulveris attollunt,ſtudio properante videndi.
Non anni tenuere ſenes (dant gaudia vires)
Et ſpreto accurrunt matreſque nuruſque pudore,
Dilecto ut Domini ſatiarent lumina vultu.
Vt videre,novo ſaliebant viſcera motu,
Inque tua omnigenas aptant præconia voces,
Et celſa arcanis penetrantes ſydera votis,
Pars fauſtum fælixque novum diadema precantur,
Pars tibi,pars natis,Pylii ter Neſtoris annos,
Doctaque Phryxeo de vellere tempora regni.
Omnis veris honos,& odori gloria prati

Texit

Texit iter,violiſque viæ,ſertiſque virebant:
Et ne luminibus venientem forte noceret,
Plurimus effuſis pulvis compeſcitur undis,
Tanta tibi ut placeant populos tum cura tenebat.
Ventum ad turritas operoſis mœnibus urbes,
Clauſtraque portarum foribus ſolidata ſuperbis.
Hic poteras vitæ fructus ſenſiſſe prioris:
Inſcriptus portis urbis,quamcunque ſubibas,
Dulcis amor populi, fauſtumque adjungitur omen,
Implicito ex hedera radians Victoria ſerto.
Effuſi occurrunt paſſim per compita cives:
Pars patulis ineunt ſublimia tecta feneſtris,
Inde ut inexpleto venientem lumine ſpectent,
Eque tuo dulci delibent gaudia vultu.
Inter odoratas lauros,violaſque recentes,
Tantum iter eſt,cum tu medias vehercre per urbes,
Nec minor hoſpitiis luxus,quocunque receptus,
Attalico latè ſplendebant omnia cultu,
Et comites inter Bacchus geminatur in auro.
Plurima Erythræis fulgebant pocula baccis.
Inde ſuperſtrato quoties diſcumbitur oſtro,
Et dederant menſæ alloquio tempuſque locumque,
Hic gravia attonitus ſtupet ore cadentia verba,
Et juvenem Pyliæ ſuperantem mella ſenectæ,
Compoſitos alius mores,formamque decoram,
Æthereęque omnes cæleſtia pondera mentis.
Nec non dona ferunt,quæ cuique eſt copia rerum,
Hic ſolido craſſos auro crateras,& ille
Alipedes ducebat equos,oſtroque decoros:
Tertius Eoo collectas æquore gemmas.
Talis erat populi facies,his læta fremebat
Quæque ætas ſtudiis,& tantæ in munere laudis
Publica cum vero manifeſtant gaudia amore.
Macte animi, populique tui,procerumq; favore,
Dî ſuperi faciant,in ſæcula cuncta fruaris,
Sic tamen ut cunctis etiam videare mereri,
Vtque pater patriæ longo memoreris in ævo.
Non,vigil & pernox ſi te cuſtodia cingat,
Aut centum ærati vectes,& ahenea claudant
Robora,

Robora,ſecuros ſine ſollicitudine ſomnos
Præſtiterint,quam ſi populi valleris amore
Perpetuo. Invitis nemo unquam extorſit amari,
Sed meritis favor,& ſola virtute paratur.
Apparent jam celſa procul venientibus urbis
Mœnia,Dardaniæ quæ nunc ſubit æmula Romæ:
Ipſa etiam primis nova Troja eſt dicta ſub annis:
Sed quia diſplicuit fatumque omenque prioris;
Maluit à magno deducere nomina Luddo.
Iamque aderant tantæ lecti de civibus urbis
Quingenti,Tyrio fulgentes murice & oſtro,
Sublimes in equis,phaleriſque nitentibus omnes,
Omnibus obtorti per collum circulus auri,
Gratanturque novi Domino primordia regni:
Vtque ſui ingreſſus non dedignetur honore,
Quos longo ſciret præcordia tendere voto,
Supplice voce rogant,neque enim jucundius unquã
Tyndaridum ſidus puppi illuxiſſe ferebant,
Quam ferus hyberno bacchatus in æquore turbo
Oppugnat,ventique ſimul tranſverſa ferentes,
Vicinam exitio jam Dîs votiſque relinquunt:
Nec tam dulce jubar Phœbi ſurgentis Eoo
Cardine,cum tenebras radiis diſſolvit inertes,
Et roſea obſcuras illuſtrat lampade terras:
Quam Domini (ajebant) vultus jucundus amati eſt.
Ille graves in amore moras quaſcunque ſciebat,
Nec majore premi mortales poſſe labore,
Quam cum ſpes lenta eſt,& voto ſerior omni.
Sic facilis priſcos urbi largitur honores,
Indicitque diem,capitis quo inſigne ſuperbum,
Imperiique ſimul caperet diadema Britanni.
Ilicet accenſi ſtudiis properantibus omnes,
Anxia in aſſiduas extendunt pectora curas.
Dividitur vulgus ſtudiis,operumque labore.
Ante fores urbis pompæ inſtrumenta futuræ
Multa parabantur,variiſque inſtructa columnis
Compita,porticibuſque novis laqueata nitebant
Mœnia,& innumeris ſurgebant tecta theatris.
Iamque triumphales,per quos incederet,arcus
Erecti,

Erecti,& variis fulgentia pegmata formis,
Quæque homini tanta ſperare licebat in urbe.
Arſacidum nunquam tam magno regia faſtu
Intumuit,non ſic Pharii regina Canopi
Auſonios in tecta Duces Cleopatra recepit.
Sed nulla in terris ſolida & ſincera voluptas,
Inque vices miſto turbantur gaudia luctu.
Exierat furvis Alecto infauſta tenebris,
Bella ſinu,peſtemque ferens.Dum circinat orbem,
Hectoreæ tandem ad ſedem pervenerat urbis,
Aſpicit egregias operoſis molibus ædes,
Quæque Semiramiis certabant tecta theatris,
Nec cohibet luctus, quia nil lugubre videbat:
Mox ubi cuncta novis vidit fervere triumphis,
Obliqua invidia,& ſtimulis flammata doloris,
Erigit infernos capitis pro crinibus angues,
Et quaſſans caput obſcura ferrugine tectum:
Hos ego mox triſti mutabo dolore triumphos,
Et noſtri (ajebat) faciam monumenta trophæi.
Tum ſævæ è gremio diffudit ſemina peſtis.
Principio ſenſim,nec quam cognoſcere poſſis,
Irrepens cives depaſcitur arida febris,
Igneaque in venis agitur ſitis,atraque tabes
Membra minutatim morbo collapſa trahebat:
Ingreſſuſque oculos condit ſtupor altus inertes,
Et cadit in terram devexo pondere cervix.
Et jam letiferas vires cumularat eundo,
Atque una involvens vulgus graſſante ruina,
Lurida per cunctos ſerpit contagio cives:
Funus ubique frequens, & plurima mortis imago.
Sed metuens Domini nunquam improvida virtus,
Ne populi attactu crudeſceret arida tabes,
Imperat,ut cœpti ſileant ubicunque triumphi.
Ac veluti cautus ſublimi in puppe magiſter
Surgentes longe ſpectans in nubibus Euros,
Humida venturæ ſubducit vela procellæ.
Tantorum immenſi ſumptus periere laborum,
Sed voluiſſe ſat eſt,pro facto eſt ſæpe voluntas.
Nec minus (ô urbes inter clariſſima cunctas)
Grata

Grata tuæ Domino fuerat pietatis imago,
Quam ſi, purpurea procerum ſtipante corona,
Aureus, & fulgens ſtellantibus undique gemmis,
Quadrijugo curru & lectis candore nivali
Vectus equis, populoq; vias plaudente per omnes,
Intraſſet vacuam nondum tot civibus urbem,
Romanos quo more Duces ad templa Deorum
Confecto ſoliti bello vexiſſe triumphi.
Hæc tibi pro tanta interea pietate precamur,
Molliat hanc ſubito cæli clementia tabem,
Nec te, neve tuas unquam reditura laceſſat,
Nec muros pulſet violenti machina belli,
Non te tortilibus vibrata phalarica nervis,
Martia non dulces rumpant tibi claſſica ſomnos,
Sed pax te niveis ſemper complexa lacertis,
Accumulet cunctas multa tibi merce tabernas,
Plena tibi ſalvæ referant compendia puppes,
Meſſe ſua te Arabes, te gemmis India ditet,
Vellere te molli quod tondent ſtipite Seres,
Et nullum ſulces quod non tibi ſerviat æquor.
Sed quæ communi rerum conjuncta ſaluti
Vota hominum, fruſtrata diu, populumque patreſq;
Non longas valuere moras, non tædia ferre.
Iam, quas Romanæ ſtruxit Pater impius aulæ,
Inſidiæ & fraudes, quibus hunc avertere terris
Inſtituit Solem, manifeſta luce retectæ.
Ipſe dies aderat Parcarum conditus albo,
Vellereque & niveo ſignandus marmore ſemper,
Quo capitis decus & regni diadema Britanni
Acciperet communis amor cœlique ſolique:
Ocyor exſurgens quam cæli poſceret ordo
Phœbus, ab Eoo patefecit cardine portas,
Et præ ſe noctem ſolito properantior urgens,
Cuncta repurgato deterſit nubila cælo,
Atque invita novæ ceſſerunt ſidera luci.
Ipſe pater, quo jam cuſtode Britannia tuta eſt,
Oceanus curru bipedum ſublimis equorum
In tua, ſed primus, juravit verba, tuumque
Obſequium, famulaſque ſuas devoverat undas.
Necnon

Necnon & volucri vectus per inania curru
Iuppiter, ut rabiem canis,æſtiferique Leonis
Molliret,grato deſcendit plurimus imbre.
At Thameſis blando teſtatus gaudia fluctu,
Mitis & in morem ſtagni ſe ſtravit opaci,
Et tumidas placidus per noctem leniit undas,
Vt remis omne,& ratibus luctamen abeſſet.
Ipſe humeros latos innato murice tectus,
Implicuit vinctis pellucida cornua ſertis
Lætus,& attonito ſimilis ſuper hoſpite tanto.
Accepit Dominum juxta pulcherrima conjux,
Numinibus votiſque vacans,& dulce mariti
Tormentum,pulchri proſcindit fluminis undas,
Innumeræ circum, ſupraque infraque carinæ
Cærula findebant,latuit ſub puppibus æquor.
Interea inſigni comitum cingente corona
Puppibus expoſitus,vultuque immotus eodem,
Fortuna creſcente licet,trahere omnia ſecum
Lumina ſpectantum vultus eſt viſus honore,
Et tendit greſſus operoſi ad limina templi,
Hic ubi magnanimi ſolium conſcendere Reges
Saxonidum ſoliti,capitiſque inſigne ſuperbum
Induere,& regni primos attollere faſces.
Dum graditur toto manifeſtus in agmine ſupra eſt,
Et populi tacitum pertentant gaudia pectus,
Et vivæ in Domino ſpeciem virtutis adorant.
Quid primū mediumve ferā? quæve ultima feſſum
Accipiet me meta?ſequi ſi ſingula pergam
Deterere ingenii vitio tunc cuncta videbor.
Non mihi Mæonii calami ſi gloria detur,
Innumeras valeam ſpecies,cultuſque locorum
Pieriis æquare modis,nec carmine quovis
Expediam,cui major honos,aut gloria veſtis,
Tot proceres auro effulgent,gemmiſque decori:
Summa tamen breviter repetam faſtigia rerum.
Qua graditur veſtibat honos,iter omne tapetes
Spectantum variis fallebant lumina formis.
At poſtquam ſummi ventum ad penetralia templi,
Ceu reliqua tum nulla forent miracula,in urbe

Arſacio latè fulgebant omnia luxu.
Ipſa manu viſa eſt templum inſtruxiſſe Voluptas.
Robora Dalmatico ſtabant ſatiata metallo,
Diverſis Numidum faſtigia nixa columnis,
Et craſſo latè laquearia fulta metallo:
Arte laboratæ veſtes auroque decoræ,
Lydia Sydonio quas ars intexerat oſtro,
Vndique pendebant,prohibet me plura referre,
Qui mihi tum attonitos fulgor perſtrinxit ocellos.
Singula diſtinxit rerum pulcherrimus ordo.
At Rex,ut primum fatali marmore ſedit,
Ceu populis cælo dimiſſum lumen ab alto;
Illius ecce humeros, pectuſque,manuſque,pedeſq;
Vnxit odorato præſul Dorobernus olivo,
Præſul honorato virtutum nomine notus
A Calpe latè ſpatiantis ad oſtia Gangis:
Nempe omnes Sophiæ, & fandi doctiſſimus artes,
Induit & trabeam,magni velamen honoris:
Pontifices reliqui,& proceres lõgo ordine ducunt,
Siſtentes ſacris (ut mos)ſolenniter aris.
Rex primũ hic ſummũ ſolita prece Numen amicat,
Poſthæc conceptis juravit fœdera verbis,
Et populi æternæ ſe (cælo teſte) ſaluti
Deſpondit. vultu ingenuum prodente pudorem.
Verba præit,velut antè,idem Dorobernus,& ore
Facundo ſceptri leges,ſacræque coronæ
Explicat,& quid Rex populo,populuſque viciſſim
Quid Regi,& ſoboli,in venientes debeat annos,
Quid jurata fides Domino,poſcebat utrumque.
Tum capiti gravidam baccis,gemmiſque coronam,
Et dextræ ſceptrum populis fatale regendis
Imponit,fauſtumque illi fælixque precatur
Imperium,& longi gratiſſima tempora regni.
Purpurea proceres fulgentes veſte,corollis
Inſignes,tangunt dextra diadema,fidemque
Iurantes,ſacræ delibant oſcula dextræ.
Quiſquis adeſt bona verba refert,ſtudiiſq;precantũ
Accenſus,variis reſonat clamoribus æther.
Inde pares ſociæ thalami repetuntur honores.
Lætitiæ

Lætitiæ indicibus,lucebant compita flammis,
Fulminibus crebris Stygii Iovis aula tonabat,
Læta coronati celebrant convivia cives.
Et quanquam infeſti urgerent contagia morbi
Vndique,triſtities tota tamen exulat urbe.
Iam ſceptro inſignis,capitis jam celſus honore es,
Spemq; facis,nulli hæc concredita dignius unquã.
Non aliud Regis ſceptro conjuncta corona eſt,
Summa niſi ſummæ virtuti innixa poteſtas,
Imperium ſceptro,virtus ſignata corona eſt.
Aurea nunc,olim de ſylvis ſceptra cadebant,
Et manibus Regum à priſcis geſtanda dabantur,
Vt ſceptro erigerẽt humiles,premerentq;ſuperbos;
Vt pretii & pœnæ certo moderamine Princeps
In populo regnet,ceu jure armata poteſtas:
Vindice juſtitiam quo nemo impunè laceſſat.
Quæque hodie fulget ſtellantibus obſita gemmis,
Præbuit hanc priſcis gramen, quercuſq; coronam:
Laurea mox Ducibus bello conceſſa peracto,
Velatique ſuos Phœbæa virgine crines,
Scandebunt merito Capitolia celſa triumpho.
Vt crevit virtus,ſic creverat illa priorum
Materies,quæ nunc gemmis inſignis & auro eſt,
Non alios priſci norant virtutis honores,
Virtutiſque fuit tantùm cenſura,corona.
Sic ſceptrum Imperii in ſignum regale dabatur
Non alii,quam qui ſumma virtutis in arce
Conſtiterat meritis princeps,qui fœdere certo
Et premere,& laxas ſciret permittere habenas.
Scilicet his veteres voluerunt prodere ſignis,
Quid populo Reges debeant,quo fœdere vincti
Primi homines coiere uno ſub Principe,& omne
Regibus in ſeſe imperium tribuere volentes.
Nempe ut juſtitiæ Princeps examine certo
Cuncta regat,ne vis quicquam,aut furioſa poteſtas
Audeat in miſeros,aut jus ſibi vindicet enſis.
Quid fas atque nefas,ut ſolo examine pendat
Iuſtitiæ,cujus ratio ſolius habenda eſt
Ante oculos,quam nullius violentia vincat.

At tibi præ cunctis fortunatiſſime Regum
Perpetua Aſtrææ ſemper ſit cura tuendæ,
Quæ tibi tam lati peperit diademata regni,
Inque tuos eadem hęc tranſmittet ſceptra nepotes.
Ni facias,rerum æterna compage ſolutâ,
In chaos antiquum redeant ut cuncta,neceſſe eſt.
Et quam debueras cohibere,licentia vinclis
Libera,perque ædes bacchata impune minores,
Altius attollet caput,arreptiſque ſuperba
Faſcibus audebit forſan majora,nec ipſos
Iam metuet rerum Dominos,nec forſitan illis
Effera jam parcet,ſumptis audacior alis,
Qui potuere prius pœna cohibere magiſtra.
Creditur ille ſacer(nec vana ea fabula vatum eſt)
Bruta,feraſque ſimul numeris vocalibus Orpheus
Induxiſſe lyræ,ſociæ ad conſortia vitæ.
Nil aliud mollire feras,numeriſve lyrâve,
Quam brutos homines,ſanæ rationis egentes,
Et quibus in ſolo vivendi cauſa palato eſt,
Conſenſu unanimi cultas diffundere in urbes,
Vt poſſint ſocias vitæ componere curas.
Nempe illo violenti homines ſub Principe nulli,
Illius imperio feritas infeſta repreſſa eſt,
Nec miſeros tunc oppreſſit truculenta tyrannis,
Et nullæ horrendos pecudes metuere leones,
Sed tuti latuere lupis cuſtodibus agni,
Et canibus miſti repetebant pabula damæ,
Tigribus Armeniis vicina armenta cubabant.
Vincta manus poſt terga,ferox violentia tetro
Carcere,terga dabat duris urenda flagellis,
Æternis chalybum nodis conſtricta lacertos.
Huic Divæ germana ſoror,vitamque per omnem
Indiviſa comes,rerum prudentia ſolers
Venturæ in cunctos vitæ tibi ſerviat uſus.
Sic aderat magno Tritonia ſemper Achilli.
Hæſerat illa eadem Tydidæ,Ithacumq; per undas,
Erroreſque omnes comes indefeſſa ſequuta eſt.
Namque viros magnos prudentia ſola periclis
Eripit,& clypeo minitantia fata retundit.

Sola

Sola omnis rectrix vigil eſt prudentia honoris,
Sceptrorumque eadem ſemper fidiſſima cuſtos.
Si populi in ſtudia & mores deſcendere poſſis,
Omne feres punctum. Populus faſtidit, & odit,
Ægrotatque, aliquando furit, ſed ſæpè gravatur
Faſcibus injuſtis, ſub iniquo pondere lugens.
His ſua quæq; malis ſemper medicina paranda eſt.
Sit prima in morbi cauſas inquirere cura.
Creſcenti ut medicâ poſſis occurrere dextrâ,
Et facile expedies, neque erit te fallere quicquam,
Alloquio ſi mitis eris, populique precantis
Aure bibas facili, nec iniqua mente querelas,
Neve manus humiles unquam averſere precantū.
Et ſi forte neges, ſaltem legiſſe placebis
Et frontis ſine nube, & cum ratione negaſſe.
Aonias cinxiſſe ferunt teſtudine Thebas
Mœnibus, & duras animaſſe Amphiona cautes,
Saxaque non ullis traxiſſe ſequentia plauſtris,
Machina ſuppoſita eſt oneri non ulla ferendo,
Sponte ſua in muros lapides coiere ſequentes.
Non teſtudo aliud, quam quæ violentior armis,
Sola reluctantes animos clementia frangit.
Vir bonus & prudens verborum pondere dulci
Alliciet populum, quoſcunque vocarit in uſus,
Quem prius imperio aſſuevit tractare ſereno,
Et quocunque velit, ſine vi, ſine verbere ducet.
Nec minus in quovis animus diſcrimine fortis
Laudis habet, ſed juſtitiæ fac ſerviat ille, (eſt,
Nec tibi Mars placeat, niſi cū capere arma neceſſe
Aut tibi quod juſtum, quod fas, vis ſola recuſet.
Et nuncquā in quemquā niſi juſtas ſumpſeris iras.
Alterius quæ parta malis, triſtiſſima virtus,
Luctus, & accenſis ſurgit qui ex urbibus ignis,
Et miſeranda fames, & mors armata ſequuntur.
Aurea temperies & grata modeſtia morum,
Et luxum & nimium laxas compeſcat habenas.
Lenè fluunt omnes, ut quiſq; eſt maximus, amnes;
Torrentes immanè fremunt, & multa minati,
Necquicquam in ſeſe ſine damno ſæpe reſidunt.
Vivite

Vivite fælices,& vincite vota precantum,
Tu proceresque tui, memorique recondite mente,
Quæ ſacras (ſi quid ſanctum eſt) juraſtis ad aras.
Tuque prior,cujus juſta ditione tenetur
Inſula dives agris,opibuſque,armiſque,viriſque,
Et cui cum incumbat rerum nunc publica moles,
Dividis ingentes de te, pulcherrime,curas;
Quid populo debes,quid dudum teſtibus aris,
Pollicitus ſanctè es,tibi nulla obliteret ætas,
Irrita nec ſubitæ rapiant jurata procellæ.
Nec pete,quas homini divini pagina verbi
Præſcripſit,leges tranſcendere.maxima rerum
Et meritò, pietas homini eſt tutiſſima virtus.
Quippe timor Domini,populi conjunctus amori
Imperium fundat, gemino velut anchora morſu
In dubia firmat puppes ſtatione relictas.
Nec vos ô lecti proceres, ſummique potentes
Conſilii,immemores ventura redarguat ætas.
Stat jurata fides,æterno adamante notata
In cælo,haud tutum eſt divino Numine abuti:
Nulla diu ſtabunt decepto gaudia cælo.
Sic bonus ille Deûm genitor decrevit, ab alto
Sollicitat vindicta illum,memorem uſq; malorum.
Et neque quid ſecum læſi ferat ira Tonantis,
De vobis ullo poſthac memoretur in ævo.
Lenta quidē, gravis ira tamē Rectoris Olympi eſt.
At tu ſumme Deûm,qui fœdas ſanguine gentes
Alterno,toties cælo miſeratus ab alto es,
Saxonidis,Scotiſque diem hanc in ſæcula lætam
Eſſe velis,noſtroſque hujus meminiſſe nepotes:
Quæ potuit gentis finire utriuſque furores,
Immortale odium,& nunquam ſanabile vulnus:
Quaque prius quæ ſparſa, ut rerum diſſona moles,
In vultus corpuſque novum coiiſſe feretur,
Sitque novo populus rerum ſub præſide fælix,
Sed populi obſequio longè felicior ille,
Euboicique omnes tranſcendat pulveris annos.
Quod quoniam immiti fatorum lege negatum,
Sed redit in cinerem quicquid de pulvere venit;

Accipiat patris, ſed ſerò filius hæres
Henricus diadema ſenex, tribuatque nepoti
Serior, & cœptis non deſit faſcibus hæres.
Et vixdum certo ſignans veſtigia greſſu
Carolus, in patriam ſurgat non degener haſtam,
Et ſibi ſceptra manu pariat, modo regnet in ora,
Electos ubi ſola ferunt ſuffragia Reges,
Ornaturque ſuis meritorum induſtria donis.
Candida ſpe thalami ſurgat regalis Eliſa.
Sic Stuarta domus, Reges Regumque parentes
Præbeat, in Solem diffundens germina utrumque,
Dum ferat aſtra polus, ferient dum littora fluctus.

In Thomæ Iacchæi Onomaſtichon Poeticum.

CLara Gigantæi vivat quod fama triumphi,
 Quod ſuperas teneat Mars & Apollo domos;
Æolus in nimbis regnet, Neptunus in undis,
 Priſcorum legimus quod monumenta Ducum:
Quod ſua nec fluviis, neque ſtagnis nomina deſint,
 Floreat & propriis urbs regioque notis:
Quod grex Nereidum fluctus, juga montis Oreas,
 Quod liquidos fontes cærula Nais amet:
Quod Dryades ſylvæ, facileſque ad furta Napæas,
 Quod Faunum, & Satyros, avia rura tegant:
Et quæ præterea vates meminere priores,
 Huic uni debent ſæcula noſtra libro.
At vos ô juvenum præſens venturaque turba
 Phœbea authoris cingite fronde comam.
Spargite purpureos qua fert veſtigia flores,
 Tam breve qui famæ ad limina mõnſtrat iter.

De eodem Tetraſtichon.

VT tibi credamus quæ ſcribis viſa, fidemque
 Romanæ ô fidicen ut mereare lyræ:
Non fuit ille bibax docuit qui carmina Nymphas
 Rupibus in ſummis, noſter Iacchus erat.

IACOBO *Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regi valedicens.*

DVlcis amor populi, patriæ lux unica, Regum
Optime,poſt oculis nuncquã adeunde meis.
Vive,vale,te cingat honos, te gloria obumbret,
Dum Pylii vincas ſæcula lenta ſenis.
Vivat & illa tuæ conjunx pars altera vitæ,
Et tua fœlici tædia prole levet;
Et veri exemplum ſemper maneatis amoris,
Parque Dionæo nobile conjugio.
Quiq; modo in patriam ſurgit non degener haſtam
Henricus, ſolo nunc genitore minor,
Quique refert patrem tam certo Carolus ore,
Carolus ætatis gloria rara ſuæ:
Vivat uterque precor, dum famam terminet aſtris,
Et meritis ſuperet Solis utramque domum.
Quæque refert matrem formæ ſuperantis honore,
Sorte thori matri par ſit Eliſa ſuæ.
Gratulor ipſe mihi me hoc demum tempore natum,
Quo potui numeris te ceciniſſe meis.
Et mihi adhuc vitæ tempus quodcunque peractum (eſt,
Ingenium genio ſerviet omne tuo.
Aſt ego per dubios vitæque viæque labores
Iam repeto patrii triſtia tecta ſoli.
Triſte ſolum ſine Sole, ſuo ſine Principe cernam,
Nunc verum à Græco nomine nomen habes,
Æternum Domini vultu cariturus amœno,
Hoc peperit vitæ ſors mihi dura meæ.
Hic itaque & ſteriles Muſas, & carmina pono,
Carmina poſt calamo non repetenda meo.
Vive,vale, interea & magni per mœnia mundi
Fortuna, virtus te,famulante, vehat.
Vive,vale, & nuncquam meritorum fama ſeneſcat.
Ah oculis poſthac nuncquam adeunde meis!

Epitaphium Ioannis Metellani magni Scotiæ Cancellarii.

HVmida quod terræ facies, tot menſibus æther
Imbribus infeſtus, fluctibus æquor erat:
Quodque Ceres mentita fidem, ſata merſerat undis,
Ætheris & terræ hæc ſigna gementis erant.
Quippe Metellano (cujus, frendente profana
Invidia, ad mundi mœnia fama volat)
Iuſta piis lachrymis, & pulla veſte parabant,
Nec lucem in luctu ſuſtinuere ſuo.
Sed ſi mens ulla eſt hominum præſaga futuri,
Nec ſemper vates vana referre ſolent:
Si Nioben flet adhuc marmor, ſi candida vatum
Mater adhuc multo Memnona rore gemit;
Multa diuque tibi lachrymarum flumina fundet
Scotia conſiliis ſola relicta ſuis.

Aliud.

NEmo Metellano eſt ſuffectus, cur ita? quod par
Nemo Metellano, nemo ſecundus erat.

Clytie.

PRivignis natiſque micat comitata duobus
Mater, & eſt cultu prædita quæque ſuo:
Purpurea ſtat veſte parens inſignis & oſtro;
Circumſtant natæ pallidiore toga.
Sed cur privignis ſublurida tota lacerna eſt?
Iſta novercalis ſunt monumenta odii.

IACOBVS CRITTONIVS.

In ſuum ad urbem Venetam appulſum.

DVm procul à patria, Hadriaci prope littora ponti
Conſedi, mediis celſam miratus in undis
Stare urbem, ſævi obtingunt cui jura tridentis,
Et pelagi imperium conſtans, æternaque ſceptra:
Sæpè meos animo caſus meditabar iniquos,
Sæpè humectabam guttis ſtillantibus ora:
Cum mihi ſeſe offert diva veneranda figura
Naias, Eridani quondam propè cognita ripas,
Naias, una quidem doctis gratiſſima Muſis.
Principio rebar ſimulacrum, aut vana videre
Somnia, (nulla fides oculis) cum protinus illa
His me ultro aggreditur dictis: Non te tua fallunt
Lumina: nec noſtri vana eſt, quam cernis, imago.
Nam mandata fero Muſarum, & juſſa faceſſo
Palladis armiſonæ, quibus una eſt cura ſalutis
Certa tuæ: nec te per tanta pericula vectum
Vrbem in præclaram tumido ſub pectore curas
Fas premere eſt: meliora jubent ſperare, monentq;.
Non hæc iſta tibi tantum infortunia nota
Contingunt: ne cede malis, neu te ſine vinci.
Cernis enim, ut late terras Saturnus in omnes
Acer agit peſtem, quæ fibris cæca ſub ipſis
Conditur, atque alias magno jam turbine clades:
Haud ſecus, ac Phœbi juratos Aulide Grajos:
Quando Agamemnonio tetigit pro crimine dextra.
Hic natos vitæ exſortes, aſt ille parentem
Grandævum deflet, vel matris triſte feretrum,
Proque viro conjunx, aut vir pro conjuge luget.
Aſt alios volucris fortunæ incommoda tangunt.
Reges, indomitas gentes, populoſque rebelles,
Aut urbes domini terrarum, atque oppida cernunt
Erepta, hic auri fulvum ſibi pondus ademptum,
Morborumque cohors alios immiſſa fatigat.
Namque in hyperboreis tabes quæ cœperat oris,

Materiem

Materiem inveniens primùm, dehinc viribus ille
Senſim fota ſuis, Europam irrepſit in omnem.
Non ſecus ac lentus flatu ſuccenditur ignis,
Paullatimq; alimenta trahit, mox flamma per auras
Illa crepat, ſeſeque involvit lumine fulvo
Fumida, Vulcanum latè per inania jactans.
Primum exorta quidem flavos infauſta Britannos,
Germanos tum cæruleos, Galloſque feroces,
Hinc etiam atra lues calidos infecit Iberos,
Fertilis Italiæ dehinc altas fuſa per urbes
Invaluit. Senſere omnes (miſerabile dictu)
Aut pauci evaſere mali exitiale venenum.
Torquet adhuc primo pueros in limine vitæ,
Invalidoſque ſenes extremo in limite vitæ,
Et juvenes rapido firmiſſima pectora bello
Disjicit: infractæ languent ad prælia vires.
Vna etiam matres petit, intonſaſque puellas,
Parcere nec formæ, nec parcere ſueta juventæ.
Nec non armenta in campis errantia cernas,
Quæ vix ægra caput feſſa cervice retentant,
Horribileſque feras, picturataſque volucres
Languere, ut laſſo demiſſa papavera collo.
Nam circumfuſus cunctis animantibus æther
Concepit nocuos gremio denſoſque vapores.
Vtque aliquas leges, æternaque fœdera rebus
Impoſuit natura parens, ſine nomine multa
Sic in principiis latitant diſcrimina rerum, &
Mille movent. nam ni Veneris placidiſſimus ignis
Sedaret varios infauſti luminis ignes,
Diſcuteretque potens radiis contraria Phœbus,
Mille malis rueret ſævis obnoxius orbis.
Namque intemperiem oſtendit modò marcidus aër,
Sæpèque mutatus, præſens occaſio morbi eſt.
O genus humanum, quantas te audacia fecit
Iapeti proles; ſpecies perferre malorum,
Cum nova ſupplicia, & pœnas immiſit acerbas
Iuppiter omnipotens ſubductum infenſus ob ignē
Curribus ætheriis, perfectaque corpora limo?
Quiſque Deos, & fata vocat crudelia: culpæ

Nemo ſuæ juſtum capit imo in corde dolorem.
At placanda foret Divûm inclementia ture,
Et precibus, ſic mortales, ſic vivere dignum eſt.
Dixerat, & preſſis tacuit formoſa labellis.
Tum me luminibus tacitis intenta pererrat,
Vt reſponſa petens. Trepidanti ego pectore tandem
Verba coacta dedi: Fateor me, candida Nais,
Promeritum quæcunque fero: nec turpis egeſtas;
Infandumve ſcelus ſervi mea pectora vexat.
At me quis miſerum magna cognoſcit in urbe,
Aut quis ad æquoreas flentem ſolatur arenas?
Cumque ſinum irroro lacrymis, verba irrita ventis
Trado, nec quiſquam eſt, gemitus qui ſentiat imos.
Colludunt vitreo auricomæ ſub gurgite Nymphæ,
Aſſiduoque novos Glaucus meditatur amores,
Alma latet Doris, latet & Panopeia virgo,
Quas Siren blando mulcet ſub gurgite cantu.
Nec me Carpathiis vates in fluctibus audit
Cærulus, & variis aſſuetus ludere formis,
Ac ſeſe in rerum miracula vertere cuncta.
Sed nec equos bipedes tangunt tam parva furentes,
Quæ ſiccis oculis turpes in gurgite Phocas
Depaſci humanos pavitantes dentibus artus,
Cernunt Scylla vorax, aut navifragum Scylacæum,
Cum rapiunt fractas ſinuoſa ſub æquora puppes,
Numina nil noſtros miſerantur torva labores.
Ergo preces ſcopulis, monſtriſque natantibus ultro
Fundimus. heu nimium ſurdent immania ſaxa.
At vos aſſuetæ noſtras audire querelas,
O Nymphæ, ad ſacros latices quæ dulcia rura
Incolitis, gelidumque nemus, placidoſque receſſus,
Cur me numinibus disjungunt æquora veſtris?
Cur non virgineas patiuntur cernere Muſas?
Pœnarum exhauſtum ſatis eſt, heu parcite fata,
Tuque graves, ô Diva, meos miſerere labores.
Illa autem roſeo rurſus ſic ore locuta eſt:
Ipſa tibi expediam caſus, ſi ſcire cupido eſt,
Auxiliumqne feram certum modo rebus egenis.
Num te divini, diviſque parentibus orti,

Aldi fama latet, totum diffuſa per orbem?
Hunc Aſiæ gentes norunt, & Cantaber atrox,
Decolor atque Indus, vel qui colit incola terras
Extremas penitus, ſive auro inſignis Orion,
Sive Hyades pluviæ, ſeu ſeptem adverſa Trioni
Sidera clara caput ſemper ſublime coronant.
Huic (pharetra tantum inſignis) crinitus Apollo
Se Tritoniaca confeſſus arundine victum,
Atque lyra cedit: nec ſe negat eſſe ſecundum,
Formoſæ natus Majæ: neque docta Minerva
Dedignata parem eſt: tantum nitet aurea virtus.
Hunc pete, namque regens filo veſtigia cæca
Diriget ille tuos optato in tramite greſſus.
Inde via pandet. ſequere hunc quæcunque jubentem:
Sic te Diva monet ſævum quæ Gorgona geſtat.
Quæ plerunque tuis præſens erit optima votis,
Namq; hic contemptis tandem dominatur Athenis.
Nec te tam longè disjungunt æquora Muſis,
Imo hæc indigenæ veniunt ad litora Muſæ,
Necnon, & Drymo, Lygeaque, Cymodoceque,
Nymphaque Iunonis pulcherrima Deiopeja,
Quæque illas ſuperant, atque Oceanitides ambas,
Hæc eadem Hadriacæ fulgent ad litora Nymphæ,
Doctæ Palladias Veneri conjungere curas.
Ipſa etiam, ſpretis Cnidoque, Paphoque, Cytheraq;
Aurea collucens Venetas Venus incolit arces.
Præterea ſummo coram te Principe ducet,
Quem tibi Diva dedit comitem, ſacrumque Senatũ
Adſpicies, divoſque omnes longo ordine Patres.
Non ita Tantalides, Regum cingente corona
Argolica, ſolio enituit ſublimis ab alto,
Atque orbis dominos inter, patreſque Latinos,
Auguſtus Cæſar, qualem fulgere videbis
Grandævum, atque annis, & majeſtate verendum,
Eximios inter proceres, gentemque togatam,
Patrem Vrbis Venetæ: divumque ut Iuppiter ipſe
Conſilio in magno tectum omnipatentis Olympi
Concutit, ac terras humiles, Erebumque ſonantem,
 Apparens

Apparens cælo ac terris, Ereboque tremendus:
Dîque etiam fulgent reliqui ſplendore perenni:
Sic patri ætherio modo Principis æmula virtus
Semideumque, deis prædatur ſidera & altum
Relligione polum, hinc terras ditione,opibuſque
Et bello quatit, ac ſævum pietate Acheronta.
Donec nocturnis Dictynna invecta quadrigis
Cum Phœbo alterno luſtrabit lumine terras,
Pulchraque per tacitum labentur ſidera mundum,
Stabunt res Venetæ, & præclaræ gloria gentis
Æternum poſitis tutiſſima fundamentis.
Dixerat, & levibus vix æquora tingere plantis
Viſa, petit binis, propius de cornibus unum,
Quo pater Eridanus violentibus influit undis
In mare purpureum, & vitreo caput abdidit amne.

Ad Aldum Manutium.

INtermiſſa diu Chelys:
Nec Lydiis cecini carmina tibiis,
Nec molles citharæ modos,
Carmen perpetuo flebile perſonans.
Sed nunc mente feror nova,
Per ſacrumque trahit Melpomene nemus.
Lauro tempora Delphico
Cinctum Pierius me rapit, & chorus
Phœbo, quâ tumidus ſequor,
Te clarum recinens, Alde,in Apollinis
Arte, & conſpicuum. tuæ
Laudes lætitiam, dulceque gaudium,
Solamenque dabunt mihi,
Et mentem eripient triſtibus è malis.
Syren carminibus truces
Ceu mulcet pelagi præcipitis minas
Cantu, vel fide Lesbia,
Dum lenit virides Nereidum choros,
Et Thetis cupidè ſonos
Dulces ſub vitreo gurgite concipit:
Sic laudes quoties tuas
Pulſis experior corde moleſtiis,

Non

Non ſuſpiria ab intimo
Ducam corde, dolens, ut ſoleo nimis:
Sed Phœbus facilis, meæ
Erranti injiciens fræna licentiæ,
Permittet pede candido
Errare, & gelidos viſere liberum
Nympharum latices ſinet.
Tunc ipſe ex adytis ritè Heliconiis
Metrum grandius eloquar,
Candoremque canam ſemper amabilem.

GEORGII CRITTONII POEMATA.

Epigrammata de Ambianis captis ac receptis ad Henricum Regem mitiſsimum, cujus ſymbolum eſt:

DVO PROTEGIT VNVS.

PLuſne tibi, bone Rex, Gallus modo debet, Iber-
Pluſne tibi victus, victor an ipſe favet? (ne?
Per te, obſeſſus Iber, vitæ diffiſus & urbi,
Vivit, & in patriam perdita ſigna refert.
Per te, etiam Gallus durum ruiturus in hoſtem
Subſtitit, & capta victor in urbe ſedet.
Sic ſimul & cives pietas tua ſervat & hoſtes,
Et populos uno protegis enſe duos.

Ad eundem de Duce Hiſpano, qui urbem ſparſis nucibus occuparat, & glande plumbea transfixis faucibus interiit.

CEperat Ambianos furto, nucibuſque doloſis
Luſerat incautos inſidioſus Iber.
Pro nucibus glandes ſpargis, Rex magne, ſed illas
Quas non dente truci mandere poſſit Iber.

Ad eundem.

PRo nucibus quas tu glandes Henrice reponis,
Regia glans hæc eſt, nomine dicta Iovis.

Et tua ceu juglans Iovis eſt à nomine dicta,
Sic ferit, ut ſummi tela triſulca Iovis.

Miles glande plumbea in Ernentellum collimans eum alloquitur.

ERnentelle, nuces qui donas, accipe glandes,
Nō ſtomachū gravat hæc, ſed ferit eſca caput

Ejuſdem ad eundem glande percuſſum.

DIc mihi, nū melius nuculis, quas mittit Iberus,
Ernentelle tibi glandula Galla ſapit?

Henrici Regis venantis, pace cum Hiſpanis confirmata, confectiſque bellis civilibus, Proſopopeia.

VIvite ſecuri lepores, damæque fugaces,
Innocuus quadrupes quiſquis & arva tenet.
Cedite ſed vulpes, aprique lupique rapaces,
Et quadrupes quiſquis noxius arma movet.
Non placido pecori noſtra eſt infeſta Diana,
Sed placidum ſolitis in pecus ire feris.
Clauſaque quod mihi ſint veteris ſacraria Iani,
Paxque relegato candida Marte redit:
Eſt mihi mens pugnas totis diſcludere campis,
Detur ut urbanis ruricoliſque quies.

Proſopopeia Pariſienſis Academiæ Regis filiæ, ſub natalem Principis natalibus reſtitutæ ad Regem Henricum.

PRole tibi ſurgente, tuos Academia læta
Surgit in amplexus, Rex auguſtiſſime, cultus
Innovat & veteres, alioque renaſcitur ore,
Inſtauratq; novos animos. Viden', optime Regum
Qualis honos humeros velet, quæ gratia blandis
Interfuſa genis ſpectantis lumina vulgi
Faſcinet, & toti fundat miracula mundo?
Hanc nec inaurata radiantem cyclade torvi
Romulidum præeunt faſces, rigidæve ſecures:
Nec ferri denſata ſeges comitatur euntem,
Progeniem Regum qualis cuſtodia ſervat.

Concolor

Concolor eſt niveæ menti ſtola candida, & imos
Inſtita longa pedes velans, mollemque coërcens
Lactea vitta comam, & poſiti ſine lege capilli,
Sunt habitus illi, ſunt ornamenta decoris.
Proque ſecurigeris, ferro gravibuſque maniplis,
Hinc ſubeunt blandæ Charites, atq; inde Camœnæ,
Nympharumq; chorus, Dryadumq; exercitus om-
Additaque Vranie Phœbo,germanaque Phœbi. (nis
Hoc tua procedit cultu ſpectabilis, iſto
Septa choro comitum, natarum maxima.Natæ
Eja age tende manus, nec dedignare vocantem
Nomme te patrio, quæ tot tibi læta Catones,
Conſilii paciſque duces, tot Martis alumnos
Parturit ac pariet. Qua te nunc voce ſalutat,
Sera ſalutabit prolem: cum pondere rerum
Feſſus, & ætheriæ factus novus indiges aulæ
Sub pedibus natum moderantem ſceptra videbis,
Nec Puerum Patriæ, jam ſed cognomine Patrem.

In Inaugurationem Iacobi Magni Britanniarum Regis Gratulatio.

IAm nova fit cœlo facies, jam veſpere ab alto
Lucifer exurgit, verſo jam cardine rerum
Promit ab occiduis flammantia tela diei
Phœbus aquis,Zephyriq; domo levis evolat Eurus.
Tu modo, ſurgenti propius cui ſole licebit
Et cœli novitate frui, mundique juventa,
Parce piis lachrymis juſtumque Britannia luctum
Comprime, ferales habitus atramque cupreſſum
Veſte triumphali & lauro Parnaſſide muta.
Pone metum, tibi quem vaneſcens Delia nuper
Attulit, attonito tenebras cum funderet orbi.
Aſpice quin potius fælicis ſyderis ortum,
Hoc ſacrum mirare jubar, cui nubila nulla
Fuſcabunt faciem, radiatæ aut frontis honorem
Objecta tellure prement: quin aſpice,quales
Excubiæ, quæ firma Ducem cuſtodia vallat.
Agmine condenſo comitum quem prima Dearum
Cana fides ſequitur, ſubit hinc pax aurea, Pacis

Vraniæque comes blando concordia vultu.
Mars cui præcedit, cui pronuba Iuno, Venuſque
Anteferunt faſces, cui cætera turba Deorum
Iuge ſatellitium ſpondent; cui Numina læva
Iam placata odiis, atque exaturata Britanno
Sanguine, lenimen veterum pepegere malorum.
Iam nova (ne dubites) capient exordia menſes,
Quique tibi nuncquam naſcentis ab ordine mundi
Illuxere dies, nebulis lucere fugatis
Incipient: certare odiis jam Scotus & Anglus
Deſinet alternis, atque in ſua viſcera ferro
Vindice graſſari. Tanto quare omine læta,
Surge animis, ſpes ſume novas, hilarataque rerum
Luce ſecundarum; gratare Britannia Divis,
Principis & Genio: pacis meditare beatæ
Gaudia, concordes animas, conſortia vota,
Pignoraque æternæ fidei ſocialibus armis
Addita, quæque beant ullas compendia gentes,
Indigenis promiſſa tuis, quos undique Nereus
Submovet Europa, & toto diſcriminat orbe.
O maris Heſperii dominatrix inſula, cenſu,
Claſſe, viriſque potens, quoties hunc viſere Solem
Antiqui voluere patres, quorum oſſa ſepulchris
Clauſa tenes? quoties nimium procedere lentè
Sunt quæſti promiſſa Deûm, nimiumque morari
Spes hominum, quæ caſta pio dedit ore ſacerdos
Plena Deo Brigide, vatumque oracla priorum.
Scilicet haud alium tot prætereuntibus annis
Fœcundo natura ſinu producere in auras
Eniti valuitque virum, qui jura Britannis
Omnibus una daret. Pater eſſes omnibus unus,
Non alium quam te vates & conſcia fati
Sidera ſpondebant terris Iacobe, nec ullus
Dignior auratum triplici diademate crinem
Cingere; ſeu ſeries generis, centenaque patrum
Nomina ſceptrigerum, veteres ſignantia faſtos,
Nomina bis denis ſtirpem ſervantia ſæclis;
Seu mentis ſpectentur opes, tua regia virtus
Imperiique capax animus majoris: in armis
Affuit

Affuit ipſa cui ſectis victoria pennis
Spectatrix operumque comes, ſeu Marte rebelles
Excuteres caſtris, ſeu congredereris inermis
Latroni armato nec opina fraude petenti.
Plus tamen eſt iſtis temet viciſſe, nec iræ
Libera candenti fræna indulſiſſe, nec ullam
Fellis amaritiem taciti clauſiſſe latebris
Pectoris: affatu placido, candore nivali
Officiiſque piis tete in præcordia gentis
Inſinuaſſe tuæ, vulgi expreſſiſſe favorem;
Primorum tenuiſſe animos; non amne cruoris
Albionis fœdaſſe ſolum: meminiſſe Britannis
Te Regem patremque datum,qui Numinis inſtar
Mitis in offenſa, pœnæ parciſſimus eſſes.
Talis apum ductor, ſtimuli qui ſpicula ſolus
Non gerit: in nullum roſtro diſtringit acumen,
Neſcius ultricis furiæ, gravis inſcius iræ.
Hæc puer ut ſcires, tecum puerilibus annis
Reptavit Sophia;& Charites luſere ſorores;
Admovêre manus, alimentaque prima dedêre
Iuno,Minerva,Venus; tibi triplicis omina regni
Divaque trina tulit: nec tecum deſtitit unquam
Muſa loqui; teneroſque animi formare receſſus;
Eloquiique aperire modos, & mellea linguæ
Fingere verba tuæ: fuit hæc tibi cura, Dianæ
Laſſato ſtudiis, ſatiato & cæde ferarum,
Comeret ut ſacram duplex tibi laurea frontem;
Martis & inſigni certaret adorea pacis.
Quid memorem, quam tu veſtigia temporis acti
Mente notes memori, Grajæ Latiæque ſenectæ
Dum legis annales,hinc ut documenta regendis
Gentibus,& moles diſcas quid publica poſcit:
Ne qua tuam mentem moderatrix regula, ne quod
Conſiliumve ſagax ſolerſve ſagacia fallat.
His tibi quod ſtudiis mens dotatiſſima, ſi te
Proximitas generis non hæc ad ſceptra vocaſſet,
Voce vocandus eras populi: ſed largior in te
Et Themis & Genii fuit indulgentia,bini
Copula quam juris, generiſque agnatio duplex.

Hæc auxit ditione nova; juſtoque tuorum
Aſſeruit ſolio. Tibi non popularia juſſa,
Gratia non patrum fuit elicienda, nec ullus
Ordinis aſſenſus: quanquam cum plebe ſenatus
Atque equitum concors tibi conſpiraverit ordo;
Ominibuſque piis teſtati gaudia, verba
In tua jurarunt omnes, quicunque Britanna
Paſcua, & Ivernæ proſcindunt arva coloni.
Neve minus terra tibi plauderet æquoris unda;
Nautica te pubes necdum natalis arenæ
Finibus egreſſum, citius telluris alumnis
Venit adoratum, claſſis ductore morantes
Increpitante rates, & ſævi regna tridentis
Submittente tibi. Quæ tum ſpectamina Nymphæ
Viſere, quas vobis choreas, pompamque theatri
Cærulei licuit; Vulcania tela profundum
Cum quaterent terrore novo; mugitibus omne
Littus arenoſum tremeret bacchantis aheni;
Totaque fulmineis ardeſceret ignibus unda?
Agmine cum longo fluitans ſuper æquora claſſis,
Bellonæ navalis opes monſtraret & artem;
Et dociles artis juvenes, operæque paratos?
Cum velut in mediis errantes Cyclades undis
Molis inauditæ puppes graderentur; & imum
Pinea tecta ſalum, ſummo pendentia malo
Suppara libratas æquarent æthere nubes?
O nimium fælix, tribus ô digniſſime ſceptris!
Proxime dîs, meritoque tuis dilecte Britannis:
Cui pater & genitrix, gemini cui ſtemma parentis
Has tranſmiſit opes: cui ſucceſſoria jura
Parte ab utraque favent. Te non ſuffragia vulgi,
Non procerum ſtudium, non ambitus ullus in iſtud
Extulit imperium: naſcentem te tria regna
Excepere ſinu, ſubmiſſo poplite vultus
Devenerata tuos; & qui tibi lumina vitæ
Prima dies dederat, triplicis primordia regni
Attulit. Eſtis io Superi: nec ſceptra rotatus
Sortis & infidæ Rhamnuſidis alea jactat;
Sed fati manifeſta fides. Iam deſine tanquam
Futili-

Futilibus toties oneraris numina votis,
Albion alma queri, totaque amplectere mente
Magnorum promiſſa Deum: nihil addere donis
Cælicolæ, nihil ipſa tuis potes addere votis.

Ad eundem de Adriani Imp. vallo à ſupero mari ad inferum ducto, in ea Britanniæ parte, ubi nunc Anglia, ad Scotorum excurſiones arcendas.

ORbe Caledonios toto ut diſcluderet olim
Roma, Giganteæ ſtruxerat artis opus.
Lataque quàm latis ſe porrigit inſula campis,
Eoum dirimens, occiduumque mare;
Fabrica tam latè geminas tendebat in undas,
Hoc ſpatium muri deficientis erat.
Nunc tibi ſubſidunt arces, Iacobe, Quiritum,
Et famulas tendunt in tua juſſa manus.
Vtque ſolum, tibi ſic refluum ſe ſubjicit æquor,
Accipiunt leges & tria regna tuas.
Quique recuſabant venerari Cæſaris aram,
Per genii jurant numina trina tui.

Epitaphium Petri Ronſardi.

VRna brevis, vates heu quot, divinaque claudis
Nomina, Pyramidum marmore digna tegi!
In te Mæonidæ requieſcunt buſta, Maronis
Mæonidæ buſtis addita buſta jacent.
Tu capis ingentem, quo non ingentior alter,
Pindaron; Aſcræi relliquiaſque ſenis.
Oſſa Venuſini vatis, vatiſque Peligni
Credita ſunt fidei nobilis urna tuæ.
Quale ô depoſitum? quali ſervanda metallo
Oſſa Poetarum tu brevis urna capis?
Iſta in Ronſardo quia turba revixerat omnis,
Omnis in hoc uno contumulata jacet.

Strena ad D. Maximilianum de Bethuna Roſnium apud Pictones Proregem, &c.

Cujus anagrammatiſmus eſt.

Maximilianus de Bethuna Roſnius.
Tu Ianus binus Dominum exhilaras.

EXhilaras Dominum gemino bis lumine Roſni,
Omne Palatini ſervans penetrale receſſus;
Binaque Bellonæ rebus dans lumina, paci
Altera bina ferens. Per te Mars compede vinctus
Inque tui templi concluſus carcere languet,
Nec ſua Francigenis, peregrina nec arma minatur.
Ecquis enim Domino ſervilia bella ciere
Spartacus audebit, longis bellator ab oris,
Quis metuendus erit? Iani te lumina, Galli
Imperiique Larem & Capitolia noſtra tuente?
Qui facis ut variis incudibus æra reſultent
Cyclopum verſata manu; bellique ſupellex,
Telorumque ſeges Mavortis ut horrea rumpat.
Qui facis ut flavi tempeſtas multa metalli
Gallorum fœcundet agros; curſumque priorem
Auriferi linquant amnes: ne copia deſit
Aurati laticis, reſides ſi quando cohortes
Excierit, multoque graves madefecerit æſtu
Herrici pia curo patris. Quæſtoria nec te
Cura vigil prohibet, nec te Vulcania cura
Ferre oculos alio: portus munire marinis
Fluctibus adverſos; fluviis inſternere pontes,
Regaleſque domos nutantia Pergama ſaxo
Inſtaurare novo. Quid? quæ, miracula ridet
Omnia Pyramidum, Pariſinæ porticus aulæ?
Porticus antiqui non conceſſura theatri
Molibus, & quicquid Romana potentia cœlo
Extulit; ut per te ſurgit properantior, hortos
Inque ſuburbanos longam modo porrigit umbram?
Te cuſtode operum, te caſtigante fabrilem
Segnitiem, lentique moras abigente laboris.
Hæc quoque Roſniacæ fuerit pars altera laudis,
Quod

Quod procul obſcœnas volucres, Phincia monſtra
Vertere terga jubes; ſacram depaſcere menſam
Auſa prius Domini; miſeri dum Phineos aulam
Cingeret hæc avium populatrix turba; recurvos
Exertans ungues, & adunci ſpicula roſtri.
Denique pars regni nulla eſt, non angulus aulæ,
Ora nec imperii, quam non tua provida Roſni
Lumina pervadant, veteris certantia Iani
Luminibus. Fors & Gallis te læta dederunt
Fata ſuum Ianum, ut qualis fuit Itala tellus
Sub ſene Saturno, Iano moderamen habente,
Rege ſub Herrico talis ſit Gallica tellus,
Te Iáni cláves, te Iani templa tenente.

Ad eundem, legationem ad Iacob um Britanniarum Regem obeuntem, Propempticon.

MActe novis, Roſni, titulis, quem nulla fatigat
Ardua vis, moleſve operum, ſerieſve laborum:
Cui labor ingeminat vires, dat cura quietem.
Non ſatis incudes tibi ſuſtentare Cyclopum,
Telaque Francigenûm patri procudere; gazam
Non ſatis eſt regni vigili munire dracone;
Totque graves auri ferrique advolvere maſſas,
Fœta ſuis tumeant ut trina æraria nummis;
Fœta ſuis tumeant armamentaria telis;
Non fulcire tibi ſatis eſt hæc pondera rerum:
Sarcina ni curis iſtis oneroſior eſſet
Nunc humeris ingeſta tuis, ut Tethyos altæ
Explores thalamos, & quæ peregrina Britanno
Monſtra mari fluitent; quid cogitet unda tumeſcens
Littoris Heſperii; Boreas quo ſpiret, & Auſter
Obſerves. Alium poterat non iſta decere
Fida miniſterii ratio, qui conſcius oris
Pectoris & ſacri, ſolus quid mente volutet
Herricus meminiſſe vales; ſoluſque penates
Atque Palatini nocturna ſilentia ſacri
Fidus inis: operum ſecretorumque miniſter.
Sed neque te melius quiſquam concordia Regum
Corda adamante liget: proavitaque fœdera firmet.

Ipſaque

Ipſaque ſi tædæ faceret divortia tellus,
Oceani pertæſa ſui, te interprete rurſus
Conjugis in gremium cani placata rediret.
Ergo age, & auſpicibus Divis mandata jubentis
Lætus obi Domini: ſunt & regionibus illis
Bethunæ monumenta domus: cunabula gentis
Illa tuæ tellus ſervat: ne Gallia ſola
Teque tuos patres & avorum nomina jactet.
Parva viæ tibi non ſpondetur gloria tantæ,
Non levis applauſus, vulgaris ovatio non te
Excipiet reducem: poſtquam gratiſſimus orbem
Nuntius implerit; fidei te compede Regum
Concordes religaſſe animos; renovaſſe vetuſtæ
Fœdus amicitiæ; nullis quæ fracta querelis
Aut reſoluta cadet. Per te fidiſſime Roſni,
Artificem pacis, cœlo terraque dirempti
Convenient ſtudiis populi & ſocialibus armis:
Quique tenor fidei tot jam per ſæcula Gallis
Scotigenas vinxit, ſocios quoque vinciet Anglos,
Quoſque maris parvi ſpatium diſcriminat Anglis,
Fertilis Ivernæ populos intereſque colonos.
Sed jam rumpe moras: belli quiq; ante miniſter
Præcipuus, totas externatura phalanges
Fulmina in Alpini ſaltus caſtella ruebas,
Indue nunc alios vultus, talaria plantis
Addita Mercurium te ſignent, ambiguumque
Sit populis, magis utra tibi geſtamina, Roſni,
Cōveniant, linguæ anne manus tibi promptior uſus;
Et ſeu Marte tones, ſeu voce tonitrua fundas,
Armiger anne Iovi, meliorne Caducifer eſſes.

Fons Eblaudi, vulgo Bella aqua, Delphini Natalibus & Baptiſmate ſacer. Eidyllium.

DIc mihi Callirhoë, ſeu tu mage bellula Naïs,
Seu bellè ſalientis aquæ vis Nympha vocari;
Dic Dea regalem decoras quæ nomine villam,
Vnde tui tener hic Delphin ſic ardet amore?
Cur parvi hoſpitium fontis fluvialibus undis,
Nympharumq; toris præfert, quas Sequana nutrit,
Sequana formoſæ dominam quæ Celtidis urbem
Omnifero

Omnifero ditat cornu, Matronæque refuſus
Conjugis in gremium, fœcundo rore ſupinos
Parriſidûm colles & pinguia rura maritat?
Scilicet ut quondam Tyberini gurgitis alveo
Exiguum tenui rorantem murmure fontem
Prætulerat Numa ſacrificus, cum nocte ſub atra
Viſeret Ægeriæ thalamos, parvumque cubile,
Muſcoſoſque lares & pendula pumice tecta:
Me quoque ſic puer hic fontana gaudet amica,
Captat & in noſtris puerilia gaudia rivis,
Deſpecto majore vado, quod navita remis
Verberat aut conto: quod arundine turbat & hamo
Squammigerûm prædo, vitrei ſcrutator operti.
Nec tamen in noſtris ſola oblectamina quærit
Fonticulis Delphin: meminit ſe Tethyos altæ
Conceptum gremio, ſalſi traxiſſe profundi
Illuviem, generiſque notas, concretaque morbi
Semina, in Iapeti miſeros tranſmiſſa nepotes.
Hæc abolere parat noſtræ purgamine lymphæ;
Hoc eſt, cur noſtris ſua brachia merſit in undis;
Meque miniſtrantem ſacris luſtralibus optet.
Vt tamen anteferat fluviis mea parva lavacra,
Altera cauſa ſubeſt. Cernis quæ proxima nobis
Pinea ſylva jacet; latet illicet arbore tecta
Vmbrarumque comis, oculis impervia noſtris
Alma Dryas; quam ſæpe pater Lodoice ſolebas
Affari; cui ſæpe roſas, cui lilia ferre
Signa tui generis: ſtat adhuc circumdata luco
Ara vetus, veterem necdum faſtidit eremum
Diva loci; charoque novam ſuboleſcere gaudet
Borbonidûm generi prolem: puer ipſe citato
Aſpicis ut greſſu procumbit ad oſcula Divæ;
Textilibuſque onerat poſtes ac limina ſertis.
    Relligio quæ ſit nemoris jam cernis & undæ:
Et mirare, ſuos jam ſi mihi Sequana faſces
Submittat, properetque via decedere? me cum
Lenis Arar, Rhodanuſq; vagus, præcepſq; Garumna,
Formoſuſque Liger venerentur poplite flexo;
Vndique certantes famulis adlambere lymphis:

Carba-

Carbaſeoſque ſinus, hyaloque fluentia pepla:
Cũ mihi ſubſternant Duranus, Druna, Axona, Flavir
Aurifer & Tarnis & pictus arundine frontem
Pictonicæ Clanus radit qui jugera glebæ.
Quid loquor indigenas amnes, natalis arenæ
Municipes, ad me rapido properare meatu?
Ipſe ſalutandi ſtudio mihi Rhenus, & ingens
Albula proceſſit, proceſſit turbidus Iſter
Rauca ſonans; multumque tuo celebrate Maroni
Huc mihi formoſam miſiſti Heroida Minci,
Fulciat ut niveis nantem Delphina lacertis.
Tu quoque purpureo radiantem ſyrmate patrem
Albula legaſti, qui verba faventia ſacris
Prima canat, primuſque ineat luſtrale ſacerdos
Auſpicium, puerumque ſacro prænomine ſignet.
Vt quoque purifici feſti geminaret honorem,
Pompaque ſolennis magis inclareſceret aræ,
Ad noſtræ luſtramen aquæ ſanctoſque fluores
Dia Moſella tulit greſſum; trabeataque magni
Ora dedit ſpectanda ducis, qui altaria frontis
Luce ſerenaret, recipit dum ſigna beatæ
Militiæ; noſtroque infans jam fonte piatur,
Auxiliatricis tactus medicamine lymphæ.
Vtque alios taceam generoſi nominis amnes,
Qui mihi gratantes famularia brachia pandunt,
Aſpicis ut toto ſe corpore fundat Iberus,
Prociduoque genu me voce manuque ſalutet
Abſentem, ſtudiique procul mihi ſigna propinet;
Deveneraturus propiùs, ſi clauſtra nivoſæ
Ardua Pyrenes, moleſque evincere poſſit
Oppoſitas: viden ut patrii cognominis urbes
Præterit, & magni Pompei à nomine dicta
Mœnia ſublambat ſupplex, & pronus adoret?
Non tamen aggeribus clauſus, non obice montis
A noſtra prohibetur aqua, quin devia ſubter
Æquora & ambages, Atlantæoſque receſſus
Arte nova meditatus iter, mihi baſia libet,
Devoveatque fidem. Tibi ſic Arethuſa Sicana,
Amnis ut Alphæus furtim daret oſcula, noctu
Dicitur

Dicitur æquoreas ſubterreptaſſe paludes.
En erit illa dies, nec te ſpes fallet Ibere,
Cum puer hic ingens, ſceptri repetitor adempti
Ibit in arma ferox; Pompejaniſque receptis
Arcibus, expulſo ſtatuet ſuper hoſte trophæum;
Cognatoſque lares & avorum buſta reviſet.
Nec metuo, ne jam fama mihi, concolor auro
Præniteat Ganges: vel qui Babylona ſuperbam
Palmifer Euphrates pulchro prælabitur amne:
Neu placidus guſtu, vitrea neu luce decorus,
Quadrijugo vectus curru per regna Choaſpes
Perſica qui fertur, Regi quia temperat unus
Pocula, privatæ fugiens conſortia menſæ.
Et ne te teneam longo ſermone, viator,
Sic omnis fluvialis honos mihi cedit; ut omnis
Humida gens ponti, Phorcique exercitus,omnis
Turma tridentiferi cedit tibi maxime Delphin.
Nec puto jam dubitas, modici cur ſibila fontis
Prætulerit majoris aquæ mugitibus; aut cur
Sequana ſerviles ultro mihi porrigat ulnas;
Cærula cum ſoboles omnis, Nereique propago
Se mihi ſubjiciat: dominæque aſſurgat eunti;
Callirhoenque ſonet. Solus Mareotidis arva
Qui rigat, & ſeptem procurrit in oſtia Nilus,
Denegat hunc cultũ,&mœſtè ſua pectora plangens,
Quo rurſus captivus agor, quo differor, inquit?
Quid cudis Natura novi? trux advena noſtros
Quis rurſum metatur agros, veteriſque coloni
Tecta rapit? cur ipſe vagus, cur ſanguine multo
Decolor in Thetidis gremium tot ſcuta,tot haſtas
Tot laceros artus,moribundaque corpora volvo?
Hos gemitus triſtes, lamentaque Nile ciebas,
Signa ubi maturi tibi non incognita partus
Chaldæi ſtupuere ſenes; cecinitque verendi
Aula puerperii Delphini ſideris ortum,
Armiferumque jubar: quondam qui Marte ſecundo
Per tua ſtagna volans, Pharia tellure ſepultos
Gallorum cineres hoſtili cæde piabit,
Vindicibus repetens furiis Memphitidis urbem,
Quam

Quam prius infauſtis Lodoicus cinxerat armis.
Iſta pio generi debetur adorea; ſolum
Te titulus manet hic & opini fama triumphi.
Macte puer patriæ, magni ſpes maxima Patris,
Sic mihi certa trium promittunt penſa ſororum.

Ad Henricum Quartum Galliarum Regem.

COrpus ut Æacidæ foret impenetrabile telis,
Hunc Stygiis merſit cærula mater aquis,
Non ita Rex tenerum duras ad vulnera natum,
Quem Stygiæ prohibes viſere tecta Deæ.
Terque pio irroras puerilia nectare membra;
Ter precibus jungis myſtica ſacra piis.
Fas mihi venturi ſi quid præſciſcere, vatum
Pectora Phœbeo ſi quid ab igne calent:
Ignea vis cæli, thermis quæ ſpirat in iſtis,
Vividior quanto rore gelantis aquæ:
Parvus hic Hectorides, quem cælite proluis unda,
Hoc & Achilleo robore major erit.

Genethliacon Ducis Andium.

TV quoque Geryonem Gallis Medicæa dediſti
Diva ſuum, quæ ter Lucinæ experta labores,
Maſcula ter quæ prole virum regnumque beaſti,
Borboniumque genus: fundens tria pignora pacis,
Et patris & patriæ munimina trina. Dehiſcant
Iam licet Alpini colles, ſubſidat ut ipſe
Pyrenæus apex, areſcat ut utraque Tethys;
Sat triplici vallo hoc, ſat defenſoribus iſtis
Gallia tuta jacet: concordia pectora quorum
Non furor hoſtilis, non vis labefecerit ulla:
Non cæca ambitio, non quæ civilibus armis
Dedita, fraterno reſpergi ſanguine gaudet,
Alecto infælix ſtipata ſororibus atris.
Et licet infernis revocatus Ditis ab umbris
Alcides redeat, clava qui ſtravit Iberum
Geryonem: nullis hoc eſſe domabile telis
Tergeminum robur, tria propugnacula dicet:
Forſan & Herculeas ſuper aſcendiſſe columnas
Geryonis

Geryonis Galli Mavortia facta queretur.
Conſcia ſic fati ſpondent mihi ſydera, ſic tu
Stella ſalutiferi Iovis & Cythereie veſper,
Gaudet & æternos Genius cumulare triumphos.

Cathedræ Regiæ Cameracenſis Querela, ad interioris Aulæ & ſanctioris conſilii Dominos.

ILla ego, cui toties oracula vera canenti
Ceſſerunt tripodes Phœbi: Dodonia quercus
Ceſſit: & in toto ſi quod venerabile lignum
Orbe ferebatur mentes aperire Deorum.
Illa ego, qua toties interprete, Græcia Gallis
Ingenii tranſmiſit opes: Romana vetuſtas
Exiit in lucem: Phœnix, Chaldæus, Arabſque
Sunt ſua mirati Pariſinos verba ſonare.
Illa ego, quæ toties cæli ſubvecta per auras,
Mortales docui, qua ſydera lege mearent,
Deproperentque ſuas, Phœbo ductante, choreas:
Quæ toties ſuperi ludo ſatiata theatri,
Inferni penetrale chaos, ſpiracula Ditis,
Perſephoneſque inii thalamos: docuiq;, quid orbis
In medio Natura creet: primordia fontes
Vnde ſua & fluvii ducant: maria unde tumeſcant:
Vnde ferus Typhon nebulam fumoſque volucres
Colligat: unde nives, ventos exhalet & imbres,
Fulmina cum tonitru, fatuæque evanida flammæ
Murmura, & horrendo metuendos crine cometas.
Illa ego, quæ toties rupturas ſtamina Parcas
Impedii, fatique diem differre coëgi:
Et quibus auxiliis tardentur funera, morbi
Diffugiant, docui: docui, quæ machina veſtri
Corporis, & quam ſit non enarrabilis ordo.
Illa ego, cui terrā, cui non comprehendere cælū
Sat fuit, & gremio quicquid Natura capaci
Continet: aſt ſupra cæli verſatile templum
Præpetis ingenii pennis quæ nixa volavi:
Vſaque colloquio Divûm, myſteria nulli
Nota, nec ingeniis veterum tentata Sophorum,
In medium diſcenda dedi: quo nectare vivat,

Ambroſiaque Deus: ſua quæ ſpeculatio, quod ſit
Mentis opus: quæ ſumma boni, quæ meta beati.
Cæteraque ut ſileam ſtudiorum nomina mille:
Mille vices otî: mille oblectamina turbæ
Ingenuæ; data mille piæ bona pabula menti:
Illa ego, longarum diſpendia ferre viarum
Dum fugit auditor: dum ſe committere ponto,
Frigoribus Boreæ, Phœbi radiiſque recuſat:
Illa ego, qua ſola vobis præeunte, locorum
Indice qua ſola; juvenes, vidiſtis anhelos
Solis equos propiùs: Lybiæ calcaſtis arenas:
Oceani tranaſtis aquas: nec America cultu
Barbara, nec monſtris nocuit fœcunda creandis
Africa: riſiſtis, memorat quas fabula cautes
Cantibus infames, multorumque oſſibus albas.
Riſiſtis, nec me curſum moderante, ſiniſter
Obſtitit incepto Boreas: non Tethyos ulla
Inſolitæ facies tardavit vela carinæ:
Cum legerem vitreas glacialis marmoris undas.
Sed mihi quid prodeſt ſpatium telluris & undæ,
Ætheris & ſummi, vigili triviſſe labore:
Inque domos Superûm, ſtygiique palatia Regis
Pubentum duxiſſe gregem? ſi fronde virere
Quæ merui multa, multo quæ thure calere:
Mille coronari, tanto pro munere, ſertis:
Mille ſalutari, tanto pro munere, linguis:
Victa ſitu jaceo, turpi carieque pereſa:
Si mihi qui reparet tabulata labentia, feſſas
Qui laterum crates tibicine fulciat, eheu,
Nemo datur: ſi forma perit cathedræque, locique?
Quid mihi nunc prodeſt artem docuiſſe novandi
Corporis, & ſenio languentia membra juventæ
Reſtituiſſe ſuæ? ſi me carioſa ſenectus
Occupat ante diem, metuens ſi incommoda brumæ
Scandere me nolit Pythias: quod ſæva furentum
Prælia Caurorum turbent mea ſacra: feneſtra
Faucibus omnis hiat patulis: luxata fatiſcit
Ianua, & emoti procumbunt cardine poſtes. (mille,
Quid mihi tunc animi eſt, ſubeunt dum nomina
Mille

Mille hominum facies diverſa ex gente profectæ,
Sacra quibus cecini, Muſarum arcana recluſi,
In dubiis reſponſa dedi? Me Sarmata ſæpè
Conſuluit: flavi me conſuluere Britanni:
Sæpe mea eſt Italus miratus pulpita: ſæpè
Eſt veneratus Iber. Qui ſtagna binominis Iſtri
Illyriumque colunt; Rhenus quos alluit, à me
Quod fuit ignotum patriis didicere Camœnis.
Denique doctorum nulla eſt perſona theatro
Cognita, honorarit quæ non mea fulcra, laremque,
Combiberitque meas ſitienti pectore voces.
Neve alios numerem, quorū eſt meminiſſe voluptas:
Tu mihi Bellieuri, cuſtos fidiſſime legum,
Cujus honos patriæ nunc eſt notiſſimus aulæ,
Tu mihi, tu docilem tribuiſti ſæpius aurem:
Verbaque ſignaſti memori mea ſæpè tabella:
Qui modo regales ſancis ſignamine ceras.
Tu quoque, pubentes vixdum lanugine prima
Cum gereres malas, mihi tu, Meſſæe, fuiſti
Sedulus auditor: mihi te ſtuduiſſe fateris.
Teque quod externi populi videre loquentem
Auribus attonitis: dum, ceu Cyllenius alter,
Iam ſalis Adriaci fluctus, jam præpete curſu
Oceani metiris aquas: quod te aula Britannæ
Principis, & Veneti facies auguſta Senatus
Obſtupuere, meum eſt: tua me facundia crevit
Auſpice, formatrix linguæ, fandique magiſtra,
Ingeniique opifex; merui tibi ſæpè vocari.
Tu quoque, tu quamvis violenti ſigna Gradivi
Prætuleris otî ſtudiis, dum clara tuorum
Facta animoſq; refers: proavitaſque exeris umbras;
Tu tamen & doctas, Rauni generoſe, Sorores
Amplexus puer es: noſtrã & cum fratre cathedram
Sæpè celebraſti: nuper qui à Principe miſſus
Scotidas in fines, extremæ ad littora Thules,
Monſtra Caledonio fluitantia gurgite vidit
Impavidis oculis; curaque animoque fideli
Iuſſa obiit Domini: cujus tu æraria claudis,
Cumque lubet, reſeras: cui tu Vulcania tela,

Fulmineoſque globos, tormentaq; mille miniſtras,
Enceladi rabiem, atque auſus domitura Gigantum.
Denique ne cunctos obeam longo ordine Patres,
Præpoſitos aulæ ſacris: ex ordine veſtro
Nemo mihi primæ non nutrimenta juventæ,
Nemo Palatini ſtudii non debet, & artis
Semina Patritiæ: noſtroque hauſiſtis ab ore,
Regula quæ Regni tutiſſima: quid mage Regis
Firmet opes: quibus inventis populare faceſſat
Diſſidium, vulgique cadat temerarius error,
Vt ſua majeſtas Regi, ſua legibus adſit.
Talibus atque aliis ego vos ſermonibus olim
Erudii juvenes: nec adhuc mihi culta docentum
Turba deeſt, verbis quæ talibus imbuat aures:
Ingenio nulli veterum, nec honore ſecundi:
His modo regali ſtipendia digna cathedra
Adnumeret Princeps: cujus de fortibus actis
Hoc ſupereſt unum, duri ut poſt pulſa Gradivi
Claſſica, barbaries atque ignorantia cedat.
Certè ego vel tali ſub Principe læta reſurgam,
Et facie rediviva nova, cultuque nitebo;
Præſule Belnæo, tali pro munere, Regi
Sacrificas tendente manus: vel ſi mihi nulla
Fortunæ melior ſors fulſerit: illa per annos
Quæ data ſunt multos Delphis reſponſa Deorum,
Parriſidûmque ſolum Græcis petiere relictis:
Mutabunt iterum ſedes: & muta ſilebunt
Pariſiis, quæ jam ſiluere oracula Delphis.

HEN.

HENRICI DANSKINI
POEMATA.

De Remoris quibus impeditus in ſacri miniſterii munere capeſſendo (licet ſæpius facto periculo) hactenus cunctabundus fuit, ad Reverendiſſ. in Chriſto Patrem Georgiũ Archiepiſcopum Andreapolitanum, Scotiæ Primatem.

O Multis venerande mihi digniſſime Præſul
Nominibus, qui fortunam virtutibus amplam
Antevenis, cui divini eſt uberrima vena
Ingenii, quem nos ſacra de ſede tonantem
Suſpicimus; tanta mentes dulcedine captas
Afficis, & bibulas ſermonibus allicis aures.
Si ſuccifivis forſan civilia tractes
Temporibus, Regni proceres, ſummique Senatus
Nomina magna patres, humilique ex plebe Quirites
Attoniti expectant, arrectiſque auribus aſtant:
Mellitis donec ſermonibus ora reſolvas,
Obſcura & patrii pandas ænigmata juris.
Sive bonos trepidare vetas, ſeu fulmine pravos
Supplicii terres, acer rigiduſque ſatelles
Iuſtitiæ; non unda maris decumana profundi
Mente quatit ſolidâ, non vaſti fabrica mundi
Diſſiliens coget juſtum mutare tenorem.
Cum primum alluxit virtutis flamma coruſcæ,
Quantis invidiæ fuit obſita, & obruta fumis?
Sed poſtquam emicuit, ventiſque agitata refulſit,
Diſpulit inviſas claro ſplendore tenebras:
Non ſecus ac Titan æquò cum diſtat utroque
Cardine, vel nullas vel parvas conficit umbras.
Et Sol ut medio quando eſt altiſſimus axe
Cogitur, atq; jubar minimum glomeratur in orbe:
Sic tu fortunæ ſtans intra limina magnæ,
Commiſſas dextrè & preſſè moderaris habenas.
Vt doctus fidicen citharæ non diſſona rumpit
Fila ſuæ, ſed jam tendit, jam tenta remittit;
Artificique manu ſtrepitum facit edere dulcem;
Diſcordes animos fratrum non viribus urges,
Non premis, at patiente animo, linguæque catenis

Mollibus attentos trahis in tua vota miniſtros.
Peſſimus Imperii cuſtos metus; altus apum rex
Non œſtro, ſola ſed majeſtate verendus.
Cum tu tantarum ſolus ſub pondere rerum
Strenuus invigiles, ſpartam quam nactus opimam
Virtute illuſtres, ſacrique incommoda cœtus
Legibus emendes, magno ſub Atlante Britannî
Alter ut Alcides ſuſtentans atria regni;
Certe odioſus ego nimiumque videbor ineptus,
Si tua futilibus conſumam tempora nugis.
Sæpè tuam forſan ſubit admiratio mentem,
Non dedignatus modicam perpendere ſortem,
A te pendentis teque unicè amantis amici,
Quod ſemper taceam: digitoque ſilentia ſignem,
Harpocrates veluti Pharius; vel rana Seriphi;
Ætolæ ſimilis, quam non ſtridere, cicadæ,
Fama refert; vel cui vocem lupus acer ademit.
Dicat naſutus quivis, me cuſpide linguæ
Indomitæ obliquum feriens; doctrina renati
Pythagoræ tantum quinos occluſit in annos
Vocis iter calidis, linguæque procacis ephœbis;
Tu tria luſtra ſiles; magno molimine ſaxum
Pluſquam Siſyphium volvens,in pulvere perfers
Grammatico ingratæ faſtidia lenta paleſtræ.
Non aliter ſtulti comites prudentis Vlyſſei
Obliti patriæ, & loti dulcedine capti,
Donec dux Ithacus ſtimulis, & verbere ſævo
Navibus in pandis aſſueta coëgit obire
Munia; Circæo certè medicata veneno
Pocula traxiſti: cantuque allectus amœno
Syrenum veluti ſcopulis illiſus adhæres.
Aſt alii, queis forte domi tam curta ſuppellex,
Præpetibus nixi pennis, & publica famæ
Tympana pulſantes, caput inter nubila condunt.
Si vacat, & jubeas Præſul reverende,chorique
Gloria Pierii, rationem ignobilis otî,
Et nimium obſcuræ cauſas expromere vitæ;
Obſequar,&,longa verborum ambage remotâ,
Summa legam carptim tantùm faſtigia rerum.
Tempora

Tempora uti, & tardas queritur procedere luces
Pupillus, quem dura coquit tutoris iniqui
Improbitas; gaudetque ſtatas tranſcendere metas
Decurſis primi ſpatiis acclivibus ævi;
Sic atri ſoles, infauſtaque penè videntur
Tempora, quæ greſſum impediunt, animumque morantur,
Ne ſcandam in ſacram ſtudio fervente cathedram.
Sed pater æternus, qui nutu & numine cuncta
Dirigit, invitum ferme, & nil tale ſcientem
Incluſit ludo hoc, hac in ſtatione locavit.
Expecto (& vitam modo non pertæſus anhelo)
Dum clauſtra avellat, ſtrictique repagula ſolvat
Carceris, atque dato jubeat prorumpere ſigno.
Sed quoties populi provincia ſacra docendi
Infirmis oneroſa humeris, cui viribus uſus
Atque opus Herculeïs, animum ſubit; horreo totus.
Scilicet emunctam ferit & mihi perſonat aurem
Vox delapſa polo: Officiis quis idoneus iſtis?
Exclamat, qui divini torrentibus undis
Eloquii, craſſis hominum cooperta tenebris
Pectora, & averſas à lucis origine mentes
Egit in obſequium fidei, genteſque rebelles
Stravit humi, vaſtum ſtatuitque trophæa per orbē.
Nonne is, qui Pharii primus de gente tyranni
Aſſeruit populum, duro ſub faſce gementem,
Cauſatus linguæ vitium detrectat; & optat
Excutere impoſitum toto conamine munus?
Quid vates? ſancto quamvis agitante calerent
Flamine, & haurirent cæleſtis ſemina mentis,
Quidnam illis animi? quoties præſentia ſummi
Numinis affulſit, vixdum toleranda miniſtris
Cælitibus; quoties liquidas horrenda per auras
Vox ſonuit, per quam propriis emota fatiſcit
Sedibus, & penitis tellus fremit ima cavernis:
Diriguere comæ, conſternatique timore
Luxatis torpor ſubduxit robora nervis?
Ergo egone audebo miſerandus homuncio, & oris
Impuri, manibus contingere ſacra profanis?

Quem mala tot cingunt, & ſurdo verbere cædunt:
Quot Zephyro ſpicæ, Borea turbantur avenæ.
Spirabunt alii compreſſis follibus auras,
Et tumidis timidas percellent vocibus aures,
Queis ſermo exundat rapido vehementior amne,
Et fidens omnes audacia laxat habenas.
Sed quibus hi gaudere ſolent, ego ruſticus illis
Dotibus erubeo; pudor inficit ora, timorque
Anxius eſt animo res imperioſa puſillo.
Præterea aſſiduæ rodunt mihi pectora curæ;
Non ſecus ac ſcopulos pelagi cavat unda marinos:
Aut charta à tineis corrumpitur alba malignis:
Et ligna occultâ vitiata teredine marcent.
Non tamen hæc cura eſt,(rerum Pater optime,teſtē
Te voco, qui tacitis ſcrutaris viſcera flammis;)
Vt mihi Tænareis ſurgat domus ampla columnis,
Aurateæque trabes, variiſque aulæa figuris
Marmoreo demiſſa ſolo; aut Ephyreia vaſa,
Signaque ſublatas ornent ad ſydera moles:
Non ut progrediens loca publica, compita,fana,
Concelebrem magna ſtipatus plebe clientum,
Neve ut Sidonio veſtis mihi fulgeat oſtro,
Non ut divitiæ, fulvique immenſa metalli
Copia munita fruſtra ſuſpiret in arca:
Et quæ præterea dulci medicata veneno
Perſtringunt animos vano ſplendore miſellos.
Eſt mihi congeſti jam poſt tria luſtra peculî
Portio, tantorum pretium non grande laborum,
Defraudans genium parſi, (nam vera profari (ſus,
Quid vetat?) atq; meo memet modulo ac pede mē-
Agnoſco ſtudium,& patriam,Deus Optime,curam;
Non rebus nimium vis laſcivire ſecundis;
Nec prorſum adverſis vitam traducere ventis.
Vnde ergo uruntur redivivis pectora curis?
Partim naturæ vitio, quam inſurgere contra
Difficile eſt, clavis ita fixa trabalibus hæret
Neſcia mutari, dextram niſi maximus author
Porrigat; & læſam miranda corrigat arte.
Nocte dieque etiam pectus mihi pungit,& angit
Spes

Spes hominum, certè meritis indebita noſtris:
Cujus ut augurium ne vana illudat imago,
Sæpè ferire caput, digitoſque arrodere morſos
Cogor; & in varias animum diſtringere partes.
Da veniam faſſo, nimioque ignoſce timori,
Qui vegetas animi vires enervat; iterque
Obſtruit hærentis linguæque intercipit uſum.
Iam vigor erectæ mentis rubigine læſus
Torpet, ut inculti marcent ſine vomere campi;
Et vena ingenii quondam fœcunda benigni
Arida facta ſitu ſqualet; ſanguiſque juventæ
Defervens circum præcordia frigida languet.
Denique non quovis è ligno fingitur Hermes:
Nec cuivis ſacram contingit adire Corinthum.
Si centum linguæ, ſi vox adamantina detur;
Non poſſem remoras comprendere verſibus omnes.
His cauſis velut in puteum demerſa profundum
Mens hebet; & gravibus languet depreſſa catenis.
Iſta renidentem fuſcant mihi nubila vultum;
Non ſecus ac ſpiſſas Coro glomerante procellas
Sol latet;hæc faciunt parmamq;haſtamq; trementē
Abjicere; atque loco dare terga inhoneſta relicto.
Spinarum hanc ſegetem,Deus alme,evelle feraci
Cordis agro,atq;herbas curva preme falce nocētes;
Vt Verbi gravidis creſcant genialia ſulcis
Semina, nos plenoque beet bona copia cornu;
Et tua congeſtæ diſtendant horrea fruges.
Non equidem auſteros animi detrecto ſapores;
Namque ſemel ſuccis os cum vitiatur amaris,
Dulce magis tenero tum mel ſolet eſſe palato.
Tu vanas moles & propugnacula mentis
Diruis, humani tabulataque laxa cerebri
Disjicis; ut diſcant à te pendere, tibique
Tanti operis ſolidam ſoli tranſcribere laudem.
Ergo licet curis, crucibuſque hinc inde fatiger;
Et circumveniar trepidi terroribus Orci;
Obfirmabo animum; manans nam fonte perenni
Gratia reſtituet defectis robora membris.
Marcorem ingenii, vireſque agnoſco puſilli

 Corporis,

Corporis, aſt ægræ præbet ſolatia menti
Summe pater, nullo bonitas tua limite clauſa.
Si quis purpurei pretioſa volumina byſſi, rum,
Non gemmas, rutilum nec habet quod conferat au-
Pelles atque pilos non dedignare caprinos.
Chriſte, æquæva patri proles, qui lurida mortis
Spicula fregiſti, miſſoque Acheronte ſuperbo
Sub juga, verſutæ fudiſti virus Echidnæ;
Ardentes prætende faces, & lumine puro
Caligantem aciem & mihi lumina cæca reclude,
Miranda ut videam ſacræ myſteria legis.
Da vires animumque mihi, veſtigia luſtro
Dum tua, qui dux es, qui ſemita, & ultima meta.
Et tu ſacrorum Antiſtes digniſſime noſtris
Dexter ades cœptis, tendat modo vela favoris
Aura tui, ut fragilem, Domino ſpirante, tuiſque
Auſpiciis, tuta ſolvi à ſtatione carinam,
Sic duce te facili findam freta pervia puppe,
Et tandem optatis advertam lintea terris.

In Clariſſimum Dominum Gualterum Scotum D. Balcleuchiæ Tividaliæ Satrapen, cohortiumque apud Belgas Scoticarum Dictatorem, &c.

SI mihi Muſarum Princeps & præſes Apollo,
Immerita emeritis redimiret tempora ſertis;
Si daret ingenuis tantum libata Poetis
Mellea nectareis ſtillantia flumina rivis;
Balcleuchias laurus, & pectora neſcia vinci
Admirans canerem: ſed non ſatis ardua montis
Virginei momenta jubent deſiſtere cœpto;
Cui neque vel Phœbus par eſt, licet edita ſaxi
Culmina ſollicitet bifidi, facileſque Camœnæ
Conſcribant numeros Phœbo dictante ſonoros.
Tu mihi Phœbus eris flos illibate, Deorum
Progenies, Scythicum Clario qui rore Gradivum
Diluis, & lauris hederam victricibus ambis,
Pierias impelle rotas, tenuique cicutæ
Affla animam, rerum mihi panditur ordo tuarum,
Et laudum Oceanus, tendat modo vela favoris

Aura tui, placidis advertam lintea terris.
Rerum opifex mundi diſpenſans fila caduci,
Qui terram imperio, nutu qui temperat aſtra,
Et ſecat in varias vivacia ſemina partes,
Volvit & immenſi ſinuoſa volumina fati,
Perpaucis dedit humana de ſtirpe creatis
Omnigenis gaudere bonis. Cui robur in armis
Corporis & laudi eſt moles ſpectanda toroſi:
Huic ſalit in lævæ ſacrum nil parte mamillæ.
Contra ubi membrorum ſeries accommoda formæ,
Gratia deſtituit corpus, mens enthea lucem
Exerit, ut plumbum magnes qui dividit album.
Illos aura levis turbæ popularis in altum
Tollit, & in fœdam rurſus proturbat abyſſum.
Hunc rigor, hunc pietas, hunc alti ſtemmatis ordo
Ornat, & æternis inſcribit nomina faſtis.
Longè alia eſt tua ſors; nam quæ diviſa beatos
Reddunt, congeriem virtus tua cogit in unum.
Non aliter longo manantia flumina tractu,
Mille per anfractus, & culta novalia, tandem
Communem vaſti maris exonerantur in alveum.
Aſpice cunctantem jam primo in limine Muſam,
An priſcos proavorum atavos, inſignia dicat
Nomina, formoſas ſtatuas & facta ſonoro
Pectine percurrat, quorum ſi maſcula virtus
Non poſſit ſeris famam tranſcribere ſæclis,
Sufficeret talem nobis genuiſſe nepotem.
Qui quanquam emineat titulis generoſus avitis,
Magnanimis eſt major avis. Symmetria conſtans,
Membrorumq; modus, pulchriſque affuſa labellis
Gratia, majeſtas (qualem nec fama Catoni
Nec tribuit Curiis ætas longæva ſeveris)
Et decor, humanæ tranſcendunt culmina formæ.
Quem nō ſomnus iners frangit,nec marcida luxu
Otia,nec crudæ rabies infanda ſaginæ,
Contra,ferre famem, & longas producere noctes
Sub Iove, Sarmaticas ſuetus tolerare pruinas,
Et ferre æſtivos Cancri ſub ſydere Soles.
Ille etiam gelidi perpeſſus flamina Cauri,

Alpinaſque nives, per inhoſpita teſqua, remotas
Intrepidus veteris Latii penetravit in oras.
Italides ſtupuere nurus, proceresque ſuperbi
Mirantur, cupidos plebs paſcit in hoſpite viſus.
Intonſos ſylvarum aditus, aſpretaque teſtor
Invia, & humentes gelidis cum fontibus umbras:
Te quoque turritas Tævi qui proſpicis arces,
Voſque Caledoniis horrentia ſaxa pruinis,
Paſtorum an feſtas referatis ad æthera voces,
Dum canit invicti laudes & facta patroni
Tityrus, agreſtem meditatus arundine Muſam.
Aſpice ut indigenæ per devia rura Napææ,
Najades & fuſis per eburnea colla capillis
Saltent, & ſocias ducant de more choreas.
Pan etiam Nymphæ, veterumque oblitus amorum,
Qui primus liquida calamos compingere cera
Inſtituit, rauca laudes decantat avena.
Quem circum Satyri, & ſylveſtria numina Fauni
Dant motus incompoſitos, & carmina dicunt.
Singula complecti haud poſſem, nō ſi mihi Phœbus
Frigida multifidis ſuccendat pectora tædis.
Nonne oculis invicte Heros ea noctis imago
Hæret, ubi cupiens laudem pro luce paciſci
Mœnia Carleli, & munitas milite turres
Aggrederis; cæſiſque altæ cuſtodibus arcis
Fixiſti mediam victricia ſigna per urbem?
Tempus erat, quo prima quies animantibus ægris
Imminet, & victis Morpheus obrepit ocellis:
Hortaris ſocios, animis ultricibus imas
Obfirmare fores, cœptoque inſtare labori.
Ipſe inter primos, ſtridentia limina duro
Robore perfringis, poſteſque à cardine vellis.
Quis laudem illius noctis, quis fata loquendo,
Aut poſſit tantos numeris æquare labores?
Laude vel hac patriam officio tibi jungis, amicos
Obſequio, & rara linquis virtute furentis
Invidiæ fines. nam quis liveſcere poſſit
Luxuriare ſolum, & ſplendeſcere lumine cælum?
Ardua res non eſt, graſſanti his artibus artes
Tollere

Tollere humo; pennaque leves volitare per auras
Præpete; qui preſſa ſortem conſultus utramque
Caſtigat trutina. mens nuncquam elata ſecundis
Intumuit rebus: contra ſi dira tonaret
Fortunæ alternantis hyems, non languida ceſſit,
Sed ſtetit adverſus ſubitas immota procellas.
Et quanquam aurifluas Hermi non curet arenas,
Ægra nec inſanis tendat præcordia votis;
Sollicitis numerat digitis momenta caduci
Temporis, & refugas diſpenſat callidus horas.
Sic vitæ pars nulla perit, quodcunque diurnis
Abſcindit curis, addit de nocte Camœnis:
Aonidum ſuetus ſacros haurire liquores;
Et placidas ſummo Muſas deducere Pindo.
Dogmata non illum fallunt arcana renati
Pythagoræ; aut docti ſacraria pura Lycæi;
Vel quicquid claris Academia ſanxit Athenis.
Materiæ pereuntis opes, & ſemina fluxa
Æmula naturæ luſtrat mens dia; ſtataſque
Expendit cauſas; jungens humentia ſiccis,
Frigida componens calidis, & mollia duris,
Cur tempeſtates anni non irrita ſervent
Tempora, cur ſtabilis tellus, cur nabilis unda,
Cur ignis tremulis faſtigia conſerit aſtris.
Inquirit quæ norma boni, quis finis honeſti;
Quam validè inſanis obſiſtat vivida virtus
Prodigiis ſcelerum, quæ vis innata ſuperbas
Affectûm furias ſævumque coerceat æſtum.
Nauta velut primum fortes ad pectora remos
Applicat, & tremulis verrit vada cærula palmis;
Hinc locat in ſummo fluitantia carbaſa malo;
Diſcit & antennis velum ſubnectere longis:
Poſt varios caſus & mille pericula, tandem
Aggreditur totam clavo torquere carinam:
Non aliter poſtquam rerum documenta dediſſes
Multa domi, externas ultro invitaris ad oras
Magne Heros; major (tulerint ſi fata) futurus.
Belgia terra potens armis animiſque ſuperba
Te legit; & ſummis rerum præponit habenis.

Macte novis titulis, tantoſque invictus honores
Suſcipe, majorum tantum præludia laudum.
Ecce peregrinum miles ſuſpirat amorem,
Plebſque ſibi immotam ſpondet te vindice ſortem.
Pugnantes equitum turmas, peditumque cohortes,
Et qui canitiem galea preſſere ſeveram;
Et totum egerunt tenſis ſub pellibus ævum;
Cedentes ſpatiis aſſurgenteſque videbis.
Aſpice, fulmineum properat tibi Lemnius enſem
Mulciber; & gemmis capulum diſtinguit Eois.
Ætnæo nudi ſudant Cyclopes in antro;
Vulnificum curvo verſantes forcipe ferrum.
Electrum, riviſque fluunt ſtagnantibus æra,
Martia dum patulum caſſis ſinuatur in orbem,
Ignivomum ejectans criſta rutilante nitorem.
Quanta mali moles trepidos demerget Iberos?
Quas pœnas Hiſpane dabis? qui maſcula frontis
Fulmina ferre nequis raucæque tonitrua vocis,
Imbellem meditare fugam, vel ſupplice vultu
Ante tubam ſacris Domini fige oſcula plantis.
Si ſemel horrificum ſuccendant claſſica Martem,
Protinus obtorto patieris vincula collo.
Et natis largâ requiem mercede paciſcens
Belgia ſollicitas ſuſpenſo pectore curas
Excute, paſce greges; tauros ſubmitte, ſituque
Squalentes exerce agros, namque omnibus unus
Excubat, & vigili diſponit ſingula ſenſu.
Quem non Ionii moles decumana profundi,
Non amor aut odium, aut vaſti fabrica mundi
Diſſiliens coget juſtum mutare tenorem.
Tu contra fac nulla dies, fortunave tanti
Arguat indignam ſtudio mentiſque patroni.
Deliciæ, rarumque decus tibi contigit ævi.
Omnibus opponas unum, quos Græcia mendax
Venditat, aut crebris Roma imperioſa triumphis.

Euxl1-

Ενηλικοπεντηκοντίτον, ad Sereniſsimum & Invictiſsimum Principem Iacobum Britanniarum Regem, &c.

ECce dies rediit niveo ſignanda lapillo,
Aut Creſſâ, aut ſi qua eſt, nobiliore nota.
Conſcia divini partus, uberrima meſſis
Ingeniis, Muſis optima materies.
Phœbe veni rutilos auro redimite capillos,
Parnaſſum, & Xanthi linque fluenta vagi.
Indue Sidonio tinctam bis murice veſtem,
Neve arcum pigeat condere, ſume lyram.
Lux fidibus celebranda tuis, fidibuſque ſororum,
Hâc nata Aonii eſt gloria prima chori.
Naſcenti lætum Parcæ cecinere triumphum,
Et dederant uni tres tria ſceptra Deæ.
Dicite Io cives, & Io bis dicite cives,
Natalis nobis omnibus iſte dies.
Hauſimus ex illo nitidæ primordia lucis,
Cœpimus atque aura liberiore frui.
Pallentes violas, nardumque, thymumq; crocumq;
Congerite, & pictis lilia mixta roſis.
Farre pio, & caſta proni veneremur acerra,
Sacrificiſque crepent maſcula thura focis.
Qualia odoratis naſcuntur plurima glebis,
Quæ Saba, vel dives qualia mittit Arabs.
Pulſentur pelves, & tintinabula fanis
Omnibus, auſpicio lux eat iſta bono.
Ah quid ceſſamus reſides in vota, preceſque?
Lux monet hæc ſummum ſollicitare Deum.
Non te ſumme parens Ophyres jam poſcimus aurũ,
Non petimus culti jugera lata ſoli;
Sed Regi firmam per ſæcula plura ſalutem,
Noſtra ſit ut ſalvo Principe firma ſalus.
Iam decies quinos egit feliciter annos,
O decies denos adde benigne parens.

ΔΙΤΤΟΣ ΦΟΙΒΟΣ.

ILla dies, primis qua Rex vagitibus auras
Hauſerat, in gyrum jam redit acta ſuum.

Sol Cancrum ingrediens cancros imitatur,& ultro
  Languidus averſis incipit ire rotis.
Phœbe caput nitidum radiis præcincte coruſcis,
  Qui regis ignifera ſydera pura face;
Nulla Thyeſteæ properantur fercula menſæ,
  Quid fugis? haud Atreus impius exta coquit.
Sol novus exoritur, veteris virtute fugacis
  Vix opus. Anne citæ eſt hæc tibi cauſa fugæ?

Ad Regem Panegyricus.

PHæbe vices anni varias qui præpete curſu
Dividis, æthereis flammantia lumina templis
Conde:orta eſt nova lux,major,jamq; æmula tellus
Iam Solem eſt enixa ſuum,qui luce jacentes
Axe ſub Arctoo terras illuſtrat, & omnem
Conſpicuæ lucis radios diffundit in orbem.
Martia qui populi, ſed Marte invicta, Britanni
Pectora ſubſtrictis flectit rationis habenis.
Qui quanquam emineat titulis inſignis avitis,
Magnis major avis, ſena & centena priorum
Stemmataque & Regum titulos ipſa ornat,& auget
Mole nova, Tribulumque Roſæ, Pardumq; Leoni
Vnit, & ut ſtabili concordent fœdere, raucæ
Iunxit fila Lyræ, qualem vel Thracius Orpheus
Sumpſit, ubi rapidas voluit compeſcere tigres;
Vel qualem Amphion Dircææ conditor arcis,
Quem perhibent numeris lapides animaſſe canoris.
Quodque magis ſtupeas, non unquam contigit ulli
Talis honos, tanto procerum plebiſque favore;
Fælix unanimis quem publica gratia votis
Flagitat, & cujus regni primordia,fauſto
Omine, ſubſequitur noſtri concordia mundi.
O fortunatos populos! fælicia regna
Tam miti ſubjecta jugo! quæ poplite flexo
Tam molle imperium agnoſcunt. Non effera ſævi
Hiſpani rabies, non Turcæ effrena poteſtas,
Qui totum ſumptis orbem circumtonat armis,
Compellat veteres ſedem mutare Britannos;
Aut alio profugos ſecum aſportare penates.

Præſidium

Præſidium, arx, columen, ſtatio, tutamen, aſylum,
Rex erit; & ſævum clypeus porrectus in hoſtem:
Quem non franget hebes ſomnus; nec inertia, Siren
Improba nec patitur luxu tabeſcere corpus;
Indomitis ſed gaudet equis, duriſque lupatis
Temperat; in patulo ſeu vult decurrere campo,
Seu ſinuare fugam, & gyros in mille ferocem
Flectere cornipedem, Chiron, victorque Chimeræ
Bellerophon; victis Pollux quoque cedet habenis.
Venatu invigilat, modo tendens obvia cervis
Retia, vel captus prædæ melioris amore
Fulmineos invadit apros, rigidoſque per armos
Arma quatit, certa defigens vulnera ſede.
Mundi oculus, luciſque Deus, miſeratus iniquam
Scotigenûm ſortem, craſſis adoperta tenebris
Pectora, & averſas à lucis origine mentes
Vidit, & indoluit, cœloque emiſit ab alto
Te, radioſque Iacobe tuos; queis omnia cedant
Sidera, non Helice nautis bene nota Pelaſgis,
Prævia nec dubiis par eſt Cynoſura carinis.
Poſtquam alluxiſti Scotis, nox atra receſſit
Protinus, & denſæ fugiunt caliginis umbræ
Namq; prius (meminiſſe piget) gens noſtra colebat
Degeneres, luteoſque Deos, ſimulachraq; vanis
Ficta modis, vitæ, ſenſuſque expertia, fuco
Perlita, & in Stygiis inſomnia nata tabernis:
Sed ſimul invicti fax illibata Stuarti
Emicat, humani pereunt figmenta cerebri.
Ad vivum verumque Deum libamina puræ
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto
Deferimus; ſpreta Latiæ meretricis acerrâ,
Legibus, exemplo, vitaque accendit in oris
Omnibus ardentem veræ pietatis amorem.
Iuſtitiæ vindex legumque minacia molli
Nomine vincla levat; mitis clementia ſummi
Temperat examen juris; pax aurea dotat,
Ditat & invictos illo regnante Britannos.
Armorum paciſque bonæ licet arbiter, armis
Otia, pacalem lauro præponit olivam.

Scuta ſitu marcent, ſcabra rubigine tela
Squalent, in curvum gladius conflatur aratrum.
Sed quid ego Icariis demens ſuper æthera pennis
Vectus, & infido poſiturus nomina ponto,
Innumeros laudum titulos, & pondera rerum
Ingenio majora rudi comprendere coner?
Quis Cereris ſpicas, Bacchi numeravit & uvas?
Plurimaque in lætis naſcentia gramina pratis?
Irrigat aut quoties ſitientes optimus agros
Iuppiter, & læto deſcendit plurimus imbri,
Quiſnam deciduæ guttas percenſuit undæ?
O ſi Mæonium ferrent hæc ferrea vatem
Sæcula! non iram caneret florente Thaliâ
Militis indomitam, longiſque erroribus actum
Æoliden, tu nectareis longè potiorem
Sufficeres numeris ſegetem, genioque Poetæ.
O utinam! in terris lampas Stuarta perennet;
Scotigeni Solemque ſoli non ullus horizon
Terminet; occiduas ſerò declinet in oras.
Scotia ter fœlix tanto gratare patrono;
Scotia ter fœlix tanto ſe jactet alumno;
Deliciæ rarumque decus tibi contigit ævi.
Omnibus opponas unum, quos Græcia mendax
Vendicat, aut crebris Roma imperioſa triumphis.

CAUTES MARINA, *Viri Conſtantis & continentis Symbolum, qualem deſcribit Virgilius:*

Non magis incepto vultum ſermone movetur,
Quam ſi dura ſilex, vel ſtet Marpeſia cautes.

Ad virum Clariſs. D. Ioannem Scotum à Scottis-Tarvett, Equitem auratum ac Cancellariæ. S. D. Regis Directorem.

ALta velut cautes ſqualentibus obſita ſaxis,
Quam ſubtus Nerei moles decumana profundi
Tundit, & in ſummo trifida fumantia flamma
Tela fremunt, lateri incumbit velut agmine facto
Ventorum rabioſa cohors; ſecura pericli
Nec rapidis cedit ventis, nec frangitur undis,
Sed contra firmata magis Iovis igne, marinis
Lota undis, fœdo mundata à pulvere ventis,

Caurus

Caurus ubi obſcuro deterſit nubila cœlo,
Fortiter adverſum protrudit in æquora Solem:
Talis erit, quem non immenſa vorago profundæ
Mergit avaritiæ, non igneus impetus iræ
Vrit, & Icario magnum per inane volatu
Præcipiti ducit ventoſa ſuperbia curru;
Sed nitet, his vitiis quoties obnititur, ut ſi
Fumoſis rutilum ſpectetur in ignibus aurum.
Magna incus ſtrepitus ridet, cum brachia fabri
In numerum tollunt, ſic fulmina bruta frementis
Fortunæ ſapiens ex alta deſpicit arce,
Liber & erectus caſum inconcuſſus ad omnem.
Neſcit enim rebus mens luxuriare ſecundis:
Adverſæ forſan pungunt, non lædere poſſunt.
Illa tamen cautes ſolidè fundata reſiſtens
Mole ſua, multos & duratura per annos,
Quæ mare, quæ ventos, ſuevit quæ temnere flam-
Si venti clauſi tellure, ut carcere cæco, (mas,
Luctari incipiant, rimis ſi terra dehiſcat,
Volvitur in præceps, quaſſis ſubſidere ſaxis
Incipit, & tantæ ſuperant vix fragmina molis.
Sic mens cæca hominum, ſortiſq; ignara futuræ,
Si vano intumeat faſtu, luxuve liqueſcat;
Sævis ſi invidiæ ſtimulis pungatur iniquæ;
Si premit argenti ſitis importuna caduci;
Æſtuat; & cæcæ magnæque libidinis igne,
Contemptoque Deo, fluxis confidere rebus
Incipit: in quantam heu rapitur maleſana ruinam?
Nam ſic fatidici cecinerunt plectra poetæ
Regia, cum pleno manaret copia cornu:
Dives opum, atq; opibus largos cumularet honores
Dextra Dei, cum pace daret pacis bona, curæ
Pignora chara ſuæ, cum vanum blanda fovebat
Credulitas, taleſque excuſſit pectore voces:
Nulla meam ſortem ſtabili de ſede movebit
Tempeſtas, Deus hanc immota in rupe locavit:
At ſimul avertit vultum Deus, omnia peſſum
Vergere, & in pœnis ruere, & maleſida repentè
Sors levibus, velut umbra fugax, evanuit alis.

Dulce

Dulce decus, columenq;meum,clariſſime Scote,
Spes,& opes,vitamque Deo committere,tanquam
Depoſitum ne formides; ſanctæque Sionis
Inſtar eris; non te certa de ſede movebunt
Mille hyemes nigras Auſtro glomerante procellas.

THOMÆ DEMPSTERI. I. V. D.

POEMATA.

Ducis Aurelienſis, Henrici 4 filii, Genethliacon.

HEroum ſanguis,regalis cura ſenectæ,
Expectate puer,feſſo concordia mundo,
Naſcere, pax tecum turritos cincta capillos
Floribus, Europæque ſimul naſcentur honores.
Et ſi quid tripodes poſſunt, ſi Delphica laurus,
Nuntia ſi quid habent veri præſagia,Mavors
Trans Hebrũ & Tanaim fugiet,gelidoſque Triones,
Aut Lybica nimius qua Cancer inæſtuat ora,
Pulſus ab orbe tuo, fraterno pulſus ab orbe;
Mutuus & regnabit amor,populique Ducumque.
Nuper enim, vix dum fulgente puerpera lecto
Incubuit, germen jam depoſitura beatum,
Cum coeunt populi in fœdus, genteſque cruentis
Attritæ bellis, ſtudiis concordibus acres
Dediſcunt lituos, gladiique inamabile fulgur,
Duraque in optatos convertunt pila ligones:
Non Aquilæ Auſtriacas acies in prælia ducunt,
Non armat Batavos læſi defenſio juris,
Non Venetum quatit arma fragor Romanus, at illa
Vis ingens, terra pontoque parata,reſedit.
Pax Aſiam quæſita ligat, nec pallet Orontes,
Bellica dum trepidis equitis crepat ungula ripis.
Sic Gallos fore felices iſta omina ſpondent.
Verũ hæc quid ſibi vult nocturni flamma cometę,
Regia qui magno complectitur atria gyro
Terrorem inſinuans? medicæ quid forma volucris
Expanſis alis cœlo delapſa ſereno?
Noſco omen. Verum gens averſata Tonantem,
Perfidiæ cultrix, & noſtris diſſona ſacris
Turca,

Turca, dabis pœnas, naſcens lugubre minatur
Exitium, inque tuos creſcit puer iſte dolores.
Hujus ductu, acies flamma populata ſequaci
Imbelles Aſiæ muros, captiva trophæa
Reſtituet Gallis, Byzantinoſque priori
Officio reddet proceres, Cyproque fugabit
Præſidium, Chriſto quo Græcia ſerviat uni;
Aureaque hoſtili defiget lilia campo
Nota nimis miſeris; quæque olim Carolus egit
Invicta virtute, potens ſuperabit, & eſſe
Borbonidum ſe ſtirpe ſatum non mollibus auſis
Oſtendet, divæ gentis nil degener actis. (lumbā.
Namque aquilæ imbellem nuncquam genuere co-
Quæ flammæ lucent, & quæ funalia noctem
Illuſtrant ſplendore ſuo, ſignantia partus
Gaudia felicis, tot in ignes hoſtica vertent
Oppida, tot cineres fient tellure ſubacta.
Et quæ ſulfureas jaculatur machina glandes
Terribili impulſu, fulmenque imitatur Olympi,
Qua genitor moderamen habet, inimica ruinis
Fundamenta quatit crebris. cave, lilia quiſquis
Odiſti, ſeu bellaci eſt Germania terra;
Seu Tagus, aurato qui fertur in æquora cornu.
Creſce puer, deſiderium votumque parentum,
Nobilitatis amor, dignas & concipe curas
Gente tua, & genitore tuo, & genitrice, ſubegit
Illa feros olim populos, qua Græcia lata
Porrigitur, ſiccis qua tenditur Africa campis,
Qua mites Aſiæ glebæ, qua donat Iberus
Belligeras pelago lymphas, Martiſque nepotes
Invictis ceſſere armis, nec profuit anſer,
Nec quæ turritis ſurgunt Capitolia pinnis.
Hic hoſtes, ſileo crimen civile, rebelles
Contudit, & vi devictos decoravit honore,
Inſidiis toties, & cauta fraude petitus
Privatis laribus, toties per prælia victor,
Dum cava bellaci reboarent tympana pulſu,
Nec bello gaudens niſi juſta coegerit ira.
Scis iſta Allobrogum rector, ſcis iſta Philippe.

Cui ſimilem quondam ſi ſæcla priora tuliſſent,
Nulla Cleoneos jactaſſet fama labores,
Nec poſitis aris voviſſet Thracia Marti.
Hæc Coſmos habet, & Petros in ſtemmate ceræ
Hetruriæ Dominos, queis, ſeu pacata Camœnæ
Otia, ferali cantu ſeu rauca vocarent
Cornua, prima togæ laus eſt, non ultima Martis:
Carolus Italiæ fulmen fatale, cruore
Decolor, hoc loquitur, qui Piſas alluit, Arnus.
Hos preme dum tenero veniat robuſtior ætas,
Et regis germane tui, procepe ſecunda
Alite, Tyndareo geminum ſeu ſydus ab ovo,
Seu quales dederat quondam gens Flavia fratres.
Dumque patrem addiderit Divis matura ſenectus,
Et ſerum ſydus dabit immortalibus aſtris:
Conſpirate animis paribus, quo Gallia pace
Floreat, & ſpretis reddatur gloria Muſis,
Aurea formoſis & currant ſæcula penſis.
Et ſemota quatit dubium diſcordia mundum,
Aut Gallos iterum peregrina laceſſat Enyo;
Ite alacres, quo exempla vocant gentiſque patriſq;
Eſt vobis quæ nobilitas comitetur euntes.
Quicquid ſigniferi comprenſum eſt limite cycli,
A Meroe ad Boream, fraternis pareat armis.
Nilus ubique fluat vobis, & Phœbus Olympo
Quas videt exoriens, aut dum declivis in undas
Labitur, agnoſcant Francorum Lilia gentes.

Expoſtulatio cum Neptuno ſuper diluvio Anglicano, Anno 1607.

IMprobe Cyclopum genitor, deterrime fratrum,
Vna tridentiferi cui tantum gloria ſceptri,
Quid tibi cum terris? neque enim olim hæc ſorte ſecunda
Ceſſerunt loca, ſed glauco cum gurgite pontus;
Et cete, & tumidis percuſſa Ceraunia nimbis,
Vt dirum involvas vi tempeſtatis Vlyſſem,
Vt levet inviſis ultores Nauplius ignes,
His tua ſimitibus concluſa potentia quondam.

At

At nunc,proh facinus! ſinerent ſi fata, ſupernas
Præriperes fratri ſedes, hominumque ſub undis
Deleres genus, & pecudes, ſaltuſque feraſque
Aeraque, & liquidum qui cætera circuit ignem,
Complecti cuperes gremio. Primordia cladum
En pavidas terrent gentes, nam fortibus olim
Terra potens armis, altrix animoſa virorum,
Dividuo Nereus quam mundo ſeparat æſtu,
Mergitur, & vitrea pelagi latet obruta mole,
Quæ toties hoſtilem aciem, quæ Cæſaris arma,
Quæ formidati victricia ſigna Severi
Contempſit, Danoſque inſueto more furentes
Sanguinea preſſit dextra, juguliſque litavit
Inciſis libertati; quæ lilia pene
Subdidit, ut taceam civilia bella,triumphos
Dedidicit clade inſolita, dum gaudia mœror
Penſat inauditus, & quæ promittere certo
Terrarum imperium poterat ſibi,rege Iacobo,
De quo veridici poterunt dixiſſe nepotes:
Doctus Homerus hic idem, atque idem hic fortis
Achilles;
Qua Naſamon Syrtes aperit,qua bruma coercet
Concretum Tanain,qua flat Nabatheius Eurus
Frigidus, & Zephyrus declivi ſole tepeſcit,
Hei! perit, inque unam coeunt elementa ruinam
Omnia. Nuper enim diro ſub ſidere Cancri,
Aëre corrupto, tabes graſſata, ſub Orcum
Patricios, plebemque ſimul tulit, igneus ardor
Pulvere ſulfureo clauſus, præbente latebras
Occulta tellure ſuas, ut conſcia facti
Eſſe videretur, proceres, ipſumque ſceleſta
Fraude caput regale prope abſtulit, & ſimul omnē
Hæredis ſpem ſurgentis: jam cladis aquarum
Inviſa argumenta patent, dum vincula laxat
Fluctibus Oceanus, dum fontibus ora revelat,
Lata ut fertilibus ſpolietur Wallia campis,
Et prius elatæ lateant ſub gurgite turres.
Ignis, terra, aer, pontus conſpirét, Olympus
Avertat clades, & quod Natura minatur
Exitium,

Exitium, Dominus naturæ ſolvat,& Auſtris
Portandum tradat, nulla ut monimenta ſuperſint
Vulneris accepti. Sic cælo autore, Iacobo
Parebit longum ter fauſta Britannia Sexto.

Epithalamiū in Nuptiis Iacobi Comitis Perthani, D. Dromondi; & Iſabellæ Roberti, Comitis Wintoniæ filiæ.

LÆta oculos, ornata comas, nudata papillas
Cypris, Acidalios luco egreſſa, ſecundi
Regna Iovis, cunaſque ſua, rerumque parentem
Nerea, cognataſque parans inviſere Nymphas
Ibat, olorinis devecta per aera bigis:
Quas quondam inſano nimium devinctus amore
Mulciber, uxori gemmis variarat,& auro,
Mirandaque ipſis Divis cælarat ab arte.
Et quacunque volat currus, qua nubila ſignat
Orbita, fragrantes pingunt violaria campos,
Totaque Pæſtano veſtitur terra decore.
Fræna regit Levitas, & læta fronte Iuventas
Ducit aves, & molle quatit per colla flagellum.
His Error, timidiſque favens Audacia votis,
Accedunt comites, & ſpinoſo agmine juncta
Cura ſatellitio, preſſaque Silentia voce;
Spes cupidæ, blandæq; preces, nutuſque loquaces,
Et gravis Anxietas, & Luxus prodigus auri,
Otiaque & ſpreto Perjuria numine Divûm.
Nec procul Inſidiæ, Pallorque,& Luctus amictus
Dilanians, pannoſa gradus adjungit Egeſtas.
Ante rotas pennata cohors coit agmen Amorum,
Furtivo occultè quos edunt pignore Nymphæ.
Hic telis nervoque minax, hic lampade pollens
Captivam impellunt mentem, atque in retia ducunt,
Hic affatu blando inſpirat in oſſa furorem.
Mille ævo ſimiles, nec forma diſpare fratres,
Nudi omnes, alati omnes, ac lumine caſſi,
Vt matri placeant, glomerata nube feruntur,
Et picturato deſcribunt aera gyro.
Eſt tamen ante alios forma præſtante Pyropus,
Ore nitens pulchro, collaudanduſque juventa,

Hic ſpeculum Dominæ præfert, quo ſæpè recurſet
Oris honos, & ſæpè decens varietur imago.
Iamque erat ad littus ventum, cum mollia ſeſe
Marmora ſubſternunt, nec jam Ceyce perempto
Ingemit Halcyone, ſed continet Æolus auras,
Nec furit inſanus Boreas memor Orithiyæ.
Præſto erat & Triton, bijugo delphine ſuperbus
Neptuni liquidas dominam vecturus in aulas.
Colla jugo ſubduxit olor; Paphiæque volucres
Exultant, paſſimque in ſicco littore ludunt:
Cum ſubitus juvenum plauſus, lætique tumultus
Argumenta Deam invitant, cum flamine crebro
Turbidus apparet pictis argenteus alis
Filius, & jam verno Hymenæus flore revinctus.
Hunc comitem ſacrorum, aſſertoremque pudoris
Cecropidæ thalami numen fecere jugalis.
Illa prior: Quæ tam manifeſto gaudia vultu
Apportas dilecte puer? num Latmia Phœben
Rurſus in antra trahis? fratrem aut fugiente puella
Præcipiti Peneja rapis per devia curſu?
An dominum cœli mutatum in cornua Tauri
Induis, aut Satyri faciem? ſtygiique latebras
Pertentans ſolii, manes, ſortiſque ſupremæ
Hæredem in ſuperas educis luminis auras,
Vt velit Ennæi genialia fœdera lecti?
Certè aliquid magnũ eſt, quod ſic feſtinus anhelas,
Nec fruſtra vacuus telis, arcuque remiſſo
Nate venis fixò hic in terram lumine. Mater
Nunquam lætitiæ tanta, inquit, cauſa, nec unquam
Poſt bella, emeritus redii majore triumphò.
Progeniem noſti Drommondæ ſtirpis honoram,
Nec te antiqua fugit Setonæ gloria gentis:
Has ego conjunxi, ſparſiſque in pectora telis,
Legibus ut thalami vellent parere coëgi.
Illa rudi jaculo perſtricta, hic lampade tota
Accepit gratum reſolutis oſſibus ignem.
Qualiter æquævo religatam palmite vitem
Vlmus obit, jungenſque nemus complectitur arcte
Brachia dilecti trunci, dum fertilis adſit

Autumnus,

Autumnus, ſocios gaudens geſtare racemos;
Talis erit juvenum certo concordia nexu.
Non hederæ amplexus, non vincent baſia conchæ.
Vtraque digna domus, tituliſque inſignis avitis
Præradiat ſplendore pari, nec dicere promptum,
Quæ prior aut meriti menſura, aut temporis ævo.
Drommondos erexit avos quondam inclyta virtus
Caſibus in duris, tum cum truculentior hoſtis
Arma Caledonios inferret iniqua per agros,
Sanguineas Bellona faces, haſtaſque vibraret
Inſano Mavors ſtrepitu, fluvioſque cruore
Mutans, cæruleo miſiſſet nuntia patri
Heu! ſæva, infectis truncata cadavera rivis:
Inde favor certus longinqua in ſæcula regum.
Ecce autem quærenda fuit, quæ ventre beato
Ederet hæredem ſceptri. Iam certa per omnes,
Vt mos, Europæ diſcurrit cera potentes,
Nuntia formoſi vultus, tabulæque loquaces
Nativum exhibuere decus, ſed principis ardor
Non ultra Oceani fines, ſua regna, vagatur.
Digna Anabella thoris legitur regalibus una,
Olim Ferguſio magnos paritura nepotes,
Ardentes quorum velarent tempora gemmæ,
Quas neq;Septimius princeps,neq;bellicus horror
Saxonis, aut motis temeravit Pictus in armis.
Ex hac invictum ducis genus inclyte princeps,
A quo magna petit jamdudum Europa,Britannus
Cui primo mundus juncta ditione cohæret,
Qui Scotum atqueAnglum nullo diſcrimine nectis,
Vt lætata ſuum ſubmittat Iernia ſceptrum:
Forſitan & fines alio ſub ſole jacentes.
Qui ſi doctrinam ſpectes, contendis Homero,
Si magnos animi motus, non cedis Achilli.
Se reliquæ jactent gentes quod nomina adornet
Sola virûm virtus, cum ſævus prælia Mavors
Poſcit, & alterno tuba clangit triſtia cantu;
Vnica fœmineo domus hæc decorata pudore
Clara per Arctoas diffundit ſemina gentes;
Atq; ideo genitrix, charum hoc mihi ſtemma,tuiſq;
Militat

Militat obſequiis, Paphioque inſervit honori.
Setonos manifeſta fides, cladeſque ſuorum
Erigit, & proceres inter locat ordine primo,
Ex quo Malcolmus diſtinxit nomine certo
Magnates, terras illis, & jura daturus.
Illi arces Drumfriſa tuas, fineſque Brigantum,
Invicti tumulum Galdi, tractuſque Silurum
Virtute eximia defendere fortiter auſi,
Dum quateret pręceps noſtrum diſcordia mundum,
Ante duces alios, & tum unica fulmina belli.
Dicite Clydſdalii putres ut vomeris unci
Diſſiliant ictu galeæ? raſtriſque retuſis
Oſſa peremptorum reſonent? hæc funera Scotus
Setono ductore dedit, ſcit Glotta cruore
Decolor, & Scoticæ pridem Tueda arbiter oræ.
Illius ad ripas, dum Regis juſſa capeſſit
Indubitata ſui, dum muros ſtrenuus olim
Propugnat Bervica tuos, duo pignora junctim
Ante oculos, crucibus figi videre ſub altis
Infælix pater, infortunatiſſima mater,
Lumine ni ſicco facinus ſpectaſſet uterque.
Illa prior pariturum uterum, Divoſque ſecundos
Clamabat, viridemque ſibi ſupereſſe juventam,
Nec tanti prodenda ideo commercia regni.
Ille ſtudens miſero civem præponere patri,
Servavitque urbem, ſervataque urbe coronam.
Iam Brutum conferre ſile ſuperata vetuſtas.
Enecat ille ſuos, meritos, ne perderet urbem,
Innocuos hic occidit, ne proderet urbem.
Longa dehinc ſeries Comitum, longuſq; nepotum
Ordo fluit, dum jura domus, & frena recepit
Sponſæ avus, ante alios tanta virtute relucens,
Aſtra minora premit quanto fulgore Diana,
Cum pleno cornu fraternis æmula flammis
Emicat, & ſocium jam tum partitur Olympum.
Ille ſagacem animum, magnique capacia geſtans
Pectora conſilii, dignus cui pondera regni
Credenda, ac tantæ commendarentur habenæ.
Vnus erat, cui Rex partiri gaudia ſuetus,

Partirique metus, legati nomine, Francas
Intravit, mandata ferens regalia, terras,
Liligeri renovaturus concordia regni
Fœdera nobiſcum: nam magnis pronubus actis
Franciſco junxit Mariam, plenoque favore
Inde redit Regum. Socium comitemque laborum
Duxit Alexandrum, qui magna mente diſerti
Spem patris implevit natus, quem Daunias ora,
Et ſeptemgeminas muro quæ protegit arces,
Sæpè admirata eſt, patriæ columenque futurum,
Splendoremq; domus quondam, cui prima Senatus
Munera purpureus digno deferret honoris,
Et primum à magno veneretur Scotia Rege,
Tanto alios virtute parentem vincere, quanto
Nobilitate premit reliquos, & ſanguinis ortu.
Nec jam patre minor, qui vinci gaudet ab illo:
Ægea ſic Theſeus, ſic Pelea vincit Achilles. (gunt,
Quidni ergo, genitrix, jungas, quos ſtemmata jun-
Quos ætas formæq; tenor? namque hujus, & hujus
Gratia tanta beat vultus, ut talia priſcis
Corpora ſemideis dederit non pagina vatum.
Illa pedes Thetidis, ulnas Iunonis, ocellos
Penè tuos ſuperat: collecta modeſtia frontis
Dianæ non ſuccumbit, molliſque decoræ
Margo comæ & blando ſuffuſus ſanguine candor
Præterit antiqui cunctas heroidas ævi.
Ingenuos taceo mores, & amabile mentis
Submiſſæ ſtudium, qualem ſi ſæcla tuliſſent
Priſtina, non blandas paſtor tentaſſet Amyclas
Dardanus, egregioſque ad bella citaſſet Achivos.
Nec tua ſecuro cepiſſes præmia voto
Laudatæ formæ, nec dura lege procorum
Concilium celebraretur, Piſiſque tremendus
Curreret Oenomaus, nec te Hippodamia ſuperbo
Axe Pelops veheret, nec te jam Atalanta fugacem
Falleret Hippomanes pomo, nec vellet Iaſon
Colchida ab irato raptam divellere patre:
Nec pulchri Herodice peteret certamina curſus.
Sorderet roſeis Tithono Aurora quadrigis,

Nec

Nec Phrygiæ cuperet connubia perditè Achilles,
Laertæ natum caperet nec forma Calypſus.
Spectandæ huic etiam formæ contingit & oris
Pulcher honor,placidaque armatur fronte,virili
Lege pudor,terrore genus,ſexumque fatenti,
Cynthia ut Hippolytum poſſet damnare reductum.
Sive fugacis equi expertis moderatur habenis
In gyro ſtudium, ſuperat non Theſſalus illum,
Non gemmata niger qui fert velamina Medus.
Sive ſagittandi,vocet area,Parthus inanem
Traderet huic arcum,Suſiſque ſilentibus iret
Victus Achemenius,nec Cretes nomen haberent.
Sive lubet blandum alternis errare choræis,
Et motu trepidare levi,terramque tenello
Sollicitare pede,ſeu libera nexibus,unâ
Virgo eat,aut ſolus ſpatio decurrat aperto,
Aut junctim,capreas,ſaliens,imitetur in altum,
Gloria prima illi. Scit fulvo concolor auro
Hoc Tagus, & juvenē jam tum mirate Philippe es.
Ad te cum Regis ferret mandata Britanni,
Multa ſuper pacis leges,& fœdera dictans
Legatus;comes hic dignus datur unus eunti,
Cum nondum lanugo tenella inveſtiit ora,
Vt junctum credas Bromium radiare Tonanti.
Hic quoties Nymphæ ſtupuiſtis Iberides,illum
Lento ſæpè gradu,celerique volumine ſæpè,
Huc illuc variis errantem ambagibus,oris
Turbine confuſum,& pulchro ſudore madentem,
Quando blanda hilares iteraret tibia cantus?
Multæ illic,memini,ſponſum optavere,Britannæ
Multæ illum cupiere procum, ſed mente pudica
Reſtitit,& patrio ſe conſervavit amori,
Amplexuque Iſabella tuo,nec vile laboris
Eſt fateor,meriti pretium.te propter,& aurum,
Te propter contempſit opes,quas Angla dediſſet
Majores,ante has te vel cupiiſſet inanem.
Martia tela manu,ſimulachraque ludicra belli
Armatoſque choros tentet,juraveris eſſe
Martem ipſum,tanta eſt doctæ experientia dextræ,

Sive ictus vitare paret, ſeu reddere certos,
Talis erat Pollux, talis Tyrinthius orbem
Edomuit, primæ ut ſerpſit lanugo juventæ.
Non referam, ut ſectis qua lata Lutetia muris
Gyratas ſpectat mediis penetralibus undas
Sequana amœne tuas, ſub præceptore diſerto
Duravit ferratam hyemem, & ſudavit ibidem
Æſtatem fervore pari, nullumque remiſit
Officium, Stagyræas victura latebras
Mens avida,ingeniumq;capax. Hic quicquid honoro
Carmine,vel Smyrnæ nobis mandavit alumnus,
Divite vel Latii vena cecinere Poetæ,
Hauſerat, & primos Muſis ſacraverat annos.
Indomitæ Pelidæ iræ vis neſcia flecti,
Invictuſque Ajax, & dux Agamemno,potentis
Infælix aurum Priami, pugnæque Deorum,
Bellaque, & exhauſti fatali Marte labores,
Qua triplici monſtranda jugo latet inſula ponto,
Cyclopum domus, & Cereri gratiſſima tellus,
Qua jacet arentes denudans Africa campos,
Qua Numidæ referant tractus ſitientis arenas,
Qua colitur duris Hiſpania nota triumphis,
Qua rigor æternus montes contriſtat, & ora
Danubii longè oſtentat, qua Gallia pugnax
Indigenas ditat felici meſſe colonos,
Quaque habitat longi frænator Sarmata conti,
Pannoniuſque redit defoſſo concolor auro,
Omnia nota illi teneræ ſub flore juventæ.
Nec ſatis. Vnde tonent nubes, quæ ducat origo
Fulgura, cur pontus præſcriptis æſtuet horis;
Quæ cauſa obſcuret Phœbum,quonam igne cometa
Ardeat, & pavidis feralia gentibus arma
Inferat, & mediis acies committat in aſtris;
Vnde fluant venti,fluvios an viſcere mittat
Terra ſuo? quo fit pacto nix nube ſoluta;
Ludus erat puero, hæc & ſcire,& voce referre.
Quid ceſſas igitur, juvenum quid vota moraris?
Dignus uterque tuo præſenti numine certe eſt.
Dixit, & amplexæ ſurrexit ad oſcula matris.
Subji-

Subjicit hæc; Optata quidem mihi nate reportas
Nuntia, & ipſa adero quantam me turba per aras
Humana Idalias veneratur ſupplice cultu,
Aut videt in magno quæ clauditur æquore Cypros.
Et vos qui matris pharetras optatis habere
Munera, vos pueri, diverſis partibus ite,
Ite citi, volucrique Euros prævertite penna:
Et Nymphas, quocunque latent ſub gurgite,noſtris
Excite imperiis, feſto huic & adeſſe jubete,
Quo non in terris melior, ſeu marmore dulci
Claudant ſtagna illas, ſeu lympha lene fluente
Poſſideant fluvii, ſeu fons argenteus orbe
Detineat puro, aut ſalſis Euripus in undis
Tergeminus. Vos occiduæ penetrate receſſus
Tethyos, unde genus genti, qua nutrit Ierne
Fælices Cereri glebas, vos ite ſub ortum
Belligeri qua regna ſoli creſcentibus undis
Verberat Oceanus, vos qua gravis Vrſa nivali
Parrhaſis aſpectu contriſtat frigore pontum,
Et prius ignotam Romano milite Thulen.
Efficite ut coeant, quas glauco Speius antro,
Quas Ithanus habent, quas Bogius,& freta ſacra
Pictorum, quas Devianus non ultima regni
Gloria, ſed princeps undarum in partibus illis,
Arcibus impoſitis fælix, portuque decorus.
Quæ Donam Dejamque habitant, ubi divite cultu
Regnat, & una ſibi fecit ſacraria Pallas,
Et gemina aëreas arces Abredonia tollit,
Quæ non Maſſiliæ, quæ non ſuccumbat Athenis.
Eſcorum quas ripa tenet, quas Irvenis urna,
Devehit ingenti quas Forthius amne, quietus (niſi
Quas Tueda,& quas Glotta humentibus educat ul-
Et ſi quæ invento perfundunt ora metallo,
Argenti qua vena fluit, qua Scotia gaudet
Ditior,& Lydii fontes jam provocat Hermi.
Quas aluere ſua lymphæ Setonides aula,
Quæ placido tractu convallem,hortoſq; pererrant,
Alcinous quos miretur, blandoque ſuſurro
Prætereunt Francam referentia mœnia formam,

Quæ conceſſa tenes virtute & ſtirpe Georgi,
Germanus ſponſæ, & tantæ ſpes optima gentis.
Præcipuè ante alias adſint, quas Taius audit
Cærulus, & glauca vittatus arundine frontem
Ludentes ſpectat, qua ſponſi mœnia multis
Exſurgunt poſſeſſa atavis, ubi nomine honoro
Pertha potens apicem turritum ad ſydera tollit,
Atque hinc è muris campos ſpeculatur æmœnos,
Hinc gratam Neptune tibi, navalia, ſedem.
Interea geminas tu Gratia necte coronas,
Pinea fax vobis, pueri, geſtetur, & ignem
Iungite aquæ, vos ſollicitum tectura pudorem
Flammea virgineis ricamque aptate capillis,
Ipſa ego conſeſſu medio procerum populique,
Non diſſolvendo firmabo fœdera nexu,
Inque domum ſponſi trepidantem pronuba ducam:
In cœlis decimo cum Luna refulſerit orbe,
Vt Drommontiades genibus conſidere patris
Poſſit, & hæredem tantæ promittere genti:
Ætate & viridi, formæque manente decore
Vivendo, ſuperent hic Neſtora, & illa Sybillam.

Panegyricus Auguſtiſſ. Potentiſſ. Principi Iacobo I. Britanniar. Franciæ & Hiberniæ Regi.

EXactis ſæclis ignota Britannia, vaſto
Clauſa mari, reliquis jam formidata Monarchis,
Auſpiciis, Auguſte, tuis, quem gloria ſceptri
Faſtigat triplicis, crucis & radiantis imago
Aurato claudit diademata martia limbo.
Scilicet Arthuri jam viiis fabula ſordet,
Britonidum & ridenda fides ambage remota,
Dum gentes animis ſemper diſcordibus actæ,
Sanguineiſque agitatæ odiis, cupidæque cruoris
Alterni, optatæ coeunt in vincula pacis.
Te duce, dum Regem communi voce ſalutant,
Quo nil produxit Natura auguſtius unquam,
Nec dabit, etſi omnis redeat ventoſa vetuſtas,
Egregioſque duces & Roma & Græcia jactet.
Hinc Leo fulmineos oſtentat belliger ungues
Armatus

Armatus terrore truci, Dominoque benigno
Invictos offert Romano fulmine Scotos:
Stemmate vicino radiat Leopardus in auro,
Concordique animo bellaces dedicat Anglos,
Oceani Dominos, victores gentis Iberæ:
Hinc peregrina ſuo ſe tollunt Lilia campo,
Lilia per populos multum veneranda ſubactos:
Et Lyra devotam jam tandem ſpondet Iernen.
Et Roſa Eboracum Lancaſtria jungit amicum.
Te Regem Leo, Ductorem Leopardus, Olympo
Lilia per-charum inſinuant, Lyra grata Camœnis
Ornat regalem vernanti Daphnide frontem;
Et Roſa florentis promittit tempora vitæ
Intemerata tuæ, ſemper fragrantibus annis.
Quos igitur titulos, quæ digna encomia tanto
Principe, quas primum depoſcis Delie partes?
Illuſtres atavorum ortus, & nobile ſtemma,
Sint alii qui fortè canant majoribus orſis:
Imperii qui fræna ſui juſto ordine centum
Et ſeptem regum, viginti ſæcula retrò
Fœlici rexere manu, queis gloria ſolis
Non interruptam ſeriem tenuiſſe regendi,
Et non externos unquam timuiſſe furores
Milite confiſis proprio, queis Gallia debet
Fœdera. Qui primi amplexi ſacra dogmata Chriſti
Incola queis terræ propè portio tertia noſtræ
Succubuit Pictus, dubiis qui Saxona ventis
Venturum pepulere acie, Gepidæque Getæque
Non auſi tentare vadum, nec terror Alani,
Chumnorum aut feritas patriis deterruit armis.
Quin quæ fatali percuſſit fulmine mundum
Vis Romana, aquilæque truces,lenti agmine haſtas
Hoc tandem fixere ſolo, patrumque tuorum
Vel timuere manus,vel amicæ fœdera pacis
Mercatæ pretio ingenti, divortia valli
Oppoſito ſtatuere jugo.Verum iſta loquantur
Annales, me propoſiti petit orbita voti.
Aurea formoſo jam Parcæ ſtamina filo
Ducebant, cum te genitrix ſanctiſſima mundo

In Tyrios enixa toros, contagia ſortis
Privatæ fugere procul, tibi purpura vitam
Imperiumque dedit, miles jactantior alto
Suſtulit in clypeo, cunas ſeu numen adorans,
Et Dominum inclamans. Sed enim civilia clangunt
Bella tubæ, ſciſſumque quatit diſcordia regnum,
Tu certaturis genius, pugnantibus augur
In cunis rexiſti acies, regalia fata
Et divi pepulere hoſtes, victoria præceps
Velocem inclinata gradum, cunabula blandis
Vt Macetum referunt regem, complectitur alis,
Rectumque imponit puerili fronte tiaram.
Iam ſolidam pacem, te præſide, Scotus habebat,
Et gladii lituique procul, tu marcida luxu
Otia, tu ſomnos longè propellis inertes,
Et teneram informas mira virtute juventam,
Vel latos canibus ſaltus ſcrutatus odoris,
Ductorum exemplo veterum, ſi caſtra vocarent,
Venturi unde tibi belli formetur imago;
Aut nemore egreſſus ſedato pectore Muſas
Aſſiduo amplexus ſtudio, jam non modo reges
Sed mage privatos vivacis acumine mentis
Exuperas. Quicquid peregrino milite geſſit
Græcia, Perſarum ruerit qua mole tremendum
Imperium, quæ vis Medos in jura coegit
Extera, & Aſſyrius cecidit quo turbine rector:
Roma triumphato quid nobile geſſerit orbe,
Aut equitum alatis turmis, peditumque catervis,
Exhibitura aquilas, oſtentatura triumphos,
Quaq; oritur, quaque occiduis Sol conditur undis,
Et qua ſquallentes attollens avia campos
Africa, ferali coquitur fœcunda veneno,
Et qua conſtrictus Boreali frigore pontus
Egelidis aperit immania monſtra ſub undis;
Scire tibi tum ludus erat. Iamque indole mirâ
Hauſiſti quas cælat opes vel Graja poeſis,
Vel Romana tegit Phœbo ductore Camœna:
Pergama qua cecidere acie, quis terror Achillem
Bellacem armarit, reduci quis caſus Vlyſſi
Ædibus

Ædibus in propriis infamia detegat acta:
Qui blandi Didus ignes, quæ fata Creuſæ,
Et quo corruerit moriturus vulnere Turnus:
Quid profugum Æneam Laurentibus intulit arvis,
Et gentem Aſcanii toto circumtulit orbe,
Hæ tibi delitiæ primæva ætate fuerunt.
Prima rudimenta hæc doctrinæ, & ſemina prima,
Quæ te mirandnm reliquis potuere Monarchis
Tradere. jam ſcripto vivacia ſpargere famæ
Omina moliris.clarum & memorabile magnis
Regibus exemplũ,Auſtriacus quid in æquore prin-
Naupacti,cruce prælatâ, & cæleſtibus armis (ceps
Geſſerit,inſigni cœpto Mahomete ſubacto,
Egregius Phœbo & patrio ſermone recludis.
Ergo agite,atque uni reliqui concedite Reges
Doctrina, & famæ ſtudio, & fælicibus actis.
Magnus Alexander,fateor, geſtabat Homerum
In medias acies, Panæti gloria magno
Inclyta Pompejo eſt, æternis Iulius auſis
Sacravit Domini titulos, Thebaſque redemit
Servitio infami ductor, ſex luſtra ſophorum
Decurrens ſtadio: ſed & hos componere veſtro
Non auſim merito, major tua gloria princeps.
Hunc nempe ebrietas, odiiſque ſuperbia juſtis
Infamat, cæſique duces, privatus & illi
Ortus, & immodicum ſtudium popularibus auris
Impelli prohibent laudes æquare Iacobi.
Alter calvitio, fœdaque libidine turpis,
Civibus & cæſis damnatus voce Senatus.
Hic ſæpè imperio exutus, nil nobile ſcripſit,
Propter quod cupiat famam ſperare nepotum.
Verum commendat vitæ te ſobrius uſus,
Affatuſque humiles, & ſpe clementia major,
Contemptuſque auræ popularis, regius ortus,
Charior & propria procerum tibi vita tuorum,
A cunis geſtata manu & fælicia ſceptra:
Nec minus infamis Veneris procul acta libido
Te ſanctum & purum loquitur, non ulla cubile
Fœmina conſcendit, niſi quæ conjuncta jugali

Igne tibi eſt, etſi multum formoſa Britanna
Aſpectu invitet blando, te vitrea Circe
Nuncquã expugnavit; non forma venuſta Calypſus,
Cantata aut Lais. Vis inviolata pudore
Intacto conſtat, quare hæc tibi gloria ſoli eſt,
Auguſtos ſervaſſe thoros à labe pudenda.
Æqua tuis ſint fata, precor, regalia votis,
Et tenor inceptus longos perduret in annos,
Sitque domi tibi tuta fides, meritoque tuorum
Indubitatus amor peregrinos terreat hoſtes.
Nomen & æternum plaudenti fama volatu
Te ferat in populos longinqua gente repoſtos.
Munificæ regem dextræ, te pacis amantem
Armati timeant, & quæ per luſtra corona
Ornavit bis dena comas, totidem impleat annos
Fælici ſtadio; ſic plena ætate verendus
Civium amor, terrorque hoſtis, & gloria ſæcli
Debita magnanimo tradas diademata nato:
Et capias dignam cæleſti ſede quietem.
O faxint ſuperi! poſcat non irrita vates.

Divinatio ad Auguſtiſsim. potentiſsim. Regem IACOBVM VI.

ERgone damnatis ego ſydera verſa querelis
Exagito? votique reus ter ſurda laceſſo
Numina? nec patrio dudum exaudita Tonanti
Vota, preceſque meæ? dum ſexta recolligit ignes
Cynthia, me ſors fruſtratis ambagibus actum
Diſtinet à ſtudiis, & ſpe blanditur inerti,
Et famæ illudit. Quæ trux injuria dirum
Præſtitit officium? cur Regis verſa voluntas
Tam ſubito caſu, ſperataque gratia fluxit,
Et propè deſtituit? Thema num genitabilis horæ
Obſtitit, inſcripto facies & diſſona cælo,
Lumine num ſtellæ natum videre maligno?
Sed mihi Mars, ſed Mercurius, ſed Iupiter, ore
Regali, charum promittit Regibus ortum,
Naſcentique favens, ſpatioſum circinat orbem.
Carmine an offenſa eſt, & ſunt hæc veſtra ſorores

Crimina Pierides, quas falſa intexere chartis
Non puduit, mentituris & inania biblis
Condere? Ter magni ſed vera encomia Regis
Pagina noſtra habuit, nullique obnoxia fuco
Nomina, quæ poterunt ſeri laudare nepotes,
Quæ fruſtra attentat livor furialibus auſis,
More gigantæo temerans cæleſtia linguis.
Principis anne animus Muſis averſus,& illa
Sordet,honorato quæ ſplendet Apolline turma?
Nullaque virtuti ſtatuuntur præmia digna?
Calcatæque jacent nullis & honoribus artes?
Vindice quæ ſuevere illo caput ante levare,
Vnica & à cunis cura eſt coluiſſe Camœnas,
Et quicunque ſacro delibat fonte liquorem
Virgineum, aut caſta complectitur Orgia mente.
At malè diſplicuit fortaſſe ignobilis ortus,
Contemptumque genus, curis regalibus impar
Indignumque legi. Sed enim clariſſima gentis
Fax mihi præradiat, tituliſque inſignis avitis
Tollo caput, patrum generoſaque ſtemmata jacto,
Queis præfecturæ titulo Buchania pridem
Paruit, & modico quæ ſurgit Banfia colle,
Notaque Dempſteris per ſæcula Deurona quinque.
Illic ampla domus, turritaque mœnia pinnis
Stant mihi, & à proavis dimiſſum ſtemma:paterni
Hic tituli, & patrio numeroſi more clientes.
Fortè tenax manus eſt,& dextera parca Monar-
Atque exhauſta novis æraria regia damnis, (chæ,
Et victus ſumptu fiſcus. Sed prodiga nulli
Mens magis,electis quippe omnia donat amicis
Verus Alexander,regni contentus honore,
Inque animis hominum veras ſibi ponere dudum
Suevit opes. Comites illic prædivite cenſu,
Iſthic Barones quos vexit ad ardua virtus,
Et favor, hic Equitum fulget longiſſimus ordo,
Nobiliumque greges alii, donante Iacobo,
Qui jam divitias amplas, tituloſque decoros
Sortiti,Regem largumque bonumque loquuntur.
An ſtudiis noſtris tacitum atque ignobile nomē,

Quod Rex contemnat, cui multos præferat aula,
Et docti ignorent? Sed me Lutetia claris
Annumerat, mea Palladiæ ſunt nota Tholoſæ
Nomina, me vitreo quæ lucet fonte Nemanſus
Obſervat, libris Germania, & utraque novit
Heſperia, orcheſtram quatio ſeu ſyrmate longo,
Sive ſtilo heroo chartas implere capaces,
Seu numero traxiſſe libet graviore ſeveros,
Pagina cenſoris ſeu poſcat adultera virgam,
Quæ malè pugnabat blattis: Romana vetuſtas
Reddita ſplendori priſco me vindice gaudet.
Claudianum, Ælianum,famaque minore Corippum
Qui leget, agnoſcet genium. Sed maxime princeps
Num cenſura tua hæc? Nemo te doctius iſta,
Scripſerit, Hiſtorici noſtri tu nomen habeto.
Ergo quid avertit ſenſus, quis nubila menti
Induit, & deſperata caligine Solem
Obduxit? cum ſperarem fauſtiſſima, nigro
Turbine convolvens non læta fronte Tonantem?
Agnoſco invidiæ rabiem, livoris acerbi
Tela, venenatis medicataque toxica linguis:
Non video dextram, ſed vulnera fortius acta
Sentio, Achilleæ ferrum quàm cuſpidis egit.
Ecce hoſtile fremens odium; ſpumante veneno
Improba dum abſentis torreret corpora febris,
Et calor Ætnæo coqueret furioſior antro,
Me malè traduxit, ſimulataque crimina finxit
Forſitan; ut facilis poſſet me odiſſe Monarcha.
Sic roſa cantharides inter, ſic lilia duris
Surgunt mixta rubis. Sed nil moror iſta nocentum
Conſilia, & frangi turpe eſt à ſorte maligna.
Altior eſt mihi mens, ſupra & ludibria ſenſus,
Talia nec curat Princeps objecta libenter,
Forſan venturis olim placatior annis,
Dum Proſagogidæ,dumque aulica muſca faceſſant,
Nec jam opplere volent aures rumore ſiniſtro,
Et mihi honos, & opes,ſtudiorum & nobile nomen,
Dent modo fata dies, venient regione remota,
Et liber calamo campus, quo currere poſſit,
Egregioſ-

Egregioſque loqui Reges, exactaque ſæcla,
Et placido optatam componere fine ſenectam.
Salve ergo æternum (princeps auguſte) quietus
Et fælix regnes, munitus amore tuorum,
Et tua poſſideant non nati ſceptra nepotes·
Imperium latum genti ceſſura Britannæ.

Ad Illuſtrem virum D. Robertum Hayum, Iacobi Fratrem, Regi à Purpura.

QVærebam qui ſubſidium mihi ferret, & aurem
Accommodaret Principis,
Et Pæan, Hayos adeas, par nobile fratrum,
Meo dicatos nomini:
Illi alios fovere meos. Tu perge mereri
Deique verba fac rata.
Sic qui homines pridem officio vincire ſolebas,
Iam numen ipſum hoc obliga.

In obitum Nobiliſsimæ Fœminæ Henricæ Baſſompierrææ, conjugis Illuſtriſſ. & Nobiliſsimi viri D. Timoleontis Deſpina Saulucii.

ILluſtris ſi ſtirpis honor, ſi gloria formæ,
Si caſti mores, ſi mens muliebria ſupra,
Gratia cum teneris annis ſi juncta decori,
Si pietas, vigileſque in charo conjuge flammæ,
Et tanto placuiſſe viro, feralibus umbris
Eriperet, Ditiſque auferret jura ſeveri;
Quæ tibi nocturnos gemitus, quæ triſtia defert
Timoleon, ubi purpureo ſol fulſerit orbe,
Viveret, & caſtos tecum ſociaret amores,
Legitimoſque Henrica thoros: ſed ferrea Clotho,
Proh dolor! in medio diſrupit ſtamina curſu,
Abdidit atque tuum ſolamen marmore cippi:
Qualis Acidalio qui flos de ſanguine natus
Pæſtanas oſtentat opes, protritus aratro
Deciduis aret foliis, aut caltha decoro
Vertice diffundit calicem, cum fulſit Eous
Pulchrior, at fuſcis ſi nox invecta quadrigis,
Demiſit collum & languenti clauditur orbe.

Indulgens at tu lachrymis, ſolatia caſus
Abnuis, & toti diffundis fræna dolori,
Ac ſi illam luctus poſſet tibi reddere amanti.
Quique fuit vivis ardor, poſt ultima fata
Durat, & optatum eſt charæ meminiſſe ſepultæ.
Nec dolor æqualis Pellæo in funere Regi
Clyte tuo fuerat, nec te Rhodopeius Orpheus
Æquarit rapta Euridice. Doctrina Platonis,
Quæ levat affectus, abeat, non pectora ferrum,
Non adamas, duruſve ſilex præcordia clauſit,
Caſpia nec tibi ſugenti dedit ubera tigris,
Et fles, & gemis, atque iteras ſuſpiria, amatum
Crebra voce ciens nomen, raptamque requirens,
Et tua grata Deo eſt pietas, & caſta Tonantem
Vota movent, dum plaga recens, & vulnera cruda.
Venerat ad juſtos maturi temporis actus
Ilithyia furens, cæcoque armata veneno,
Lethales Henricæ, eheu! miſcere labores
Deſtinat, & matrem, & non natum tollere partum.
Non Melope, non Chameleon, non pharmaca docta
Mixta manu proſunt, non mendaci ulla Galantis
Ore juvat, medicæque manus: ceſſere periti
Artifices, vis tanta mali. Patientia at illa
Armatur, non mens, non vox, oculive, quietis
Turbatæ indicium præbent: quis credere poſſet?
Infirmum ſupra ſexum, tormenta dolorum
Invicta virtute domat: non ulla Leænam
Fabula Athenæam referat: jamque ecce caducis
A rebus revocans curam ad cæleſtia, ſeſe
Erigit, & fragilis ridet ludibria fati.
Quæ pietas, quam fixa manet reverentia Divûm?
Iam cœlum tantum ſpirat, labemque reatus
Deplorat, veniamque petit, ſummoque Tonanti
Devota mente inſinuat, precibuſque fatigat,
Ne velit infirmæ meminiſſe piacula carnis.
Exitus & talis, qualis fuit area vitæ.
Obſtupuit myſtes tantum pietatis in illo
Pectore, tã conſtantem animũ, quem ſæpè voluptas
Aulica, & illecebræ circumvolitare ſolebant.

Ergo

Ergo ubi plorandam ſupremi funeris horam
Adventare videt, te deficiente requirit
Lumine, ut in lachrymas fuſum ſoletur amantem.
Pars animæ victura meæ, cui linquere noſtros
O utinam liceat, ſecuit quos Atropos annos:
Sollicitos remove queſtus, confuſaque fletus
Murmura, ne mihi compoſitos mortalia ſenſus
Perturbent, & me cum obſcuro incluſerit antro
Sarcophagus, ternumque revexerit aureus ortum
Cynthius, omnis eat noſtri de pectore cura,
Nec meminiſſe velis. Quid enim ad cæleſtia raptam
Flere juvat, quid te cruciari proderit? unum
Oro iſtud, ſi quid ſenſus poſt funera noſtri,
Si vivens accepta fui: communia tantum
Pignora, ſolamen lethi, pietate paterna
Chara fove, noſtroſque illa vide imagine vultus.
Ergo vale, & me ſublata ſecurius ævum
Tranſige, teque agitet non ulla injuria fati,
Et mihi ſæva, tibi pareat Fortuna relicto.
Dixerat, & referens vigiles in ſingula ſenſus,
Non alio vultu, quam ſi convivia adiret,
Solemneſve epulas, aut caſtos pronuba vultus
Flammea velarent, moribundi corporis artus
Exuit, & fragili fælix compage ſoluta
Tendit ad Elyſios, animarum præmia, lucos,
Præteritique inter veteres heroidas ævi
Sedem habet, & meritis effulget in ordine primo.
Dilecti Alceſte buſtis impenſa mariti,
Exſpectans noctes & Laodomia pudicas,
Præſcia venturi Tanaquil, Capaneaque condens
Euadne, cineres miſcens, & corpore corpus,
Et pia Penelope Smyrnæo evecta triumpho,
Quæque fugat ſceptro attonitos Lucretia Reges,
Quaque patris cecidit furioſior Appius ira,
Circumſtant alacres, adeuntq; atque oſcula jungunt,
Et comitem poſcunt, grates agit illa, piæque
Se jungit turbæ, cœtum refugitque ſceleſtum:
Phædra ubi, & inceſtos ſuſpirans Biblis amores,
Et Myrrha, & Phrygia ſuccenſa libidine Dido.

Interea,

Interea, ut par eſt, cinctus lictoribus atris
Deſignator eat, ſed non pollinctor avarus,
Non veſpillo nocens, non inſcripta agmina tangant
Sandapilam, ſed nigra piæ ſolemnia pompæ
Nobilior ducat numerus, funalis habena
Præcedat ſonipes mœſta, lectica trophæis
Ardua præradiet, claramque ex ordine gentem
Præferat in tabulis, quas non ſubtilis Apellis
Linea, uon Rhodii, aut volucrum deceptor in uvis,
Aut Agamemnoniam qui pinxerat arte puellam
Miranda, ingenio ſuperet, vivoque colore.
Clivia Germanis longè celeberrima in oris,
Chriſtophoro unde genus genitori,& Martius extat
Sanguis, eat primum, titulos Lotharinga ſecundos
Illi terra dedit, magnuſque exercitus olim
Argentorati ductorem vidit, & idem
Belligerum Henricum,cui cælica lilia parent,
Et Regum cui primus honor,cum principe nectit,
Otiaque indulſit pulſis civilibus armis.
Poſt hunc Franciſcus, qui tanti nominis hæres
Impoſitum fert unus onus, quique indole dextra
Principis illexit ſenſus, meruitque tenere
Inter tot proceres non ultima,regis amicus,
Sit peregrina licet gens, & Lotharingia nutrix.
Hic Germani equitis ductor, cum fortibus armis
Eloquii, & ſolidum Sophiæ conjunxit amorem.
Et quem primævos rapuit Bruxella ſub annos
Pulvere reſperſum belli, nec laudis egentem.
Pignora mox ſubeant, quot zonis tota ſecatur
Machina cæleſtis ſphæræ, quot corpora doctus
Tradit Ariſtoteles, & quot Prætorius omen
Connubiale levat tædis, quot littore ductor
Æacides Italo bellis feralibus annos
Conſumpſit, quot Pompejus & Cæſar in armis
Æſtate trivere pari certamine Martis,
Quot regitur corpus mortale hoc ſenſibus orbe.
Sint duo, qui referant virtutis facta paternæ,
Et non degeneres campo præconia diſcant
Fortis avi, qui regalis poſt nomina ſceptri

Rexit

Rexit Aremoricos primus, Morinaſque feroces
Extremas orbis terras proregis honore
Principe ſub magno tenuit, quem Martia caſtra
Gallica præfectum ſummum videre, ſub altis
Ambiani muris, valido dum milite cinctus
Durus Iber, duplici foſſa, valloque ſalutem
Protegit, hic dum confecto certamine greſſus
In ſua caſtra refert, forti glans ferrea rupit
Tempora, & indoluit caſu Rex motus acerbo,
Nec lachrymas tenuiſſe ferunt. encomia digna
Quid ducis expediam Parmenſis? inania laudum
Nomina, mixta malis, afflictæque ambitus aulæ.
 Et geminæ pulchros porrectæ frontis honores
Maternamque gerant formam, qua lilia quondam
Scythoniamque nivem poterat ſuperare, modeſtæ
Margo comæ, & caſto ſuffuſus ſanguine candor,
Sideribuſque pares oculi, vox grata,pudica
Majeſtas, non liligero ſibi in orbe ſecundam
Vidit; at invidiæ rabies populata decorem
Humanum, inviſa ſuccidit ſtamina dextra.
 At quintus, proh fata! dolor præcordia clauſit,
Ante nocens, quam natus erat, genitricis in alvo
Non pius, & pœnam meritus, quem culeus ortum
Excipiat, tradatque fretis: nam funeris ille
Vnica materni cauſa eſt, nec tempore longo
Aere vitali fruiturus, ſorte beatus
Infauſta, inſontum numeros aucturus, imago
Parvula ſub terras ibit, matremque præibit:
Quique unâ periere, una ſub ſede quieſcent,
Et duplicem caſum cœlebs deflebis, & orbus.
Timoleon, non invicti te oracula Regis,
Non omnes regni proceres, recreare dolentem
Miti voce valent, lamentaque fortia mav is,
Et conſolantum ſermonem horreſcis,amaſque
Triſtitiam. Nec ego tentabo demere luctus,
Plaga cicatricem donec obducat, & ipſum
Mollierit curas tempus, tunc verba medelæ
Apta dabo, ſi Cyrrhæo mihi numine Phœbus
Conceſſit quicquam, obſequio tum ſerviet illud
Omne tuo,manes & magnũ nomẽ habebunt. *Epi-*

Epicedion Thomæ Craigii Poetæ ſummi & Iuriſconſulti eximii, cauſarumque in ſupremo Scotiæ Senatu Patroni, ad D. Ludovicum Craigium equitem, Filium, ejuſdemque Curiæ Senatorem.

TOllite Pimplææ, feralia numina, frondes
Aonio lætas templo, palmæque virentis
Ligna procul, nullis niteant altaria vittis.
Omnia Cyrrhææ ſpirent lugubria rupes,
Proque hederis apium, pro lauru mœſta cupreſſus
Irrepat devota rogis, plorataque taxus
Omnis, & atrato paries veletur amictu.
Veſter honos Cragius moribundi corporis artus
Exuit, & ſortem Naturæ legibus æquam
Paſſus, ad Elyſias animarum præmia valles
Conceſſit, quamvis conſumptæ in fine ſenectæ
Triſte ſui deſiderium poſt fata relinquens,
Euboici dignus tranſcendere pulveris annos,
Et Pylios ſuperare dies, Phrygiamque ſenectam.
Scitis enim, & meminiſſe juvat, cum matris ab alvo
Prodiit, & primas teneris vagitibus auras
Impulit, hunc gremio veſtro latuiſſe. Levana
Adfuit, & mulcens gratum Ilythia dolorem.
Tunc & Calliope, Nati poſt funus acerbum
Orpheos, arriſit primum, plectroque remiſſo
Hunc ſibi progenitum cecinit, nec defuit omen.
  Nam ſimul ut venere anni, prædivite vena
Argolicas exhauſit opes, & Mantua fælix
Si quid miratur Smyrnæis æmula plectris.
Dignus quem premeret commixta quercus oliva,
Vltimus emerito redeat ſi Flavius orbi.
Non Phryges hic verſos, ereptaque vellera Colchis,
Dulychiique fugam Regis, non arma Deorum
Impulſu tentat vano, ſed docta canentem
Regia majeſtas monita eſt mirata, Britannos
Dum collaudat avos, & magno ſtemmate ducit.
Quem ſi priſca ætas, ſi ſæcla antiqua tuliſſent;
Non tantum Æneas habuiſſet nomen, & axis
Theſſalus obſcuro forſan latuiſſet in orbe:

Cognita

Cognita nec Dirce,Thebana aut bella fuiſſent,
Nec Medea ſuos jactaret vana labores:
Sed nec fama loquax memoraret Punica tela,
Improba & Æmathii nec Iulia fulmina belli:
Quin majus loquar, Ægypto illi cederet ortus
Qui canit Auguſtum, & magni Stiliconis honores.
Nec ſatis. Obſcuris ſi quæ olim ingrata vetuſtas
Obruerat tenebris, illi labor unicus orbi
Promere, & hiſtorias per tempora noſcere certa.
Vt metuenda Getis indixit bella Seſeſtris,
Et Pharios Regum currus cervicibus egit.
Aſſyrius ceu fræna orbis, ceu regia Medus
Sceptra tulit, ceu Perſæ oriens admiſit habenas,
Ceu Macedo imperium tenuit, ceu milite forti
Perdomuit gentes, urgente cupidine laudis,
Roma triumphatis utroque à cardine terris.
Mox & Romani quatiens Demoſthenis arma,
Iudicis attonitos rapit in ſua pondera ſenſus
Quo lubet,atque animos faciles flectitq; movetq;.
Sive cliens patrios cenſus, & jura repoſcit,
Seu capitale nefas urget, non promptior alter
Cepiſſe orata ſublimem lite coronam.
Sed nec venale eloquium, cui gratior extat
Gloria, quam optati fallax injuria nummi.
Ergo age, ferales ornat dum præfica pompas,
Et tuba ſolenni clangit lugubria cantu,
Inſtitium ſit triſte foro, vadimonia prætor
Differat, & mœſtæ claudantur carcere leges.
Et tu ſandapilam genitoris nate verendam
Illachrymans produc, quam non pollinctor avarus,
Non veſpillo nocens, non inſcripta agmina tangant:
Sed ſubeant humeris patres, & lecta Senatus
Majeſtas, & quos legum facundia ditat.
Teque licet tantis damnarit perfida Clotho
Cladibus, ingentis animo monumenta doloris
Officiis Ludoice piis oſtende, ſed ægræ
Frænum adhibe menti, ne ſit diffuſior æquo
Iſte dolor, vincat curas reſpectus honeſti.
Occidit heu! genitor, deſolatumque reliquit,

Sed mortalis erat, ſed ſeros venit ad annos,
Sed clarum dignis peperit ſibi nomen ab actis,
Sed ſoboli patefecit iter, quo gloria gentis
Creſceret, & tanti floreret ſtemmatis ordo:
Et ſuper aurati jam parta palatia cæli
Sublimis reſidens, molimina vana laboris
Noſtri atque humanæ ridet ludibria ſortis,
Cui natus fuerat, jam tandem fine potitus.

Epitaphium.

CAllebat juris formas, Lintonus obivit.
Pollebat linguæ fulmina, Scharpus obit.
Doctrina Cragius reliquos ſuperabat, & ille
Pene eodem Elyſias tempore tranat aquas.
Aut à cauſidicis cohibe mors improba falcem,
Aut ſummi valvas Scotia claude fori.

Chronographicon.

PIsCIbVs hærebat IVnCtVs PhœbI IgnIVs aXIs,
ECCe ſoLVM CragVs VItat, & aſtra ſVbIt.

In Deſideratiſsimum Rectoratum Clariſſ. Viri D. D. Iacobi Vaſſorii; SS. Theologiæ Baccalaurei primæ Licentiæ, Noviodunenſis Eccleſiæ Epiſcopalis Archidiaconi meritiſsimi, &c. Panegyris extemporanea.

ASſueto plus Cyrrha viret, doctique vagantur
Largius, & ſubitis aſſurgunt fontibus amnes,
Omniaque Aonii ſpirant meliora receſſus.
Araque, quæ ſteterat taxo damnata nocenti,
Cupreſſuque gravi, & Grajæ funeſta paleſtræ
Cornua, cincta apio, poſtquam lugubre feretrum
Fraſerio, & lacrymis productum funus obortis,
Iam lætos renovat cultus, hederaque recenti
Obnubit poſtes, & Daphnide limina ſerto.
Quæque ſibi nuper genitrix Academia luctus
Indixit, jam læta oculos, feralia ponit;
Et curas exuta graves, oblita malorum,
Auguſtam ſolito comit diademate frontem.
Qualis, ubi Europam pelliti Principis auſu
Irrupit Tanais, Geticiſque oppreſſa catervis
Græcia,

Græcia, ſervatum caput erexiſtis Athenæ;
Vrbis Diva ſuæ præſes, ſuccincta virago,
Mœnia ſollicito paſſu luſtravit; & ignes
Arcuit infeſtos, & fixo læta trophæo,
Vertice proſpexit fugientes celſior hoſtes:
Sic tibi, Vaſſori, emeriti dum digna laboris
Præmia, & illuſtres oſtri radiantis amictus
Includunt humeros, gaviſa Academia, feſtam
Exornat melior lucem, pellitque querelas,
Et juvat antiquæ meminiſſe pericula ſortis.
Iamque adeo propriis repetam primordia cauſis,
Quis Deus indignis tanti ſit muneris author.
Permutandus honos, & jam ſucceſſor habendus
Turnerio, de more fuit, qui mente capaci
Tantum oneris nuper, ſed non ſine laude,ſubivit.
Phœbæos longum torſit cura aſpera Patres,
Quis docti regimen cœtus, quis fræna capeſſat,
Sufferat & tantos quis non indignus honores.
Hic modo, mox alius placet,alternante recurſu
Per diverſa animi cunctantis libra vagata eſt:
Cum Dea ſe inſeruit mediis Academia templis,
Auguſtumque micans; Quæ vos, mea cura,moratur
Aonii proceres? inquit, quæ ſedula mentes
Anxietas premit? hæc,ni fallor,tempora poſcunt
Rectorem: ſuper hoc noſtro ſententia ſedit
Certa animo, mihi præviſus, qui pectore magno
Eloquioque gravi, tantarum pondera rerum
Solus ferre queat, renuat licet ille modeſtus:
Et certum eſt, renuet, vis imperioſa coactum
Extrahet, atque parem meritis imponet habenis.
Sic fata ornatus poſcit, profertur ab aris
Religioſa ſuis, ſinuato ſtamine,palla,
Palla auro gravis, & radianti ſplendida cocco,
Chryſolitiſque rigens interlucente ſmaragdo,
Sidonii rubrique maris quæ miſcuit ignes,
Atque oſtro lapides junxit. non Ilia talem
Aptavit glauco, licet ambitioſa,marito,
Nō Phrygio Phœniſſa duci,Siculiſve ſub antris
Texuit Ennææ redituræ munera matri.

Belliger hic reſidet manifeſto Carolus auro
Iam Cæſar. prope Romulei venerabile patris
Concilium:atque urbes domitæ,verum ærea turres
Forma levat, muroſque putes exſurgere dura
E chalybe, aut puro electro, quod ſaucia ſudat
Helias, Eridani circum plorata fluenta.
Argenti vivis decurrunt flumina lymphis,
Oppreſſas tacito ſignantia murmure vires.
Plurimus hic ſanguis, truncataque cornua puros
Inficiunt amnes, rubet omnis arundo cruore
Decolor. hic victæ gentes,qua ſurgit Eoo
Cardine, qua portum Titan declivior orbe
Fertur in occidum laſſo, Calpenque requirit.
Durus Iber patrii ſignatur imagine ferri,
Saxoque Aremoricis de tractibus advena puppe
Pellitur, & turpes Hunni, Bavarique rebelles,
Pannones indomitis, Italique potentibus armis,
Queis tribuere olim longæ cognomina barbæ.
Eminet ante alios, fortunæ inſignia fractæ
Ore, minas, Saracenus habens, vix vixque ſubactũ
Se putat, & diro meditatur prælia vultu.
Et quamvis longis oneretur dextra catenis,
Cruraque ſignentur ferro, tamen ore Gradivum
Terribili aſpectat, ſolido qui adamante coruſcat
Torvus, & ultricem quaſſat violentior haſtam.
Hic clypei, hic enſes, nec operto ſpicula ferro:
Hic leves galeæ, credas ſimulachra moveri
Ferrea, fulgentique viros ſpirare metallo.
Terribilis, gratuſque timor, metuenda voluptas.
Inde Caledoniis numeroſo milite terris
Fortis Alexander properat, quo Gallia certo
Martigenas vincire queat ſibi fœdere Scotos,
Ne ſolvenda iterum coeant in vincula gentes.
Carolus hinc, illinc veneratur Achaius aram
Devotam ſacris. Nec tantum Martia viſus
Invitat ſpecies, quantum Rabanus honoro
Nomine, & Alcuynus, Clemens,magnuſq; Ioannes
Perſtringunt aciem venturo heroes in ævo.
Hi leges poſuere ſcholis, & jura Camœnis
Fixerunt,

Fixerunt, ſectis qua lata Lutetia muris
Gyratas ſpectat mediis penetralibus undas,
Auſonioque ſolo qua doctas ardua turres
Piſa levans Arnum labentem in cærula cernit.
His ornata, parat ſtellantia in atria curſum,
Collectoſque jubet clauſum aſſervare Senatum
Dum redeat, tantæq; moræ bona præmia ſpondet.
Sedulitas jungit volucres ad fræna jugales,
Gemmatoſque lupos aptat, moderatur habenas
Quadrupedeſque agitat Gravitas, comitantur eunte͂
Lætitiæ, mentiſque quies, & dura ſevero
Cura ſatellitio, generoſa Modeſtia, Pallor
Nocturnus, conſtanſque Tenor, Sapientia mundi
Totius rectrix; ſublimi Gloria pennâ,
Atque honor æquali Virtutem tramite ducit,
Invitàtque ſequi. Iam Dictynnæ orbita Divæ
A tergo eſt, properat velox, aulamque relinquit
Arcadis, & Paphiæ blandas prætervolat aras,
Nec Phœbi oblectat radius, nec fulmina Martis,
Nec regale Iovis jubar, aut Saturnia tractu
Zona capit gelido. Iam motu lacteus orbis
Tangitur extremo, & melior pars acta laboris.
Adventaſſe Deam lætantur ſydera, primus
Arctophylax convexa parat, dextramque minacem
Debilis Orion condit, blandèque ſalutat.
Sollicitæ pendent ſtellæ, quibus eſſe ſodalis
Dignetur, nunc Herculei, ſpes vana, labores
Exoptant ſociam, nunc chelæ brachia pandunt,
Et conſors Virgo; ſed grates blandius egit,
Supremumque polum nullâ vertigine raptum
Scandit, ſideream properè inviſura ſororem,
Vnica quæ referat divini myſtïca verbi,
Eque Dei proprio nomen ſibi nomine ſumit.
Illa ſedens juxta ſolium regale Tonantis,
Perpetuo frontem limbo velata pudicam,
Digerit æterno ſub judice, cauſa ſalutem
Quæ ferat, & miſeros, heu! dira in tartara trudat,
Quantaque peſtiferæ producant impia ſectæ
Crimina, & infandos ſævi certaminis auſus.

Vt vidit lætam, & coram data copia fandi:
Chara ſoror, dixit, non longa ambage morabor
Adventus quæ cauſa mei, concede parumper
Vſum,Diva, tui, qui nos moderetur, alumni
Vaſſorii, quo nunc videar Rectore beata.
Scis quæ me clades olim, quæ damna ſequantur,
Triſtia quæ tulerim diræ diſpendia famæ,
Quam mihi vilis honos, & lapſa potentia dudum,
Ex quo civiles lituos inflavit Enyo,
Liligeri qua lata patent penetralia ſceptri.
Acceſſit diverſa lues, nam quæ unica pridem
Humanas ſupra, nec divis ſorte ſecunda,
Cingebar ſtudiis, & latè nomen habebam,
Doctrinæque altrix, aliis regina ferebar,
Deſpicior, nec jam ulla mei reverentia reſtat.
Æquales per rura togas, æqualia jura,
Et quæcunque ſuos habuerunt oppida ludos.
Sed ſi Vaſſorium indulges, reddentur honores
Præteriti, ſplendorque meus, nec tempora ferri
Dura querar,vegetus vigor in mea mēbra redibit,
Et fugiet pejor mutata ſorte ſenectus,
Sedula nec citius mutaverit Æſona Colchis.
Nam gremio Pimplæa ſuo, de matre rubentem
Excepit, memini, infantem, altricemque Sophian
Præfixit, quæ lacte ſuo, curaque fideli
Duxit ad emeritos robuſti temporis annos.
Tunc acri ingenio, vivaciſque impete mentis
Arpinatis opes hauſit, & nobile ſi quod
Eloquium fabro genitus commiſerat orbi:
Seu Cteſiphonta reum, ſeu regem crimine luſcum
Protegit,inſimulat.Nec Smyrna aut Mantua ceſſant
Alternis vicibus; quæ clauſerit agmina ventre
Prodigioſus equus, Rutuli quæ regia Turni,
Quæ vis Hetruſci ductoris, opeſque Camillæ,
Quis Phœniſſæ ignis, quæ ſacræ clauſa Sibyllæ,
Cur Phrygiis tandem Iuno ſuccurrerit armis,
Quo quærenda duci conjux Lavinia campo:
Mille rates quæ noxa citet, quæ cauſa latentem
Fervidaque irarum volventem ſemina corde
Traxe-

Traxerit Æacidem è caſtris,quo concidit Hector
Vulnere,& iratos placavit ſanguine manes,
Et patris ad cippum precibus,pretioq; redemptus:
Lumine fraudatus Cyclops,Phæaca voluptas,
Leſtrigoneſque feri,furioſus in æquore Nereus,
Et nocturna,dolus,tela,unicorneus arcus
Tentandus lateri,mors ingenioſa procorum,
Nota ante enatas primæ lanuginis umbras.
Aſſiduè excuſſit Patavina volumina,Reges
Cur pulſi,& Conſul tacito terrore ſecures
Iunxerit,& Dictatori res,moxque Tribuno
Ceſſerit:arreptis ut tandem Cæſar habenis
Victrices aquilas toto circumtulit orbe.
Hiſpanum Siculumque fretum,Germania,pugnax
Gallia,& undoſis incluſa Britannia regnis,
Et quæ ſquallentes attollit gleba Ceraſtas,
Et quam congeſta fœcundat Nilus arena,
Paruit Auſoniæ,nec fallit Graja poteſtas,
Perſica mollities,& fraus Chaldæa notata eſt.
Melleus hinc ſermo,hinc proceſſit lactea fandi
Vbertas:Ioſſigniacos hinc fama receſſus
Erigit,Alcinoumque jubet ſordere beatum
Poſthabitum,terram hinc,atque aurea ſidera cæli
Antitheſis celebrat,nec ceſſant vivere doctis
Commiſſi Auguſti chartis,& nomina Marti
Factis ſacra ſuis,nunc gaudent auſpice Phœbo.
Pondera non Varro vincat,non Flaccus acumen.
Exin Cecropiæ recolens monimenta ſenectæ,
Vidit cur liquidis ſummas ſibi vindicet ignis,
Terra imas ſedes,cur unda aerque ferantur
In medio,quæ ſit rebus genitalis origo,
Quis finis:rotet æthereos quis ſpiritus axes,
Cur venti obliqui,rubeat lugubre cometa;
Sub terra venas quæ vis exploret opertas,
Quid creet in ſummo lapidoſæ grandinis imbrem.
Quodque tibi eſt actum longo Chryſippe receſſu,
Et Samii duplicis taciturna ſilentia luſtri:
Arcanum ſi quid velet mens alta Platonis,
Si quid Ariſtoteles manſurum mandet in ævum:

Pallentem noctes videre, dieſque docentem,
Qua Liger Aureliam ſinuoſo allabitur æſtu,
Et leni placidus tractu defertur in æquor.
Hinc victus precibus noſtrum conceſſit in orbem,
Ceu petit Eoos gaudens avis unica lucos.
Quæ pietas, Divûmque illi reverentia; ſanctus
Nodunæus apex loquitur, qui jure ſecundas
Detulit huic partes, poſſet cum prima tenere
Munera, ſed placidos ſoles agitare, quieto
Gratius, & tuta componere ſorte ſenectam.
Iam verò quantum Doctores temporis illi
Eripiant ſacri, noſti, quam ſæpè Navarræ
Atria fulmineo eloquio ſtupuere tonantem,
Dum nemo oblatos poſſet diſſolvere nexus.
Quare age, ſit noſtri juris, quo præſide nuncquam
Res lapſas metuam, ſed honori reddita priſco
Cælica ſublimi feriam laquearia fama.
Magna quidem, retulit, ſed non indebita poſcis.
Et mihi mens fuerat radiatum murice pridem
Cernere Vaſſorium: lætor quod digna labores
Dona habeant. Quanquam noſtra fervere palæſtra
Decrevit, brevis uſuram, germana, precanti
Temporis impendo tibi, quo melioribus artes
Auſpiciis, feſſæque queant adſurgere leges.
Fac modo, ubi elapſos ultro deponet honores,
Decurrat ſtadio incepto. Sic fata ſororem
Concomitata, aditus irrupit prima recluſos,
Vaſſorii Tyrioque humeros induxit amictu,
Certaque lætitiæ communis teſſera fulſit,
Et merito poterit lux illa Palilia dici.

SYLVÆ.

De Rege Chriſtianiſſimo LVDOVICO XIII.

NOx erat, & noſtrum tenebris involverat orbẽ,
Dum tota erepto Gallia ſole gemit:
Purior ut fulſit Phœbus, lux aurea nubes
Diſcuſſit, radians dum Ludovicus adeſt.
Non hic, quem Mithram Perſæ coluere, nec ille
Quem Rhodos in medio devenerata ſalo.

Non quem Fortunæ junxit Romana vetuſtas,
  Non quem pyramidis Attica formà refert:
Sed magno Henrico genitus, qui nominis hæres,
  Et ſceptri, exoriens proſpera fata vehit.

Protrepticon Votivum, inaugurato Auguſtiſsimo Principe
LVDOVICO XIII, *B. R. P. N.*

REgales Divi, quîs ſunt diademata curæ
Sceptrorũ, & genii, populos qui pace ſequeſtra
Liligeros regitis, manſuraque fœdera Gallis
Nectitis, & nullo temeratis ſæcula motu;
Sed concordi animos potius ſociatis amore,
Linquite cælicolum cœtus, & præpete penna
In noſtras paribus ſtudiis deſcendite terras:
Arbitriis ſanctis & pubeſcentibus annis
Borboniæ columen gentis ſervate, decuſque
Humani generis per ſæcula longa, ſceleſtis
Nec jam ultra liceat quicquam conatibus, Orcus
Includat furias, nimium eſt immanibus auſis
Bacchatum, & ſtygiæ tenueruut æthera Diræ,
Et patuere nimis duri ludibria caſus,
Europæque oculos in nos convertimus omnis
Spectaclo infami, cui vix eſt ulla nepotum
Poſteritas habitura fidem, quæ vana ſequenti
Fabula dicetur populo. Sed triſtia ceſſent,
Nec feſtam lucem vox importuna laceſſat:
Ceſſet Iuſticium, mox oſtro inſigne verendo
Purpurei geſtent patres, radiantis amictus
Gloria fulgentes humeros tegat, & bona Solis
Incrementa novi veneretur curia ſupplex,
Ipſaque nobilitas regem ſubmiſſa ſalutet.
  Ceſſent præteriti juſta argumenta doloris,
Pullatoſque habitus proceres atque aulica turba
Deponant, vultuque hilari ſua gaudia prodant.
Magna quidem jactura ſubeſt, ſed tempora ſuadent
Conſtantes animos. Rapuit ſors improba Regem
Invictum, primumq; ducum, quos Phœbus ab orbe
Viderat Eoo exoriens, aut gurgite labens
Heſperio, aut Cancro junctus, ſeu verſus ad Arcton:

Sed tamen Henricum vivacia fata reducunt,
Inque ſuo ſpirat nato,qui nominis hæres,
Virtutumque capax,patrem lætalibus umbris
Eripit,& nullo patitur requieſcere buſto,
Aut humilem abjecto nimium ſordere ſepulchro.
Ceu Phœnix fati ſerie cogente,favillis
Incubat,& radios Phœbi fulgentis adorat,
Dum toto in cinerem ſolvatur corpore,proles
Vt recidiva iterum huic atque altera ſortis origo
Pullulet,& cælum victricibus appetat alis,
Iam proles,modo qui genitor:ſic ſancta ſenectæ
Numina regalis regalem in prole juventam
Accepere,polo plaudente,faventibus aſtris.
Dent modo, dent Superi vitã,dent congrua votis
Tempora,& ætatis ducant melioris ad uſum:
Suggeret hos animos genitor,Mediceaque mater,
Sanguine quæ Thuſco ramum centeſima ducit,
Et numerat proavos generoſi ſtemmatis,Arnus
Quîs pulcher paret,latiſque Hetruria terris:
Laurentes, Petri,& Coſmi,devota Gradivo
Nomina,cum magnis ſublimis Carolus actis
Irrueret,ſubiti turbatam & fulmine belli
Auſoniam quateret,famam immortalibus auſis
Sacravere ſuam,nec plus Gonzaga,nec omnes
Collecti proceres,nec Tarrus turbidus alveo,
Quam Medicea fides,potuerunt rebus in arctis.
Non ego ſceptrigeros numerabo è ſtirpe paterna:
Majores:referunt vates,& voce diſerta
Hiſtorici,æternumque decus ſua facta ſequatur.
Hos Ludoice premes,ubi creſcet fortior ætas,
Robuſtumque virum maturos ducet ad annos,
Et venient validis vibranda haſtilia dextris,
Verſandique leves gyris ſpumante lupato
Cornipedes,atque arma habili geſtanda lacerto.
Sed quid ego ætatem memoro,quid fortibus iſta
Objicio factis?ſors hæc privata moratur.
Ingenium cæleſte ſuis velocius annis
Creſcit,& à ſummo vires ſibi ſumit Olympo.
Cura Deo eſt Regum,divina in Principe imago
Eminet.

Eminet,& factoris opus. numerare Deorum
Parcite natales timidi. Vix parvulus auras
Hauſerat Alcides teneras,cum perdere parvum
Iuno ſæva cupit,gemino ſerpente minata:
Occupat ille angues nexu,eliſaque coercet
Fauce,novercales & dextra comprimit actus,
Et Iove ſe dignum in cunis virtute probavit.
  Liber erat puer,& puerili flore decorus,
India cum ſenſit Thyrſos,& tigrides egit
Quadrijuges,& Niſa ſuum laudavit alumnum,
Dum rotat attonitos circum fera Baſſaris arma
Atque operit ferrum maculoſo tegmine lyncis,
Mitraque diffuſos incinxit barbara crines.
Quid Phœbus fuerat,tunc cũ tulit Oſſan Olympus,
Impius Emathiis Briareus & ſæviit arvis?
Nempe puer,ſed tela tamen furioſa Gigantum
Contempſit,cælumque objecto pectore texit,
Aſſeruitque patrem. Primævus Iupiter,antrum
Dictæum,Cretamque ſuam cum liquit,& alta
Poſſeſſi ſtetit arce poli,patremque catenis
Induit,& regno truſit,ſi digna relatu
Fertilitas affert vatum,neque Græcia mendax.
  Æacidæ fatale genus,quo Pergama victrix
Sterneret ultrici pubes Pelopeia ferro,
Sic erat in fatis,& ſic oracla canebant:
Iamque manu timida occubuit confixus Achilles,
Nec fortes valuere viri,nec mille carinæ
Vertere Dardanias turres,dum filius iret
Deidamia tuus,cui Pyrrhi nomina rufus
Dat color,ille novem vix annos natus,in arma
Calchantis vadit monitu,& Neptunia ſternit
Mœnia,nec patris cedit bellacibus actis.
  Perfidis & tractus urget qui exordia Phœbi
Terror Alexander,juvenis ſuccedere patri
Dignus erat viſus,nec degeneraſſe Philippo.
India faſſa olim,ac fuſi per prælia Medi,
Et quicunque colunt ponti confinia rubri,
Aut cernunt puro naſcentem flumine Gangem,
Luſtrant Hammonis Lybiæ aut ſitientis arenas.

Hunnorum victor debellatorque Getarum,
A patruo ſumpſit qui nomen Honorius,orbe
Auguſtus Latio,Imperii ſublime tribunal,
Snbnixus Stelicone ſuo,Arcadioque volente,
Patre pio monſtrante,petit puer;atque novenum
Vix annum egreſſus,forti majora capeſſit
Geſta viro,primæque ſenes ceſſere juventæ:
Barbarus & timuit puerilis fulmina dextræ,
Et ſtupuere hoſtes magnæ molimina mentis.
Divorum adſcriptus numero Lodoicus,in illa
Ætate incepit moderari lilia,juſto
Applauſu procerum. Sed cur exempla retexo?
Annales meliore ſolent quæ tradere penna
Francigenæ,quibus eſt dicendi copia torrens,
Certius ingenium,majorque opulentia linguæ.
Perge agedum,Lodoice,ſacro diademate frontem
Come ſerenatam,proavita inſignia ſola
Borbonidum geſtanda domo felicibus orſis
Indue,divinoque humeros perfunde liquore,
Quem Deus è cælo tales largitur in uſus,
Aſſertor ſceptri:Divoſque in vota ſecundos
Sollicita, & ſupplex ſummis altaribus aſta
Sacrificos inter myſtas,quos Romula veſtit
Purpura,quîs fidei commiſſus cardo regendæ,
Caſtaque ſacratos crines quibus infula nectit.
Lætantem inde manu ditato divite plebem,
Quo reſonent templi optatos laquearia plauſus;
Ingeminentque ſonos dulci modulamine vocum,
Ipſaque millenis clamoribus aſtra reſultent
Reſponſura choris gratantibus,ô bona vota!
Æterni fauſtique tibi dum tempora regni
Exoptant;vox illa Dei eſt,vox miſſa ſupernè,
Quæ tibi conſtantis ſpondet moderamina ſceptri,
Longaque fælicis,citra diſcordia,vitæ
Tempora,nec,ſpero,fallent præſagia mentem.
Iam metuat ſibi durus Iber,Navarra redire
Geſtiat ad veteres Dominos,patriaſque catenas
Expediens,hoſti feralia quæque minetur,
Expulſura tuam bellax Callecia pubem:

Et

Et malè funeſtis repetita Neapolis armis,
Quæque latet medio Trinacria clauſa profundo,
Terra giganteis quæ nobilitata ſepulchris,
Legitimum invitent Regem,perge alite dextra.
Sunt tibi,ſunt alii Aubygnii,ſunt fulmina gentis
Martia,nobilitas patriæ,tremat Itala tellus
Nomine Francigenum audito,ſubmiſſus adoret
Eridanus,Scaldiſque tuo ſub nomine currat,
Atque tui properent bellaces Flandria cives
Obſequiis,majora tamen mens anxia poſcit.
Quodque olim occiduo collapſum Carolus orbi
Imperium erexit, repetat Lodoicus honoro
Nomine,tum certè duplici diademate fælix,
Gallica quo totus veneretur Lilia mundus.

Præfatio Declamationum.

ERgo (Auditores) reſidis poſt otia Muſæ,
Tandem aperit feſto pubes proſcenia verſu
Phœbeis devota choris,& ſueta November
Tempora circumagens, ortum jubet ire Camœnis,
Vnde annus finem capit,& declivior exit
Cynthius,Arctois ad nos rediturus ab oris.
Dum malus Ægoceros,& triſtis Aquarius inſtant,
Romuleo hic menſis præſtabat grata Senatu
Otia,ſed nobis mutata ſorte, labores,
Ingenteſque refert cum ſollicitudine curas,
Et pede me pulſare jubet trepidante theatrum.
Annua Gymnaſii ſunt hæc ſolennia noſtri.
Aſt ego quid calcata teram veſtigia doctis,
Cui nec firma ætas ,tenuis cui copia fandi,
Quid tentem audaci ſubſellia rumpere motu?
Quem propè deſtituent primo conamine Muſæ,
Quæ dabitur noſtris ſermonibus orbita digna
Auribus,& tantæ non inficianda coronæ?
Sanguineas belline minas,an dulcia pacis
Munera, & egregiis florentes legibus urbes,
Ilium an everſum,recidivaque funera Trojæ,
Septenoſque duces,devotaque nomina Marti,
An malè tranſlatas Eoo milite vires?

Hiſtorici hæc celebrant ſtudiis concordibus acta.
An Iovis inſidias,& furta latentia Divûm,
Fallaci toties quæ cantat fabula ritu,
Expediam?nihil intactum,nil carmine noſtro
Dicendum,ornavit mendax hanc Græcia ſpartam,
Tradidit ingenioſa ſuis aut Roma poëtis,
Præripuit proprias aut nupera Gallia palmas,
Nil priſco ceſſura ævo.Nec Mantua ſola,
Aut Smyrna audebit tantum ſibi ſumere laudis,
Gallica ut ingenia excludat,ſive ordo recurrat
Hiſtoriæ,aut veterum ritus,ſeu gloria linguæ
Mellifluæ,aut torrens dicendi flumen,& acris
Vis mentis.Nihil eſt quo ſe jactare vetuſtas
Iure queat,quod noſtra ætas non vindicet aptis
Laudibus. Hæ cathedræ,hic paries,hæc atria,vivo
Eloquio quoties exaudivere tonantes,
Ingenteſque viros cœtus ſtupuere diſerti,
Ipſeque ſe vinci quoties gaviſus Apollo?
Atque ideo gelidus circum præcordia ſanguis
Mî coit,emeritoque jubet divertere clivo,
Et monet audacis molimina ponere cœpti.
Sentio,nam poſcit noſtras minor area bigas,
Atque opus ingenii properatur viribus impar,
Quem nec naſcentem meliori lumine Phœbus
Aſpexit,ſed enim damnavit ſidere triſti,
Productumque retro Pimplæ fugere ſorores.
Quid?quod nulla placent æquali lege,nec omnes
Omnia concipiant paribus,ſperatur ut,auris.
Hic pigmentatos accito germine flores
Exigit,eloquiumque valens,ſolidum alter amabit
Corpus,at hic totus ſolerti pendet ab uſu,
Et rerum exſpectat cauſas:non ſuſtinet ille
Fucati ſermonis opem,indoctior iſti
Dicitur Orator,bullatis pagina nugis
Ni tumet,& magno diſtendit murmure buccas,
Nec profecturo ſtrepitu dilancinet aures:
Cum tamen & ſuccus & rerum copia deſit.
Hic tantum veterum ritus cupit,ille novator
Temporibus gaudens propriis,abſentia damnat,
Præ-

Præteritoſque odit mores,& verba ſeverus.
Hi laudant,culpant alii,ſententia diſpar
Cui plaudat,quod damnet,habet. Ceu fortè decora
Et placitura oculis,reſerato virgo theatro
Et totis ſpectanda choris traducitur,illi
Quod valuit Natura dedit,dextraque beavit
Divite,formoſos nec parcior indidit ignes,
Purpureo radiat ſuffuſus ſanguine candor
Mixtura æquali,ceu quis commiſceat oſtrum,
Intactamque nivem,Parii vel fragmina ſaxi,
Acceditque genas nativo murice tinctas:
Ardent ſiderei geminatis ignibus orbes,
Prætereuntque ſua Cythereia lumina flamma,
Quæ pulcher rutilo ſuccendit lumine veſper:
Sylva ſupercilii nimbo nigrante venuſtans
Divinas includit opes,quæ fulmina Divis
Excutiant,totoque cient incendia mundo:
Frons latus,teretemque ultro compactus in orbem
Majeſtatem aperit,quæque aſpexiſſe voluptas,
Æmula labra roſis, quas tinxit ſanguine Cypris:
Non Pallas digitos,ulnas matrona Tonantis,
Aureoloſque pedes Thetis exæquaverit ipſa,
Non quæ mendaci canitur Pandora decore:
Tota decens,& tota placens,& tota venuſtas:
Inveniet tamen hæc oculum,qui carpere ſcena
Audeat in media formam.Sic quiſquis apertum,
Vt populo placeat,famæ deſcendit in æquor,
Invidiam expectet,truculentæ & toxica linguæ.
Non tamen ingenii noſtri eſt ea cura mereri
Invidiam,atque utinam dignus livoris iniqui
Morſu habear,tanti & ſit muneris auctor Apollo:
Sed neque dignus ego, nec vos livere ſoletis.

Carmen Epicum de Deorum gentilium multiplicitate.

O Infælices populos,quos error adegit
Æternum neſcire Deum,quos ſtulta fefellit
Credulitas,ſtygio qua non deformius ullum
Monſtrum Erebo!ô vitiis ægrum gentilibus orbem!

Quem tegit obſcuro cæca ignorantia nocte,
Nec finit in ſanctas mentem deflectere curas:
Cum rerum hic ſtabilis curſus,manſuraque mundi
Fœdera,perpetuum conſervatura tenorem,
Diſpoſitæque vices authorem prodere poſſint.
Ecce autem verni ſpirat clementia Solis
Gratior,& terras genitabilis aura Favonî
Recludens,oculos picto velamine paſcit:
Dein æſtas roſeis ſuccedit fervida bigis,
Maturoſque urget currus,geminatque calores.
Pomifer autumnus ſequitur, mox bruma nivali
Condenſata gelu,& nigrantibus horrida nimbis
Sævit,nudatos contriſtans frigore campos.
Fœnore reddit ager ſibi credita ſemina juſto,
Servanturque ſui cunctis animantibus ortus
Continua ſerie,pereunt volucreſque feræque,
Brutaque,quo poſſint meliori ſorte renaſci.
Non terram invadit pelagus,ſed littora ſervat
Præſcripta,& juſſum lunaribus æſtuat horis,
Et recipit,rurſus motaſque reciprocat undas.
Terra immota manet,vaſtoque ſub aëre pendet,
Ponderibus librata ſuis. genitabilis humor,
Telluri incumbit ſolidæ. ſpirabilis aer
Infundit cunctis aptas animantibus auras.
Supremumque locum ſphæræ ſibi vendicat ignis.
Vnde homini calidus circum præcordia ſanguis
Æſtuat,& defert revolutam à funere vitam:
Mortalis ne tota ſimul gens occidat orbe.
Sed fragili à mundo viſum ad ſublimia transfer,
Num picturatus ſtellarum exercitus alto
Cardine cælorum,artificem,qui cuncta gubernat;
Æqualem,immenſum loquitur?cum linea Phœben
Damnat,& excluſo pallentem fratre relinquit;
Succedunt tenebræ luci, rotat orbita velox
Et Lunam,& Maja genitum:Cythereia flamma
Ducitur ad ſolitas conſtanti tramite metas,
Gradivique nocens ignis ,cui fulmina curæ,
Et nimbi & tonitrus,regali Iupiter ore,
Et pater attollens falcem trepidante ſiniſtra
Satur-

Saturnus,paribus cæli per inane quadrigis
Temporeque æquali propria ſtatione feruntur.
Hos inter medio defertur Cynthius axe,
Signiferumque ſecans partitur lumina juſtis
Arbitriis,ſpatioque pari ſe fundit in omnes,
Non ſummi ſine lege Patris,qui tempora certo
Diſponens motu,pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundũ mente gerens,ſimiliq; ab imagine formans,
Nil licuiſſe dedit per totum caſibus orbem.
Quanquam hi, quos ritu gẽtes coluere nefando,
Non Dî, ſed dextra artificum ſimulachra polita,
Sed ſculpti lapides,ſed caſſæ mente figuræ,
Ridiculæ effigies,& inani expreſſa decore
Marmora,queis nec ſenſus ineſt,nec prodiga laxant
Ora,ſed æterno vox eſt damnata reatu,
Perpetuaque oculi clauſi ſub nube ſoporis:
Non manus officium,non pes ſua munera poſcit;
Artifice at pejora ſuo figmenta,profanis
Vilia viſuntur templis,oculoſque laceſſunt.
Ecce autem cæli ſoboles,cui vinea culta
Debetur,falcem oſtentans longævus,eburno
Inſurgit ſolio,ſed quem Titanes ab alto
Præcipitent,vinctum claudat quem carcere natus,
Ni fugiens Italis lateat taciturnus in oris,
Ac doceat gentem melioris commoda vitæ:
Sed tamen & petulans hircoque ſimillimus,aſtu
Inſiliat nuptam miro,juſtaque creatos
Conjuge conſumat,proprios & devoret artus,
Objiciat Rhea dum decepto pondera ſaxi.
Deterior longè ſuccedat filius,ortu
Parricida nocens primo,patremque catenis
Induat,& ſolvat divina humanaque jura,
Inceſtos celebret thalamos,junctuſque ſorori,
Impuros edat ſcelerato ſemine partus:
Vt modo ſe in tauri tranſmutet cornua,amatam
Submerſurus aquis,fiat modo candidus ales,
Turpior aut Satyrus,formica imbellis,& aurum:
Non portæ excludant,non turris ferrea amantem
Terreat,aut ſacræ reverentia debita tædæ,

Dum malè graſſatur ſtimulante libidine furtis
Noxius, & legum cenſurus fulmina, terris
Iulia ſi redeat, eductus ab ubere quondam
Vel ſuis immundæ, vel ſimæ lacte capellæ,
Atque inter thyaſos alitus, ſtrepitumque ſonantem
Armorum, Idæo reſonant ubi tympana buxo,
Et rotat inſanum Corybas furioſior enſem.
Iſthinc digreſſus migres in Apollinis ædem,
Qui junctus ſolet eſſe patri, quem erratica Delos
Edidit infami ſtupro, coituque nefando
Latonæ, quam Iuno furens, terraque marique
Egit, & in nulla paſſa eſt conſiſtere terra.
Ille ſuæ matris quam primum eſt editus alvo,
Theſſalicos pavitque greges, egitque bubulcum,
Corrupitque aliquas, ſuadente libidine, Nymphas,
Ad patris exemplar poſthac formatus in omnes
Sæviit. Amphion teſtis, cui pignora miſſis,
Bis ſeptem occidit, matre aſpectante, ſagittis.
Impuros loquitur mores juvenilis ephæbi,
Forma Deo conjuncta ſuo. Peneia virgo
Dicite formoſos cur texit cortice vultus,
Humanam ponens miranda ſorte figuram?
Quid ſibi Thyodamas paſtor, raptique jugales
Abductique boves ſignant? non uſus aratri
Tutus erit? quid flens uxor, quid verba profana,
Et dira in ſacris? raptat dum armenta furenti
Alcides ſtimulante fame, ſolida atque voraci
Ingluvie abſumit, dirique voragine ventris
Buphagus addiphaguſque infami nomine dictus.
Atque idem Oetei reſolutus in aggere buſti,
Et ſuper infuſo incauti per membra veneno,
Impoſituſque rogis obiit, mœſtaque favilla
Conſumptus, fragilis ponens & corporis uſum,
Morte novercales animos ſatiavit amara.
Cyllenes illinc ſoboles, quem candida Maja
Inceſto enixa eſt partu, ſpectetur, & Argi
Inciſum gladio caput, & Iunonis iniquæ
Iuſſa, cruentatis & tacta altaria dextris.
Hunc & furta polo quondam inſeruere, rapaci
Dum

Dum libant gentes Divo,quem callidus ambit
Mercator,venditque Deo perjuria teſte.
Ah pudeat,gladio quæ plectit vindice,& ipſa
Morte magiſtratus,venerari crimina fanis
Erectis,vitiis Superumque adſcribere honores.
Verum age Mercurius lucri collator,& orbe
Exhauſto monſtris Tyrinthius,altaque Phœbi
Lumina,Saturnuſque ſenex,aut Iuppiter arces
Poſſideat ſanctas,Divûm ementitus honores,
Credula gens cælo quem actis fallacibus infert:
Quid coluiſſe juvat Furias,ſcelerataque mundi
Numina pejoris,cur Febrim Roma recepit?
Cur mala Rubigo vitulo placatur & extis,
Et meruit ſummos abjecta Pecunia cultus?
Quin potius rerum auctorem, certumq; parentem,
Poplite depoſito humani venerantur,& unum
Implorant,cui terra,fretum,cui ſydera parent,
Totaque ſubjecti famulatur regia mundi?

MVSCA.

a LActea Septimii tibi non ego carmina Iane
Devoveo,nec thura fero ſolemnia,Divis
Poſthabitis,quicunque polos & ſplendida mundi
Signa tenent,liquidis quicunque coluntur in undis,
Quoſcunque obſcuris claudit convallibus Orcus.
b Publica nec lacus accipiet jam Curtius æra
Cæſarei votum capitis, c cariota recurret
Feſto nulla foro,nec habebit regia ludos,
Grata coronati peragent nec gaudia cives
Me duce:nobilius,faveat modo Muſa jocoſa,
(Et cur non faveat cognato nomine Diva?)
Offero vivacem brumali ſidere d Muſcam. (oras
Illa quidem te digna Deo eſt.namq; hoſpitem in
Auſonias longa profugum regione notarunt
Te veniſſe patres;& Muſca eſt ſede morari
Neſcia,ſed volat aſſiduum ſtridentibus alis
Docta locum mutare ſuum.Longæva vetuſtas

 Effinxit

a *Terentian. Maur. de metr. Arnob. l. 3.* b *Suet. Aug. cap. 57.*
c *Iulian. Miſop.* d *Homer. l. 2. Iliad. v. 471.*

Effinxit *a* Myſos tales,qui lignea junctis
Oppida portantes plauſtris,captare quietem
Non norunt,niſi ubi denſis nox occupet umbris.
Muſca odit tenebras; *b* & tu genitalia pronus
Lumina fudiſti rebus,vivaque relaxans
Luce chaos,elementa ſua ſtatione ligaſti,
Illuſtrans orbes tremulo ſplendore ſupernos.
Muſca fugit ſegnes curas,jugique labore,
Et pede inoffenſo,partes aut currit in omnes,
Aut volat,aut ſalit:& ſummæ tu janitor aulæ
Candida circumagis conſtanti tramite ſigna.
Excludat ferus Alcides: *c* tu limen apertum
Semper habes,ſeu patricio ſuccinctus amictu
Te reſerat Conſul,ſeu Flamen myſtica primus
Libamenta parat,proſectaque lance miniſter,
Apponit,guſtu delibat fercula Muſca,
Atque prior mentes ſcrutatur haruſpice Divûm,
Perluſtrans calidas fibras,excoctaque flammis
Viſcera,ſeu Bacchus puro radiavit in auro,
Maſſicus aut pateris humor,ſe proluit audax
Muſca hauſtu,Ganymede prior flavo,prior Hebe.
Ergo viatori jura eſt tibi Muſca dicata,
Et miti Divo,nam nil eſt mitius illa.
Dente venenatus morſus non ſævit obunco,
Baſia ſed potiùs timidum teſtantur amorem,
d Endymionæos & adhuc reminiſcitur ignes,
Formoſos circumvolitans,atque oſcula jungens:
Si dulcis quandoque invaſit pectora ſomnus.
Et canit aſſiliens,& vult formoſa videri,
e Et Thamyræ cupida certat dulcedine vocis.
Muſca malas vitæ fraudes,& toxica neſcit:
Atque illi idcirco non ulla animalia bellum
Intentant.Volucres agitant ſua prælia,motus
Seditioque feras exercet,& humida ponti
Incola lethales ſtudiis diſcordibus iras
Committit:ſolum eſt antiquæ Muſca quietis
Exemplar,ſola hoſte caret,vivitque beatè.

A Muſca

a *Aemyl. Prob. Themiſtoc.* b *Feſt. l. 3. in Chaos.* c *Plin. l. 10. c. 28.*
d *Lucian.* e *Homer. l. 4. Iliad. 131.*

A Muſca ſi tu voluiſſes diſcere Nine
Quæ decuit,non rupta iſſent commercia mundo,
Nec mala præcipites vallaſſent oppida foſſæ,
Impulſique fero jacuiſſent ariete muri,
Aut faber inſano fabricaſſet tela dolori.
Diſcite mortales hinc argumenta quietis.
  Ne vires contemne tamen, ſunt & ſua Muſcæ
Iurgia, & ardeſcunt calida præcordia bile
Si quando,atque inſtat commoto pulvere Mavors,
Muſca boves Lucas,naturæ & maxima tentat
Corpora,mordacique *a* elephas perſtringitur ore,
Et gemit,& vulnus penetrato pectore ſentit,
Quem draco vix aſtu ſuperat,ſpiriſque reflexis.
Quæcunque Argæo eſt in gramine bellua paſta,
Gallica Francorum montes quæcumque pererrat,
Et rudit Arcadicis in ſaltibus,altaque luſtrat
Dyndima,progrediturque tuis *b* Getulia campis,
Iras Muſca tuas metuit,roſtrique vigorem.
Et ſi carpento mulas fortaſſe veredus
Adjunxit,temone ſedens fera Muſca minatur
Verbera, *c* quadrupedeſq; jubet properare citatas.
  Parva loquor,non bruta ſuis animalia tantùm
Viribus infeſtat,ſed qua leni agmine labens
d Nilus Alexandri turres interſecat, ipſos
Muſca homines petit,& duro convellit hiatu.
Tegmina ſollicito hinc ſunt Conopæa labori.
  Hinc laudẽ Spartanus habet, *e* qui umbone pha-
Terruit infeſtas,hoſti dans cominus ora (langes
Cælata in clypeo Muſca.Ergo aliũ horrida monſtrẽt
Terga leæ,hunc tigris,geſtatrix fulminis illum
Ornarit,fortes armavit Muſca Lacones.
  Iure quidem,nam quæ fecit natura creatrix
Permiſſu patris ætherei,cum luminis aura
Vitali excedunt,perit his motuſque calorque,
In cineremque abeunt moribundi corporis artus:
Muſca etiam capite abſciſſo,dat corpore motus,
Et ſalit exſpirare negans.Sic Lerna renaſcens

a *Lucian.* b *Caſsiodor. l. 8. ep. 31.* c *Phædr. fab. 45.* d *Iſidor. l. 19. c. 5.* e *Plut. Apophth. Lacon.*

Terruit Alciden,& terræ paſtor Iberæ
Geryon, & ſic Argolicis metuendus in armis,
a Tela Iovis contra Capaneus ſtetit ore furenti.
Et licet infirmi collidas corporis oſſa
Omnia:diſruptiſque ſeces vitalia nervis,
b Si calidum aſpergas cinerem,vel Solis ad ortus
Lumine convertas caſſam,remeabit in oſſa
Et calor,& ſanguis Muſcæ. Samii iſta diſerti
Diſciplina fuit quondam.ſic tempore belli
Euphorbus Phrygii ſacram geſtaverat haſtam,
Et meminit longi tranſacta pericula ſæcli.
c Smyrnæus vates ſi quem ſublimibus actis
Effert heroum,cui dextera prompta ſagaxque
Ingenium;nec fracta malis prudentia,ſed mens
Supra fortunam,Muſcæ illum ſcilicet acri
Comparat:audaci toties nam Muſca volatu
Proſequitur ſtudiũ incœptũ, *d* & nec myrtea virga,
Nec quæ Iunonis præbet flabella volucris,
Terruerint,rurſus quin lancem inſidat abacta.
Et ſi concilium ſupera regnator in aula
Convocet æthereus,rerumque extrema recludat,
Cœtibus immiſcet ſe Divûm Muſca,procaci
Seria perturbans luſu,thyrſumque Lyæi,
Et clavam Alcidæ,durique trabalia Martis
Geſa,Iovis fulmen & Palladis ægida temnit,
Quæ tamen immanes ſuperavit ſola Gigantes.
Nec ſuperis eſt Muſca choris indigna,flagellum
Illa Dei: (ſervus bigis ſic vectus in albis
Publicus eſt) nam cum dimittere noluit oras
Ad patrias,populum divinæ legis iniquus
Ægypti Dominus, *e* miſſa eſt furialis ab alto
Muſca polo,quæ terribili per viſcera lapſu
Regnaret,quateretque truci præcordia motu,
Inſolitaque lue ſontes puniret acerbè.
Quis neſcit magni reverentia quanta *f* Myodis?
Quanta Myagrei præſtantia numinis?illi
Sunt Muſcæ divi,tunc cum laudata Tonanti

Eleo

a *Stat.l.10.Theb.* b *Aelian.hiſt. anim.l.2.c.29.* c *Iliad.l.17.v.571.* d *Mart.l.3.ep.82.Lib.14.ep.67.* e *Oroſ.l.1.c.12.* f *Plin.l.29.c.6.*

Eleo pubes, qua ſydera tangit Olympus,
Deſudat ſtadio, ſeu nexu lubrica verſat
Brachia, ſive rotat diſcum, ſeu turbine cæſtus
Fulminea tractat, luctantum Muſca laceſſit
Corpora, *a* ſpectantumq; oculos petit, hoſtia donec
Taurus inaurato cornu cadat, & ſibi myſtes
Sacrifico promptus reſeret vitalia cultro.
Tunc nil inferior Neptuno, & nil tibi Apollo
Muſca abit, & ſecura ſacris dat tempora ludis:
Et volat, herboſus qua culmina tollit Hymettus.
b Nam Muſcam appellavit apem, clauſitque doloſo
In dolio, ſervans Solis ſacraria Cæſar.
c Mellaque deglubit, ſi dulci nectare cellas
Innocuæ ſtipaſtis apes, ſpoliatque tenaci
Flore favos, raptas & flent examina ceras.
Vivere nam gaudens alieno Muſca paratu,
Sæclaque ſectatur Saturni, & jura Platonis,
Et cum nil habeat, nil deeſt, penuria mœſtam
Non facit, oblimans hilarem nec copia reddit.
d Myrmecides clara retulit qui nomen ab arte,
Et quo bellipotens Sparte ſe jactat alumno,
Marmoream ſculpſit Muſcam, quadriga ſub ala
Hac erat, hac navis cum prora & puppe latebat.
Hinc *e* Conſtantinus, tutela liber ab omni
Muneribuſque vacet Muſcarius, & ſua laudet
Otia, ut eſſe queat magna perfectior arte,
Et præcepta ſuis tranſmittat talia natis.
Hæc tibi commendo, ſint hæc tibi Maxime curæ.
An medicas referam vires? ſi languor in artus
Fluxerit; aut caput indoluit, febrimque furentem
Æſtus agit, *f* potu ter ſeptem dilue Muſcas,
Et bibe, vaneſcet pulſus de corpore morbus.
Colchicus haud citius reparaverit Æſona ſuccus,
Non hoc Phyllirides Chiron, non præſtet Iolchos,
Non qui cælicolum tractat medicamina Pæon.
Sint hæc certa licet præclaræ encomia Muſcæ,
Impor-

a *Plin. l.* 10. *c.* 28. b *Lamp. in Heliog.* c *Varro de re ruſt. l.* 3. *c.* 16. d *Aelian var. hiſt. l.* 1. *c.* 17. e *Lib.* 1. *c. de excuſ. artific. l.* 10. f *Plin. l.* 30. *c.* 10.

Importuna tamen plerumque eſt natio Muſca,
a Cecropidæ aſt Ænædian coluiſtis Athenæ.
Nec minùs à doctis erecta eſt hybridos ara.
Hei mihi!quam multæ Muſcæ te Europa fatigant,
Et regum impellunt aures,falſoque relatu
Heu!ſuaves Academiæ apes imitantur,& almi
b Exſugunt lactis veneranda coagula roſtro
Ingrato,matrem feriunt & calcibus ipſam,
Sanguinē & abſumunt, manduntq; cadavera lentis
Morſibus, *c* & læſæ paſcuntur vulnere famæ,
d Virtutiſq; premunt meritū & cum fingere rectos
Non poſſint mores,acuunt majore paratu
Invidiam,& fictis dant vultum,& pondera dictis,
e Quos Proſagogidas Dionyſi dicere poſſis.
Heu fælix nimiumque beata *f* Carina,Tonantis
Non tantum cunis in ſidera vecta novena
Te paſſum à Muſcis diſtinguunt millia,& illæ
Arcentur longè peſtes. Sed maxima ſæcli
Ornamenta hujus,venturique unica fama,
Europæ proceres,quin ſpargitis ocyus *g* album
Helleborū,aut oleum, quo Palladis arbor abundat,
Quæ læſa eſt,quo tota ruat gens impia,cælo
Inviſa, *h* & ſanctæ telluris inutile pondus.
Aut hoc ſi nimium eſt,ſit ſaltem *i* Flavius,illas
Qui fuget à ſanctis adytis,oſtroque verendo
Cæſaris. Hoſpitium tenebroſo carcere Muſcæ
Olim erat,& ſi epulas captēt, *k* ſit eburna paropſis,
Inque hac marmoreæque dapes,& lignea cœna,
Atque Ixionios vertigo raptet amicos,
Qui malè reginæ tentant Iunonis honores,
Et *l* rota ſuſpenſas involvat aquaria Muſcas.

DAVI-

a *Pauſan. Attic. Henodot.* b *Iliad. l. 16. v. 641.* c *Iliad. lib. 19. v. 31.* d *Apul. florid. l. 1.* e *Rhodig. l. 22. c. 17.* f *Plin. l. 21. cap. 14.* g *Idem l. 25. c. 5.* h *Lucian.* i *Suet. Domit. cap. 3.* k *Plaut. pan. ſc. jam iſtud. Lamp. in Heliog.* l *Samprid. ib.*

DAVIDIS ECHLINI
OVA PASCHALIA.

OVa cano. Vati precor adſis Ova canenti
Mnemoſyne: tereteſq; globos, niveumq; colorē,
Et liquidas alborum undas, croceoſque vitellos,
Nectareumque cibum, & ſuccos luſtrare potentes,
Da Dea mî facilis placituro dicere verſu.
Principio in teretem ſe colligere ova figuram,
Et tenui incluſos muro cohibere liquores,
Archetypo paria, & primævi fornicis inſtar,
Iuſſerat æterni divina potentia Verbi.
Conſultò; quid enim vaſtũ niſi mundus hoc Ovũ eſt,
Cuncta fovens gremio cunctarum ſemina rerum?
Queis ſimul æthereo incubuit Natura calore,
Omnigenum variæ excluduntur formæ animantũ.
Tantum juris habet Superis mandata poteſtas,
In maſſam è fluxis hanc conglomerata elementis,
Quæ vaga limitibus concluſit Luna quaternis,
Non niſi digeſti fæcem excrementaque mundi.
Nec verò ſtupido turbet tibi pectora ſenſu
Naturæ facies Ovalis: namque vetuſtos
Hæc habet authores ſententia: non mihi primo
Se tumidum mundus, nullo duce, finxit in ovum.
Ergo ſuper longo non æquus vertitur axe, &
Imparibus regione polis: quippe alter in arctum
Cogitur, aſt alter ſpatioſam exivit in oram.
Vnde fit, ut medium quæ cingit zona cylindrum
Latior, in partes totum non dividat æquas.
Sive ſuper noſtro ſublimis vertice major
Sectio conſpicua eſt; & acutior angulus imos
Viſerit Antipodas: ſeu converſa vice magnum
Sub pedibus Styx atra videt maneſque profundi
Fortè polum: & parvus ſupera ad convexa volavit,
Incumbens apici noſtro, nautaſque gubernans;
Hoc tibi diſcutiant veterum decreta Sophorum:
Democritique & Anaxagoræ monumenta revolve.
Quo te Muſa pedes, Ovorum oblita? relinque

Muſa polum, poſitis mecumque fideliter Ovis
Incuba, & aſſiduè: officiat ne frigidus aër,
Et mala vivificum ne deſtruat aura calorem.
  Candidus eſt Ovis color: ut lactive nivive
Vel fuco, quo olidas pingit ſibi fœmina buccas,
Vel quæ fatidico ſolantur funera cantu,
Vel quæ pro canibus clangentia ſigna dedere,
Nil cedant avibus, ſpecioſi imitantia cæli
Splendorem, levemque cutem, vultuſque decoros.
Atque adeo ut formam ſic accepere colorem
Ova, ſub expreſſa radiantis imagine mundi,
Quatenus id fieri potuit. Nam quando negavit
Perſpicuum Natura decus, quod in ęthere puro eſt,
Æmulus æthereum penſavit candor honorem.
Candor rex alios inter dominuſque colores,
Vt princeps inter popularia ſidera Phœbus.
Candor, qui radios oculorum ſpargit in amplum,
Qui in ſpatia adverſis coeunt anguſta tenebris.
Vſque adeo majora videntur candida, quam quæ
Traxerunt fuſcum metuenda pelle colorem,
Vtcunque à viſu pariter diſtantia noſtro.
Iupiter in nivei quondam taurique cygnique
Ludit amans habitu, exoptataque furta reportat.
Memnonioque olim mulctata eſt lingua colore
Garrula, detractis niveo de corpore plumis.
Candida pulchellas commendat forma puellas.
Magnorum ut pueros quondam coluere Deorum,
Queis foret in niveo candor ſpectabilis ore.
Et niveo nuper, quis credat? corpore corvum
Candidum, ut æquaret totas ſine labe columbas,
Scotica delitias inter regina tenebat.
Qui color ater erat, nunc eſt contrarius atro.
Ac ne fortè albo temerè perfuſa colore
Ova putes, certo voluere hoc provida fata
Conſilio: ne quando ſuis gallina ſub alis
Ova videns obſcura, nigriſque horrentia teſtis,
Deſereret fœtus, & faſtidita relinquens
Pignora, tam aſſiduo devicta labore fatiſcat.
Sic rudis imperfecta perirent germina pulli.

Per-

Pergito Mnemoſyne,& ſuperatis mœnibus,urbē
Ingredere hinc,cautoque regens veſtigia greſſu,
Duc age per magni vatem compendia mundi.
Ergo poſt primos teſtacea mœnia muros,
Membranam tenui circumdedit orbe tenacem,
Quæ fragilem ſocio firmaret robore cruſtam,
Et propiore elementa modo interiora referret,
Non contenta uno Natura & ſimplice vallo.
Sic dura mollis munitur bractea teſta.
Sic & in æthereo tunica eſt non unica mundo,
Sed varios variis involvens orbibus orbes.
Ni tamen hic fuerit nimium temeraria fortè
Mens humana,audaxque nimis ſolertia. Quondam
Non tot agebantur circum:creſcentibus annis
Increvere poli,textumque adolevit eorum
Vndecuplex:fruſtra & ni me docuere parentes
Augurium,venturi agitabunt deinde minores
Fertile cælorum ingenium,ſi tramite trito
Stellula deflexit malè prudens:jamque verendum
Ne,quod erat mens olim Epicuri vaticinata,
Currat in infinitum abiens ſine limite mundus.
Non etenim, ut ſerpens pellem cum vere recentem
Accipit,exuvias laceras prius abjicit,Orbis
Sic detrita novis commutat tegmina:verùm
Quem ſemel induerit nuncquam deponit amictum.
Quo feror?an rapitur mihi mēs?nuncquamne relicto
Æthere,ſuppoſitis totus meditabor in Ovis?
Pelliculam inſequitur frigens albuginis humor.
Nam quæ debuerat ſummam conſcendere in arcē,
Et dorſo inſtabilis ventrem contingere Lunæ,
Ignea vis,ignique levi conterminus aër,
Haud cuivis ſunt prompta notari.Dædala mater
Conturbati adeò primordia miſcuit Ovi.
Nec mirum exiguo latitare hæc corpora clauſtro,
Vt ſenſus fugiant nimium ſubtilia noſtros: (mole
Quando etiam in magna hac eadem quoq; corpora
Aut nulla omnino,aut oculis impervia noſtris.
Et quiſquam ſuperis putet eſſe in ſedibus ignes
Credulus,ardentis ni flagret machina mundi?

Iam

Iam quæſo, totum hoc quod vulgo dicitur aër,
Quid niſi deſertum vacuumque pateſcit inane,
Trajiciens celeres ſupera ad ſpectacula viſus?
At vero irriguis albumina lubrica lymphis,
Quæ circum croceos fluitant lambuntque vitellos,
Auſim ſecurus refluo componere ponto
Humida tendenti per cunctas brachia terras.
Seu frigus ſpectes innatum, ſive fluentem
Humorem, vitreum ſeu ſpectes fortè colorem.
Luteus extremò ſubſedit in ima vitellus,
In medio pendens, nullo ſufflamine, centro:
Et circumfuſis immobilis innatat undis.
Taliter ingenioſa anguſto carcere mundum
Clauſit, & oblongum Natura redegit in Ovum.
Sunt tamen inverſo qui tradant ordine, teſtam
Pulveribus ſimilem ſiccis, ignique vitellum
Germanum, ob pariles in corpore utroque colores.
Atque ita mutatis retrò regionibus, atrum
Involvunt chaos; & ſupremis infima lege
Turbantes nulla, miſcent terramque polumque.
Sic hominem Plato divinus depinxerat olim
Arborem, & erectos tollentem ad ſydera truncos,
Et contra ramos ima tellure prementem.
Muſa gradum ſiſte, invalidis ſublimia pennis
Neu tentato, meumque velis ne excedere captum.
Nunc jucunda cibos propter convivia natos,
Suggere, nam locus eſt, & lautæ fercula menſæ.
Incipere antiquum conſuevit prandium ab Ovo.
Quin exibat idem quondã quoq; prandium in Ovũ.
Hinc cape principium, rediens huc deſine, læto
Vivere vis genio, nec bellum indicere ventri.
Quin etiam ſolis qui menſam inſtruxerat Ovis,
Vt neque piſcoſum mare, nec ditiſſima tellus
Amplius exhibeat, mihi non malè pranſus abibit.
Nec minus, ac teneris miſcens conchilia turdis,
Qui ſtomachum laxat, dubiæque in tempore cœnæ,
Tam diverſa vorax avidam demergit in alvum.
At tibi ſi ambigua prandere paropſide mos eſt,
Nauſea ne laſſum offendat male grata palatum;
Mille

Mille Ovûm facies,nec forma veſcimur una.
Sunt quibus Ova elixa placent,& ſunt quibus aſſa,
Nec deſunt quibus Ova cava ſartagine frixa
Illecebra incautum incantant fallacia guſtum.
Hic miſſa in latices calidos cum oleoque garoque
Suffocat,rigiduſque obſtructa ſtrangulat olla.
Ille tamen furno ſequitur concocta calenti
Ova,atque ædificans cereali plurima tecto
Claudit,mellitæque ligurit more placentæ.
Alter amat prædura,aſt mollia poſtulat alter:
Sectilia hic,aſt contra ſorbilia ille requirit.
Ille petit tremula,aſt hic vult ſibi firma reponi.
Quid referam immenſæ tot condimenta culinæ,
Ingenioſa inventa gulæ?quæ apponere jam nunc
Omnia ſi tentem, oblitus finiſque modique,
Producta in ſeram excurrent convivia noctem.
Nec plura Actiacas Antonius & Cleopatra
Ante acies,gravidis onerabant fercula menſis.
Famaque frugalem ſileat Sybaritica luxum.
Cætera,ne longum faciam,tibi Apicius author,
Vel Catius,docti dabit aut ſchola Naſidieni.
Regales Divûmque dapes!quas nec bona ſæcla
Saturni renuant,nec myſtica Pythagoræum
Relligio,incutiens horrorem in pectora vanum.
Quid metuas fleti manes violare parentis?
Nondum prolifici vitalia flabra vitelli
Inſpirato agitant trepidantia membra vigore.
Immo ego,flammantis quoties regnator Olympi
Indulget genio,cum conjuge, Dîs reliquiſque
Pro ambroſia,dulcis ſuccum libare vitelli
Crediderim,liquidique etiam vice nectaris,uvam
Carpere pampineam,& generoſi pocula vini.
Hæc duo ſemper erũt,ſi quid mea carmina poſſunt,
Optimus, Ovaque & Vva ſimul,potuſq; cibuſque,
Nectar & ambroſia,æternorum cœna Deorum.

Iamque epulis exempta fames,menſæq; remotæ,
Surge age,Muſa,novum mecumque ſubire laborem
Vſque velis;campoque libens invecta patenti
Expatiari iterum:laxiſque licenter habenis

Libera,

Libera,multimodas Ovi percurrere laudes.
Noxia ſi priſco contagio tempore tectum,
Aut urbem,aut lectum fœdaſſet,ſive theatrum,
Pollutum mox tabe locum luſtralibus ovis
Moris erat quondam purgare: nec aptius iſti
Officio ſulphur,nec tæda,nec humida laurus.
Pluraque cum fœtis veniant animalia ab ovis,
Optima majores duxere piacula noſtri,&
Grata Diis,queis multa animantis ineſſet origo.
Nec vero ſolas Ovum peperiſſe volucres
Credideris:ſimili Lucinæ numina partu
Sollicitant thalami,ſtimulante dolore,marini:
Ovaque crebra fovent vitreo ſub marmore piſces.
Nec non ſerpentes,cum vermibus,atque lacertis:
Quęq; humili reptant per terrā animalcula ventre,
Plurima fœcundis ea gens ſuppullulat Ovis.
Et genus humanum non ſemper,credere ſi fas,
Vitales animatum in luminis editur oras.
Tyndaridæ gemino prognati bis duo ab Ovo.
Adde quod Empedocli maturum creditur Ovum
Creſcere neſcio qua peregrinos in arbore fructus.
Hinc ſapiens Ovi genitalia membra creavit
Æmula teſticulos tornans Natura rotundos.
Hanc etiam ſortitæ aures & lingua figuram,
Diſſimili ratione tamen, cauſaque canenda.
Namque aer rerum vi confligente duarum,
Eliſus fugit è medio,queruloque ſonore
Multiplices geminat gyros:Ovumque imitatus
Continuum numeroſa volumina torquet in orbem :
Sic teres à terete in teretes vox lingua it in aures.
Haud ſecus,in puteum ludens aliquando profundū,
Immiſit puer exiguum ſi forte lapillum:
Protinus à centro,innumeros ſe mollis in orbes
Fingit aqua:& fluctus majori proximus inſtat,
Rumpitur adverſæ ni offenſus ab obice ripæ.
Hoc tantum diſtat,quod aquæ vertigo rotunda eſt.
At vox ovatam affectat cognata figuram.
O mihi ſi liceat,divini oracla Platonis
Percipere in numeris, inq; orbibus,inq; triquetris!
Nam

Nam velut à lato in conum conſtringitur Ovum:
Orta gravi in modulos ſic ſenſim aſſurgit acutos,
Infima cum ſummis juſto modulamine nectens
Congrua compoſitæ & teretis concordia vocis.
Vtque oculus faciem fines compingit in unam
Ovi diſpariles; gravis & concentus acuti,
Temperie mixta ſic jungens ima ſupremis,
Suaviſona illectas dulcedine detinet aures.
Illud idem in magno fuerit quoq; cernere mundo,
Adverſa adverſis ſociante elementa elementis:
Vnde decus mirum & rerũ pulcherrimus ordo hic
Naſcitur: & Samius ſi verum prodidit olim
Dogma ſenex, reſonante teres vertigine cantus
Funditur, at ſurdam aſſuetudine decipit aurem.
Non lacti lac tam ſimile eſt, ſed nec ſibi quiſquã
Tam ſimilis, duo quam collatis frontibus Ova.
Nec tamen interea parvo diſcrimine refert,
Longane ſubjicias gallinæ, anne Ova globoſa:
Maſcula vis iſtis, contraria inhæret in illis.
Attamen utra utri ſint ſexui idonea, docti
Multa viri certant, & adhuc ſub judice lis eſt.
Illa meum ſuperat planè admiratio captum,
Quomodo per fines obſiſtat fortiter ambos,
Viribus haud Ovum cedens ingentibus, ac non
Succumbens oneri, quamvis magnoque gravique:
Non ſi pertenuem ſonipes premat ungula teſtam.
Nam quod de crocea prodit nova ſtirpe propago,
In locuplete penu poſitumque albumen: opinor
Omnibus hoc lippis notum & tonſoribus eſſe.
Multaque ab annoſa vetulæ didicere magiſtra.
Vſque adeo almorum patet indulgentia Divum.
Ergone deſperent proviſum animantia victum:
Cum tam ſollicita conſervent Numina cura,
Quæ nondum liquidi venere ſub ætheris axem?
Neve laborantem exitioſa tonitrua fœtum
Corrumpant, docuit longa experientia matres.
Pulliparis ſubdendum Ovis caput illius herbæ,
Quam Venuſina ſacris devovit pagina diris.
Nunc vulgus ferri ſubſternit vilia ſcruta,

Ne pereant audita hoſtili voce rapacis
Accipitris. Tantum pullis natura timorem
Indidit, implume ut vitient opus, atque inimica
Spem ſibi præripiant naſcentis faſcina prædæ.
Quid memorē occultis arcana recondita in Ovis?
Candida pars argentum, & lutea denotat aurum,
Optima de cunctis & præſtantiſſima magnæ
Viſceribus terræ: hinc & opes veniunt & honores:
Sic rata vendebant recutiti ſomnia apellæ.
Et mihi tranquillæ per opaca ſilentia noctis;
Cum placidus premeret ſopor artus, non ita pridem
A ſummis viſum pendere laquearibus Ovum.
Conſulo ſomnidicum, quid ſentiat, Artemidorum:
Ille refert cæcos ſubter conclave latere
Theſauros, ignotum argenti pondus & auri.
Infodio: nihil invenio. Procul hinc, procul ite
Irrita mendaci ludibria imagine, cunctis
Paſſim ſub foliis hærentia: ne mihi mentem
Fallite, quin porta procul hinc concedite eburna:
Nil mihi cum viſis, niſi quæ Iove miſſa fuerunt.
Priſca quidem veteres deploravere poetæ
Tempora. Calliope pauper: mendicus Homerus.
At Mecænates aliquot tamen illa tulerunt
Sæcula: nunc ſpretum jacet & ſine nomine cultum,
Proh dolor, ingenium, & divinæ particula auræ:
Nullus honor meritis, nec ſunt ſua præmia laudi:
Non operæpretium: nulla emolumenta laborum:
Latranti languet ſtomacho jejunus & alget,
Frigida Pieridum ſequitur qui caſtra ſororum.
Et piget inviſas Parnaſſi inviſere lauros.
Iam Permeſſis amara: odioſæ Aganippides undæ,
Cirrhaq;, & Hippocrene, Helicon, ingrataq; Tempe,
Vaniloqui tripodeſque: & inania numina Phœbi.
Ipſe mihi videor ſtygios audiſſe ululatus,
Si cortina cavo maleſana remugiit antro:
Ite leves Muſæ, ſterileſque valete Camœnæ:
Si prius inceptis finem tamen additis Ovis, (rant:
Quæ in Zephyros vereor Zephyris ne nata recur-
Quod malim, teſtis quàm inſtare pericula ruptis.
Reſtat

Reſtat ut extremis, patuli miracla ſepulchri
Solenni renovat pia cum gens ſanctaque ritu,
Concelebrans memoranda trophæa Deiq; hominiſq;
Mutua qui fuerit Paſchalia mittier Ova
Mos vetus, & canæ quæ relligionis origo;
Verſibus expediam: longinqui ea meta laboris.
An quia ritè dies deni quater abſtinuere
Hoc victu: ſtipatiſque Ova repoſta caniſtris,
Triſte per & mœſtum ſpatium, nunc lumine feſto,
Munera de magno veniunt promptiſſima acervo:
Vel quibus improviſo exſtructa ſtet hoſpite menſa?
An quia perfectam referunt velut Ova figuram:
Sacra Salutiferi ſic firmo pectore Ligni
Vulneraq;& mortem,tumulos,monumentaq;aperta
Qui colit, anfractu nullo, nulliſque lacunis,
Aſper,ineptus,hians; ſed planus, lævis,& æquus
Debeat eſſe, brevi totus teres atque rotundus?
An quia lacteus immaculato in munere candor
Nos monet, exuto vitiorum pallio, abollam
Sumere fulgentem, & niveos virtutis amictus?
An quia depoſito pullæ de corpore veſtis
Tegmine, ſqualenti luctuque ſituque remoto,
Nos jubet in niveis conſcendere equiſq; togiſque:
Annua per longam lætos capitolia pompam, &
Cum duce magnificos victore agitare triumphos?
An quia, non tacito, luſtralia munera, ſigno
Luſtrales referunt pretioſi ſanguinis undas?
An quia,poſt mundum tam juſta à morte redemptũ,
Donantur parvo magè parvi in munera mundo?
An quia poſt longa intonſi jejunia patres
Piſcibus oppoſitas vetuere repentè relictis
Confugere ad carnes ex tempore, ni prius Ovum
Semianimal, medium feciſſet ab æquore ituris
Squammifero in terras pontē,intermiſſa gradumq;
Monſtraſſet ſenſim ſolitæ ad veſtigia vitæ?
Nam ſubita eſt omnis damnoſa receſſio, quamvis
In melius.Tantum valet aſſuetudo recepta.
Et licet informi tacitè latet inſita in ovo
Igniculi ſcintilla calentis: non tamen omnis

Spiritus excuſſus, nec vivæ incendia flammæ.
Sic pia majorum reverentia,non niſi ſacras
Poſt tumuli luces reſerati, à piſcibus unctas
Ad carnes, medium trepidè rediere per Ovum.
Impia poſteritas titulos traducere avitos,
Degeneres animi, inculpati dedecus ævi,
Vix avidum volumus paucos compeſcere ventrem
Soles, in memorem gratumque illius honorem;
Qui bonus immeritò pro nobis in cruce tanta
Suſtinuit mala probroſa: capitiſque petitus
Supplicio, triſtes Erebi deſcendit ad umbras:
Luce perendina at recluſo evectus Averno
Emicuit, ruptiſque imi penetralibus Orci,
Evaſit ſuperas victor redivivus ad auras:
Materiemque dedit, vicibus redeuntibus, Ova
Mittere ſolenni ritu Paſchalia. Sed tu
Deſine, Mnemoſyne, tandemque abſolvito.nam ſi
Temporis in primis tantum conſumitur Ovis
Quando erit in menſa ut guſtemus mala ſecunda?

PETRI GOLDMANNI

Taodunenſis

POEMATA.

Margaretæ Iacchea matris ſuæ ſuper triſti & immatura morte quatuor filiorum Lachrymæ.

ILla ego ſum genitrix natorum examine longo,
Quæ quondam fælix Taoduni in matribus ibam:
Cui novies uteri ſolvit Lucina labores.
Quam geminæ natæ, ſeptenaque maſcula proles,
(Quos natura parens,quoſque indulgentia cœli,
Omnibus ornatos voluere excellere rebus)
Cingebant, & longa manus ſerieſque nepotum.
Optaſſent multum Gallæ, cuperentque Britannæ
Sic peperiſſe nurus. Et jam juveneſque ſeneſque
Me jurare, bona natorum excellere fama:
Fortunas laudare meas, digitoque notare:
Hæc illa eſt fælix uteri, cui tanta creandi

Copia

Copia, quam longus natorum exercitus ambit;
Hæc illa eſt cunctis quæ matribus altior extat.
Fælix heu nimium fælix, ſi gaudia tantùm
Non citò lanificæ temeraſſent noſtra ſorores.
Patricius princeps noſtros corrupit ocellos,
Patricius, Batavo quèm ſævus in æquore merſit
Neptunus, patriæ repetentem littora terræ.
Cum placidi mores, innoxia pectora, mite
Ingenium, facileſque aditus, & lingua benigna,
Illum permulti generum petiere parentes.
Illum permultæ ſponſum optavere puellæ.
Quumque tuos peteret, ſcelerata Batavia, portus;
Hæc fruſtra ad cælos fundebant irrita vota:
Chriſte graves hominum ſemper miſerate labores,
Terrarum, cælique ſator, vaſtique profundi
Arbiter, undarumque potens; ſuper æquora noſtræ
Pars animæ, nunc ire parat: tu dirige puppim,
Tu mare tranquillum, & ventos largire ferentes,
Et tandem patriis dignare advertere terris.
Non brevia, & Syrtes, vaſtæ non agger arenæ,
Non ſcopuli noceant, non ſaxa latentia fundo
Æquoris, aut multùm nautis caligo timenda,
Et cadat incaſſùm decimæ tumor arduus undæ.
Sic pia relligio, multis concuſſa procellis,
Et labefacta fides, totumque agitata per orbem
Vendicet antiquum, priſcaque in ſede locetur.
Sic te ſubmiſſus veneretur Turca, tuaſque
In leges Iudæus eat, tecumque benignè
Chriſticolas foveat, diviſaque pectora tandem
Iungat inabruptâ concordia longa catenâ.
Sic noſtro infenſus generi, partæque ſalutis
Hoſtis atrox, Stygias Erebi detruſus ad undas,
Æternum ſedeat, centumque revinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremat horridus ore cruento.
Sed fruſtra cælos in vota preceſque vocabant.
Nunc te pontus habet, verſantque in littore fluctus,
Ah fili, & trucibus debes ludibria ventis:
Piſcibus eſca jaces, & monſtris præda marinis.
Nec quiſquam exiguæ munus conceſſit arenæ

Nauta, nec injecto ter pulvere condidit oſſa.
Forte dies veniet, quem non procul auguror eſſe,
Quo tua Zelandi, terrarum motibus acti
Prodigiiſque poli minitantibus,oſſa piabunt,
Componentque tuos Batavo in littore manes,
Æternumque locus Goldmanni nomen habebit.
Proximus hunc, noſtrum plaga graviore recluſit
Pectus,Iohannes: quem non reverentia cœli
Plurima, non animus vera pietate recoctus,
Non ſincera fides, penituſque infuſa medullis
Relligio, plebiſque oculus miſerator egenæ,
Non decus egregium formæ, frontiſque decoræ
Altus honor, roſeo non mixtus ſanguine candor,
Tranſmiſit ſenio, fatove exemit acerbo.
Peſtilitas, cæli vitio, terræque coorta,
Incubuit muris, queis donat nomina Taus,
Taus ab Albanis repetens cunabula terris,
Scotigenaſque inter longè celeberrimus amnes.
Hic binis ea tetra lues incanduit annis,
Vaſtavitque domos, exhauſit civibus urbem:
Miſta ſenum ac juvenum denſantur funera, paſſim
Luctus, & horrendæ facies fœdiſſima mortis.
Exhalant juvenes animas ante ora parentum,
Et pueri vitam ponunt in limine vitæ.
Succumbit medicina malis: ab Apolline doctus
Kynalochus meliora Deos ſedet omnia poſcens.
Nil flammis luſtrare domos, nil mergere lymphis
Corpora, nil vino morbi oppugnare venenum,
Profuit, aut ſurdum precibus laſſare Tonantem:
Sed magis atque magis morbi contagia ſerpunt.
Iam Ramiſæus obit, jam juſti æquique tenaces
Louvellus, Linuſque cadunt, queis cura tuendæ
Vrbis erat, populique ſalus pro lege ſuprema.
Iam tumuli deſunt, jam cœmeteria functis
Deficiunt: non æra crepant, non more parentum
Præcedit funus comitum mœſtiſſimus ordo.
Ergo domos (ea viſa ſalus morientibus una)
Infectas, cælumque nocens, & tecta relinquunt:
Diffugiunt, muri raro cuſtode tenentur,
Rarus

Rarus & antiquis habitator in ædibus hæret.
Compita perque olim multa pulſata pedum vi,
Carduus exoritur: lappæ, tribulique nocentes,
In mediis creſcunt ſtratis: miſerabile vulgus
Vicinos metatur agros, tentoria crebra
Figit, & inſanos vitat ſub pellibus imbres.
Aſt alii caſtella petunt, vicinaque latè
Oppida:munitam Ventoni fertur ad arcem
Noſter Iohannes, comitatus conjuge fida.
Ecce autem inſtantis cladis, luctuſque futuri
Præſagus, ſapphirus hiat, circumdatus auro,
Et domini proprio prædixit vulnere vulnus.
Eheu quid dulces prodeſt liquiſſe penates?
Inſequitur nimbis & ventis ocyor Ate:
Nec poſt terga litæ ſarturæ damna ſequuntur.
Inficiunt maculæ pectus, ſenſuſque labaſcunt,
Mens animi languet; tingit rubor igneus ora:
Accurrit conjunx, lectiſſima fœmina,nullis
Aſtantum precibus famulæve vetantis abacta:
Terque quaterque ſui corpus complexa mariti,
Suſpicienſque polos,ait, ah disjungere amantes
Fruſtra fata parant, mecum moriere marite,
Me ſine non poteris:non te mihi flamma,nec undæ,
Non ferrum eripiet, non tela triſulca Tonantis.
Tecum,quem dederat curſum Fortuna,peregi,
Nunc tecum moriar, tecum juvat ire ſub umbras.
Si ſuſcepta forent de te mihi pignora,ſi quis
Parvus Iohannes penderet ab ubere noſtro,
Poſſem homines, lucemque pati, ſævoſque dolores
Lenirem, tenui fallens ſolamine luctum.
Sed tecum proh cuncta rapis, domus omnis in uno
Deſolata jacet. Tu vir, tu pignora,ſolus
Tu genitor, materque mihi, fraterque ſororque:
Tu capitis diadema mei, tu gloria noſtra,
Tu ſolamen eras: te ſoſpite, celſior olim,
Orba licet, multis Taoduni matribus ibam.
Ne metuas, ne læſa fides, ne pectore in iſto
Alter vivat amor tecum, tecum ibimus, una
Ibimus, & priſco poſt fata fruemur amore.

Me pia poſteritas, unum noviſſe cubile,
Atque uno caluiſſe viro, nulloſque mariti
Alterius noſtris agitaſſe ſub oſſibus ignes,
Narrabit, Trallamque ferent ſuper aſtra minores.
Hæc effata, oculis morientibus oſcula figit
Preſſius, & labris liventibus applicat ora.
Ille graves oculos, ad notum attollere nomen
Viſus, & infracta ter Trallam voce vocare.
Sic junctim hærentes, longum miſerata laborem
Difficileſque obitus, mors una cuſpide fixit.
Fælices animæ, quas mors, quas vita jugavit.
Veſter honos vigeat, de vobis ſera loquantur
Sæcula, venturique velint meminiſſe nepotes.
Semperque è tumulo viridiſque è margine cippi
Erumpant violæ, calthæque, & molle cyperon,
Coryciumque crocum bene olenti certet amomo.
Hinc ſternacis equi lapſus cervice Robertus,
Et capulo incumbens gladii, latus hauſit, & omnes
Abrupit renum violento vulnere venas.
Nunc jacet ad Boream, ubi pulchra Moravia lætos
Extendit latè campos, non meſſibus Afris,
Nec Cerere Ennæa, Phario nec victa colono:
Hic ubi longa dedit terris cognomina Neſſus,
Cujus aquæ nullo concreſcunt frigore brumæ.
O fatum infælix, facieſque miſerrima fati!
O gravius letho lethi genus! Hei mihi nate
Non licuiſſe tuos matri componere ocellos,
Non buſto, tumuloque frui, fletuque rigare
Aſſiduo cinerem; ſectoſque impendere crines.
Quis ſcelus hoc unquam fatis hæſiſſe putaſſet?
Nam tibi pollentes vires, validique lacerti,
Ingenteſque humeri, ſpatioſaque pectoris oſſa;
Membrorumq; vigor, larguſque in corpore ſanguis,
Spondebant multos fatis melioribus annos.
Bis tinctum ſophia pectus Natura benigna,
Et fabricata dedit raro præcordia ſaxo.
Te ſæpè artificum longus circumſtetit ordo,
Plebeſque in dubiis à te reſponſa petivit.
Tu tumidos animos, commotaque pectora vulgi,
Majeſtate

Majeſtate manus ſedaſti, & fulmine linguæ.
Quid prodeſt fudiſſe preces, & vota Tonanti?
Conderet Hiſpanis, & cum ſe tolleret Indis
Littoribus Phœbus, medio vel curreret axe.
Quid prodeſt ſatiaſſe inopes undæque cibique?
Horrentique tuas hyeme donaſſe lacernas?
Ah, nulla eſt cælo pietas (ſi dicere fas eſt)
Talia quæ curet: temere regit omnia caſus.
Sed nos, heu ſtolidi, nobis confingimus ipſi
Mentimurque Deum; primumque minantia terris
Fulmina, & ignotis naſcentia fulgura cauſis,
Invexere Deum mundo, numenque crearunt.
Parce parens rerum, juſtiſque ignoſce querelis,
Nam dolor in duras cogit prorumpere voces.
Te fili, conjunx pluſquam viduata marito,
Parvaque natorum deflet manus, orba parente.
Extinctum luget te plebs, te curia tota,
Iuſtitiumque agitant patres ferale per urbem.
Dux gregis ipſe aries amicitur vellere pullo,
Et tua cognatis exæquat funera damnis.
Saxea compages, octonis fulta columnis,
Nec tibi, nec domino longum poſſeſſa priori,
Vicinas mœret non ſurgere pulchrius ædes.
Haye decus generis, genus alto à ſanguine patrum;
Qui nati exequias celebraſti ad flumina Neſſi,
In commune bonus, patriæque in commoda natus;
Quas tibi perſolvam grates? quæ dona rependam?
Sic te,qui triplicis regni moderatur habenas,
Semper amet, faveatque tuis conatibus æquus.
Sic tibi pro ferri ſcabra rubigine, Fiſa
Findat Dalmaticum ſemper fœcunda metallum.
Iam mihi placatum Numen, cælumque benignū,
Poſt tantas clades, poſt funera tanta meorum
Spondebam,& ſenſim,non unum in pectore vulnus
Ducebat callum; ſed ut unda ſupervenit undæ,
Inſequiturque dies tenebras, dolor ecce dolorem
Excipit, & curæ ſuccedit cura priori.
Nate, meæ vires, mea magna potentia ſolus,
Primitiæque uteri,qui dulci jure parentis,

Et me materno decoraſti nomine primus,
Tu quartus Gulielme cadis: mors ultima dextram
Tam charo injecit capiti, cæloſque nocentes
Fecit, & invidiam Superis, crimenque nefandum
Impegit, nullo crimen delebile ſæclo.
Et nova te rapuit facies, inopinaque lethi,
Nec miſeræ, extremum affari, data copia, matri.
Delicium patriæ, Taoduni publica cura,
Et populi communis amor, columenque tuorum,
Te quæcunque ſolent alios diviſa beare,
Ornabant congeſta ſimul: mens numine freta,
Et ſtudioſa boni, veræque innatus ab ortu
Relligionis amor, rerum prudentia ſumma,
Aurea ſobrietas, nulliſque obnoxia donis
Iuſtitia, & duris non pronum cedere pectus:
Affatus blandi, dulcis facundia linguæ,
Lingua animo concors, opulentia larga, paternus
In fratres animus, genialis menſa, venuſti
Innocuique ſales, offenſæ oblivio, firmum
Fœdus amicitiæ, ſacroque in pectore ſedem
Ceperat alma fides, mentemque amplexa fovebat.
Non inconcuſſam turbarunt gaudia mentem,
Non metus imbellis, non ſpes, dolor, ira, voluptas,
Quæque aliæ peſtes rationem è pectore pellunt.
Inſtar eras populi, nec quiſquam è gente Britanna
Plus ævi, tanto ſpatio, vitæque redemit.
Se bimaris tali jactaſſet cive Corinthus,
Et certa Adriaci, Marcus, tutela profundi:
Officiis genitrix certavit Scotia tecum,
Et paribus ſtuduit virtutem extollere factis:
Rem populi tractare dedit, legavit ad oras
Sanguineas Batavûm, ſummos conceſſit honores,
Quos habuit. Sed ſi te, fili, priſca tuliſſent
Tempora, virtuti cum regna & ſceptra dabantur;
Te domitæ gentes coluiſſent poplite flexo,
Et tua Romanos impleſſet purpura faſtos.
Anguſtis arctata locis extendere ſeſe
Non valuit virtus, nec nomen tradere famæ.
Sic ſonipes, metæ ſpatiis incluſus iniquis,

Æſtuat,

Æſtuat, & ſemper ſua per veſtigia currit,
At ſi ſeſſoris dextra laxentur habenæ,
Evolat, & rapido tranſit pede Theſſala rura,
Nec totum Hæmoniæ ſpumanti ſufficit æquor.
Te moriente, Taus fugit, voluitque reverti
In genitale caput, lentiſque remiſſior undis
Perſtrinxit ripas: quæque ardua deſpicit urbem
Pyramis, & nitidis celſum caput inſerit aſtris,
Induit humanos ſenſus, & vertice toto
Nutavit: rauco ſonuerunt murmure nolæ.
Inſedere apicem ſtryx, obſcœnæque volucres
Templorum,& cecinit ferali carmine bubo.
Vicinaque domo vox exaudita gementis
Sæpè queri, & longas in fletum ducere noctes.
Et nati, infandum, tectis illapſa columba
Ante pedes, dulcem fudit cum vulnere vitam.
Fortuna genioque tuo, digniſſima tecta,
Sint tranſmiſſa licet nato, cui cuncta benigna
Ad laudem natura dedit, lugere priorem
Non ceſſant dominum, ſævoque opprobria cælo
Ingerere, & mutis aſtra incuſare querelis.
Numinis interpres, quo non ſollertior alter
Inſtillare animis divini ſemina cultus,
Lindeſius ſævit, pietas irata ſiniſtris
Cælicolis furit,atque odit ſolatia luctus.
Ille etiam, cujus mentemque & pectora totus
Intravit Deus, atque hominem dare terga coegit,
Wedderburnus adeſt, & quanquam haud cedere
Adverſis; triſti caſu concuſſus amici (ſuetus
Ingemit, invitum rumpunt ſuſpiria pectus.
Robertſone,gregis Domini fidiſſime cuſtos,
Moribus, & vita par priſci patribus ævi,
Tu mortem hanc,urbi magnam portendere cladem
Dixiſti,& Superos populo graviora minari.
Summe parens rerum quid me ad diuturna reſervas
Supplicia? & miſeræ producis ſtamina vitæ?
Tempora quid differs fati? quid ſæve minutis
Ictibus excrucias, & me per membra trucidas?
Expendi nimium vivacis damna ſenectæ:

Inviſam liceat jam tandem abrumpere vitam.
Longa dies graviora facit mea vulnera,pectus
Nulla levant longi ſolatia temporis ægrum.
Ante oculos ſemper natorum triſtis imago
Excutit attonitos noſtro de pectore ſomnos.
Summa quibus ſemper patrii reverentia vultus,
Maternique fuit: certe tu talibus annos
Neſtoris, & longæ fælicia tempora vitæ
Pollicitus, quæ te genitor ſententia vertit?
Iuſta fuit ſeries, matri ſuccedere natos.
Ordine quid verſo veniunt? cur pignora mater
Effero? & in tumulo, vivens,mea viſcera condo.
Cur fato intereunt crudeli, & morte ſiniſtra?
Patricium Batavis Neptunus merſit in undis,
Peſtis Iohannem rapuit, ſonipeſque Robertum:
Telluri, eliſis, afflixit, flebile, membris,
Et ſubito exſtinxit Gulielmum funere Parca.
Quid mea progenies, in te committere tantum?
Quid nati potuere mei? num Pelion Oſſæ,
Frondoſoque Oſſam voluere imponere Olympo?
Non ego centimanos genui, partuſve bimembres,
Aut conjuratos cœlum reſcindere fratres:
Sed tua devoto qui pectore ſacra colebant.
Hic pietatis honos? hæc præmia mentis honeſtæ?
Nunc tu ſumme Pater, ſi nondum exoſus ad unum
Goldmannos, ſtirpemque meam,ſi perdere gentem
Non placet inſignem, virtute,opibuſque,viriſque;
Nunc tandem longis ſatiatus cladibus,iræ
Pone modum, finemque, domus miſerere ruentis,
Et prope deſertæ ſit tandem pauſa malorum.
Relliquiæ, paucique, quibus tua dextra pepercit
Crudelis, vivant.Vivat, mea maxima cura,
Carolus, afflictæ ſpes & ſolatia matris.
Pullulet hinc pulchræ ſobolis denſiſſima ſylva,
Et fælix multas numeret cum conjuge meſſes.
Hoc,cœli, ſervate caput: nam ſoſpite Carlo,
Vivere ſuſtineam, longo licet obruta luctu.
Et nimium fælix, ſi nunquam nupta fuiſſet,
Attingat patrios mea filia grandior annos:

O vivat

O vivat longum longa digniſſima vita,
Caſtior antiquis mea Margarita Sabinis,
Teque tuamque domum, natorum examine longo
Wedderburne beet, centum complexa nepotes.

In Patricium fratrem naufragio exſtinctum.

QVæ vix longa aliis ſolet indulgere ſenectus,
Patricio tribuit prima juventa meo.
Ingenium, mores, & formam principe dignam;
Plenaque divini pectora conſilii.
Divitias pleno largita eſt copia cornu:
Fortuna in gremio fovit amica ſuo.
Sola uxor deerat, proliſque beata ſupellex,
Queis ſine, vix ipſis vita beata Diis.
Sed ne fælicis vitæ pars ulla deeſſet;
Heu generum Tethys omnibus emit aquis.

In Fontem Iuventæ apud Taodunanos.

FOns, qui perpetuo decurris gurgite, ſalve,
Splendidior vitro, thermaque ſalubrior omni,
Frigidior nivibus, cum ſæva canicula meſſes
Torret, & arentes exurit Syrius agros:
Caldior Ætnæis flammis, cum terra pruinas
Imbibit, & glacie ſtringuntur rura rigenti.
Sæpè tuis lymphis ardentia viſcera paſtor
Extinguit, properatque tuo deponere anhelus
Fonte ſitim, nimia moriens æſtate viator.
Tu cum per ſcrupos lento petis æquora lapſu,
Currit in amplexus, poſita ſalſugine, Doris.
Te pueri, juveneſque petunt, niveæque puellæ.
Hinc te plebs fontem ſolet appellare Iuventæ:
Seu quia præteritos annos, lapſamque juventam,
Decurſoſque refers ſoles, vitamque reducis.
Indignor patriæ, quæ te non clauſerit antro,
Et tibi marmoreos non olim ſtruxerit arcus.
Hos nunc verſiculos, & grati munus alumni
Accipe, ſed vitæ ſi fatum proroget annos,
Cum patriæ reddar, Pario te marmore claudam,
Et lympham Nymphamq; tuam ſuper aſtra locabo.

Sylva ad Regem, Scotiam ſuam reviſentem Anno 1617.

EXere de largo placidum caput,exere fonte
Tae Pater, Regemque tuum ſubmiſſus adora:
Regem, cui ſimilem nec tempora priſca dederunt,
Nec ventura dabunt, licet aurea ſæcla recurrant
Aſcræo cantata ſeni, cœloque relicto
Malcolmi terras ſoboles generoſa reviſat.
Ille tamen gratis Humbri, Tamiſiſque fluentis
Poſthabitis, tenui ſtringit tua flumina lembo,
Alectique ſubit longo poſt tempore tecta,
Mille ſui precibus populi, votiſque petitus.
Nonne vides blandi quæ ſit clementia cæli,
Aſperaque ut verno mutata eſt bruma tepore?
Vt primum patrii tetigit confinia regni.
Vt populos pax alma beet, collapſa reſurgant
Templa Deo, tollatque caput ſacer altius ordo,
Herculeaſque illo ſperet ſub Principe partes?
Veſtiat ut poſitis tandem bombycina pannis?
Fibula nobilium conſtringat ut aurea crura?
Mercator geminos currat ſecurus ad Indos,
Vt patriæ donet quicquid Natura negavit?
Quin igitur nunc, Tae pater,caput exeris antro,
Et placidè pelago totis illaberis undis?
Tuque Pater patriæ, magnorum maxime regum,
Quo majus nil orbis habet, quem poſtera fama
Adſcribet Divis, te pulchra Britannia quamvis,
Et ſubjecta tuis glacialis Hibernia ſceptris,
Atque ſuum Regem te agnoſcant Hebrides unum;
Alecti tenues ne dedignare penates.
Hæc urbs, ſi ſeriem repetas ab origine prima,
Priſca exæquavit Gulielmi tempora regis.
Corniger hic primum per mille volumina Taus,
Inter Scotigenas Taus pulcherrimus amnes,
Eructat dulces in amaram Dorida lymphas.
Hic portus, Xerxis quem claſſis tota ſubire,
Atque Agamemnoniæ potuiſſent mille carinæ.
Relligio hic primum priſco donata nitore,

Purior

Purior & cultus, pulſa caligine, ſedit.
Hic in te populus ſtudiiſque animoque fideli
Semper erat, vitamque tua pro laude paciſci
Promptus, & ad nutum quidvis ſufferre paratus.
Aſpice quam denſa plebes ſtipata corona,
Ore tuo fruitur, quæ pro te vota Tonanti
Concipiat, quæ luſtra tibi, quæ ſæcla precetur.
  Accipe devotas mentes: nec pectora donis,
Sed ſtudiis metire piis: patriamque Boetî
(Qui famæ patrum ſacravit facta tuorum)
Reſpice pacatis animis, vultuque ſereno.
Sic tua non ulla fuſcentur proſpera nube,
Et tuus, in patrias creſcens non degener artes,
Carolus ad ſeros tranſmittat ſceptra nepotes.

Ad eundem abeuntem deſiderium patriæ.

SI qua fides veri, præferri ſæcula nulla
  Temporibus poſſunt rex Iacobe tuis.
Quando tam longa gaviſa eſt Scotia pace?
  Quando Ceres tanta meſſe beavit agros?
Quando fuit noſtri talis clementia cæli?
  Arctoum credas incaluiſſe polum.
Adde tot inciſas leges, tot templa refecta,
  Preſbyterûmque ſacro reddita jura gregi.
Tot rapidos validis conſtratos pontibus amnes,
  In quibus innumeros hauſerat ante lues.
Sit licet aucta bonis ſub te Reſpublica tantis,
  Commoda nec poſſit dinumerare ſua:
Mœſta tamen queritur velut à te Scotia læſa,
  Nec potis eſt lachrymas plebs inhibere ſuas:
Tam citò quod patriis ceſſiſti durus ab oris,
  Nec licuit ſacro longius ore frui.
Feſtines iterum, te ſupplice voce rogamus,
  Se ſatient vultu plebſque Patreſque tuo.
Debita ſic veſtris jungantur lilia ſceptris,
  Sentiat & gladios Roma ſuperba tuos.

Epitaphium

Epitaphium Arabellæ Stuartæ.

HEroina genus regali à ſtemmate ducens,
Et propius noſtro ſanguine juncta Iovi:
Cujus in exculta ſedem ſibi mente Minerva,
Et niveo ſedem fixerat ore Venus:
Cecropiis,Latiis, Solymiſque imbuta Camœnis,
Docta ſonos Gallus, quos & Iberus amat:
Docta tuam linguam rerum pulcherrima Roma,
Vt Padus, & Tybris crederet eſſe ſuam:
Caſta domus,caſti comites, ſale tincta diſerto
Fercula, vix epulis inferiora Deûm:
Cingebat procerum menſam benè culta corona,
Fortuna & genio digna corona tuo:
Ignoſcenda quidem , poſſent ſi ignoſcere reges.
Culpa tibi nocuit, ſi modo culpa fuit.
Sanctus Hymen, juſtæ Veneris juſtiſſima cura,
Et ſemper viduo nolle jacere thoro.
Mens infracta malis, geminoque è carcere lapſa,
In cælis fruitur nunc meliore Deo.
Nam cæli indulſit tantis virtutibus aulam
Iupiter, aut cælos incola rarus habet.

IACOBI HACARSTONII

Tribuni militum

EPIGRAMMATA.

De Amore ſuo.

VVlnera grata mihi,fax grata,& grata catena eſt,
Me quibus adſtringit,lædit,& urit,Amor.
Nam flammam extingui, ſanari vulnera,ſolvi
Vincla, etiam ut poſſim, non ego poſſe velim.
Mirum equidem genus eſt morbi, nam ſpicula, & ignes,
Et laqueos;vinctus, læſus, & uſtus,amo.

In Henricum III. Galliarum Regem.

GAllia dum nuper civilibus occidit armis,
Et cinere obruitur ſemiſepulta ſuo;

Gramma-

Grammaticam exercet mediâ Rex noſter in aulâ,
Diſcere namque cupit Rex generoſus, Amo.
Declinare cupit, verè declinat, & ille
Bis Rex qui fuerat, fit modo Grammaticus.

In eundem.

QVi dedit una duas, unam abſtulit, altera nutat,
Tertia tonſoris mox reſecanda manu.

De electione Polonica.

INſidiæ, cædes, perjuria, mater Hetruſca,
Affectant profugis proxima regna Scythis.
Ad proceres cauſam diſcordes Turca perorat,
Quam bene conveniunt omnia ad excidium!

Aliud.

REginam regnare Bonam videre Poloni.
E quibus? unde ortam? miſerat Italia?
At nunc Rege opus eſt; promittit Gallia; qualem?
Italicæ ſimilem, atque, ut fuit illa, bonum.

Aliud.

MOribus & morbis ſimiles tibi Galle Poloni
Arma, viros, currus, Imperiumque dabunt.
At tu pollicitis eludes omnibus omnes,
Nudaque pro rebus nil niſi verba dabis.

In Tiberis inundationem.

SEptenum peragit Clemens dum ſeptimus annũ,
Pene ſuis hauſit nos Tiberinus aquis.
Octavo Octavi rurſus Clementis in anno,
Penè ſuis hauſit nos Tiberinus aquis.
Roma cave nono noni Clementis ab anno,
Hic tibi fatalis ſcilicet annus erit.

DAVIDIS HVMII Theagrii LVSVS POETICI.

Elegia Prima.

Ad Andream Symonidem.

HOrret equus ſtimulos,ſtrictaſque recuſat habe-
Et pavido rigidos reſpuit ore lupos. (nas,
Cernis ut inviti veniant ad aratra juvenci,
Seraque dent flexo colla premenda jugo.
Iidem ſponte ſua properant, ſi ſegnius illos
In conſueta vigil prata bubulcus agat.
Otia ſectamur cuncti, placidoſque lepores,
At gravis invita ſumitur haſta manu.
Effugimus duros averſâ mente labores:
Et niſi quæ levis eſt, ſarcina nulla placet.
Ipſe ego Appollineas artes , durumque laborem
(Nam labor eſt, quondam qui mihi luſus erat)
Horreo,& invitus jam nunc accingor in illas,
Impatiens tanti pondera ferre jugi.
Ah quoties poſui ſumptas,poſitaſque reſumpſi!
Et facta eſt chartis quanta litura meis!
Ah quoties dubio commiſi carbaſa vento!
Verterunt quoties vela retorta Noti!
Non mea, qua quondam,Zephyris ſpirantibus,aura
Currit in Aoniis hoſpita puppis aquis.
Non vigor ingenii eſt, non vis ea,quæ fuit olim,
Luderet aſſuetos cum mea Muſa jocos.
Et pudet, & fateor, penè hæc luctantia,fruſtra
Conor in invitos cogere verba pedes.
Scilicet incaſſum, tot jam deſueta per annos,
Dextra reluctanti mente retractat opus.
Torpet ut exeſum ſcabra rubigine ferrum,
Quod tritum Oebalio clarius ære nitet:
Cultus ager fulvis ſplendet formoſus ariſtis,
Atque inculta feris ſentibus arva rigent:
Sic fuit illa auri, ſeu non argentea vena,
Fluminaque ingenii quantulacunque mei:

Quodque

Quodq; fuit primis quondam mihi flumen in annis,
Aruit, & rivo pauperiore fluit.
Dum mihi deſidia pectus malè torpet inerti,
Otiaque à ſtudiis ſegnia lentus ago.
Aut mea ſollicitis languet mens anxia curis,
Et vetat Aonidum caſtra choroſque ſequi.
Ille Heliconiacus pridem deferbuit ardor,
Ceſſit & è gelido pectore blanda chelys.
Triſtis hyems pulſo captivat corda calore:
Opprimit ignavus triſtia corda dolor.
Mens hebet, effœtoque in pectore priſtina virtus,
Nec vigor, ingenio qui fuit ante, manet.
Qui mihi maturo præcox ſpondebat in ævo
Carmina Phœbeis æquiparanda modis:
Nunc jacet, heu ſegnis nimium; & lactatus inani
Spe perit, in media deſtituitque via.
Vt quæ luxurie, tenera promiſit in herba
Cum flavis ſtipulis grandia farra ſeges:
At ſimul incubuit gelidis Notus humidus alis;
Syrius aut lenta torruit arva ſiti:
Illa perit, cupidas ac ſpes fruſtrata, colonum
Spica levis vanis ludit arundinibus.
Nam mihi ſeu pigrum faciant aconita veternum;
Luridave Ææa toxica miſta manu:
Verbave cæruleos ſqualentia terga dracones
Rumpere, & ignivomos vincere ſueta boves:
Seu quicunque hominum ſenſus populatur,& artus
Vis alia, & ſerpit mentibus atra lues.
Non magis Actæon liquidas expavit ad undas,
Quæ dedit iratæ cornua, dextra Deæ:
Nec mirata ſuum eſt frondere Philemona Baucis;
Et ſuperinducta cortice membra tegi:
Quam mea mutari gelidis præcordia ſaxis
Miror, & in ſcopulos diriguiſſe novos:
Aut ſaltem,ſcopulorum inſtar, traxiſſe rigorem;
Factaque Riphæâ frigidiora nive.
Iam neque Caſtalios fontes, neque flumina Pallas,
Nec referat fulvis doctus Apollo comis.
Iam mea difficiles veniunt in metra Camœnæ,

Queis

Queis poſt terdecimum non datur hora diem.
Si voco Pieridas, aſſuetaque numina Phœbi,
Qui me Caſtaliis foverat ante jugis;
Aonidum libaſſe dapes, ſpumantia dulci
Nectare, vel Clario pocula grata Deo,
Et vidiſſe ſacri fontis penetralia, Phœbus
Abnuit, & ſurdâ reſpuit aure preces.
Vix datur,ut totum ſupplex Helicona fatigem
Queſtibus, in ſumma tingere corpus aqua.
Me non Calliope, me non agnoſcit alumnum
Cætera Caſtalii turba diſerta chori.
At modo tempus erat, gravidum cũ carmina pectus
Funderet; & numeris necteret apta ſuis.
Cum veluti dictante Deo, nulloque labore
Promeret in faciles verba coacta modos.
Dextera tum,memini,Pallas,tum dexter Apollo,
Tunc habui faciles in mea vota Deas.
Per faciles colles, modico & faſtigia clivo
Ad ſua monſtrabat culmina Phœbus iter.
Illic vel tenera carpſi vaccinia dextra,
Miſtaque purpureis lilia cana roſis;
Aut molles violas, aut puniceos hyacinthos:
Aut quæ luteolo caltha nitore rubet:
Aut quoſcunque alios per prata nitentia flores
Prodiga, non alto culmine,fundit humus.
Nam neque ſyderibus minitantis vertice lauri
Mollia decerptis texere ſerta comis
Fas erat: haud etenim primo permittitur ævo
Lævia Phœbæâ tempora fronde tegi.
(Illa datur magnis merito geſtanda Poetis,
Et fluit in dignos ambitioſa ſinus.)
Verum humiles hederas, & florea ſerta legebam,
Aptaque erat noſtris illa corona comis.
Tam mihi rara dabant ſecum cunabula Muſæ,
Et tyrocinii prima elementa mei.
Tam faciles Phæbuſque,Aganippeæque ſorores
Spirabant veneres in mea metra ſuas:
Vt quamvis tenui meditarer arundine carmen,
Et foret argutæ neſcia dextra lyræ:

Illa tamen poſſet vel te quoque teſte probari:
Eſſeque judicio vivere digna tuo.
Sæpè tibi cum frons nebulis horreſceret atris,
Et quaterent rigidæ lenta flagella manus:
Illa tibi nebulaſque atras excuſſit, & iras:
Torſit & è rigida lenta flagella manu.
Sive foret culpæ venia exoranda, dabatur;
Illa ſimul blando ſolverat ora ſono.
Sive ubi fecere aſſiduæ faſtidia Muſæ;
Et peperit nimius tædia longa labor:
Iuverat Aoniis ſubducere colla capiſtris:
Aonidum tetrico livida colla jugo:
Inque vicem alternas recreari luſibus horas:
Et capere admiſſis otia grata jocis:
Dum nitidus Phœboque dies,& floribus agri,
Et modo formoſis arbor amicta comis:
Muſa tibi placidum nec inexorabile pectus
Mulcebat numeris inſidioſa ſuis.
Vtque in agro laxis inſultaremus habenis,
Obtinuit talis fræna remiſſa dies.
Si quis adeſt, laudat dulces facileſque Camœnas,
Et non invito currere verba pede.
Atque aliquis (nec ſubjunxit, ſit dexter Apollo)
Hic vates modico tempore, dixit,erit.
Ille quidem dixit: ſed res haud verba ſequuta eſt:
Ore favente parum dicta fuiſſe reor.
Sic oculus pecori exitio eſt, ſic faſcinat hædos:
Obvius adverſis virque nocet pedibus.
O utinam ſævis Rhodopes ululaſſet in agris,
Verſus in obſcœnum turpia membra canem.
Aut quibus infælix erravit montibus Io,
Impleſſet queruli vocibus antra bovis.
Officioque pedum bibulâ ſcripſiſſet arena,
Quæ voluit veris dicere verba notis.
Cur mihi non tenerum cinxiſti baccare frontem?
Diſcipulo nocuit cur mala lingua tuo?
Huc tua ſpes,Buchanani ergo huc præſagia magni
(Magni, dire licet livor, & ira crepes.)
In tenues abiere,ut fumi, evanida ventos?
Profuit,

Profuit, & tanto nil placuiſſe viro?
Sed quid me? quid te vana accendiſſe querela
Iuverit? & luctus accumulaſſe novos?
Non tua, ſed culpa eſt, fateor, mea, ſi minus æquæ
Theſpiades levibus dant mea vota Notis.
At ſi quam faciles laudem indulſere, vel uſquam
Indulgent, quanta eſt gloria, tota tua eſt.
Sic mihi Pierides, & non invitus Apollo
Dent iterum tenero nectere verba pede:
Atque iterum vires in carmina: non locus, aut me
Immemorem veniens arguet ulla dies.
Interea hæc ſi ſcripta tibi videantur iniquis
Muſis, nec genio carmina digna meo;
Seu quod præcipiti currant declivia ſaxo;
Raucaque non leni murmure, dulce ſonent:
Seu forſan, quod Phœbe vetes, mihi ſyllaba peccet:
Da veniam, Domino non placuere ſuo.
Fallitur ambigua variarum ambage viarum,
Non ſatis aſſiduo qui pede trivit iter.
Naufragus occurrit ſcopulis, aut hæret in ulva,
Auſus in ignotis currere nauta vadis.
Qui juga pinniferi luſtro novus advena Pindi,
Neſcio inoffenſo non titubare gradu.

ELEGIA SECVNDA.

ILle ego, qui pueri, nimium ſecurus amoris,
Contempſi exſtinctas & ſine luce faces:
Quique Cupidineos riſi temerarius ignes,
Iactaque torpenti languida tela manu:
Et fragiles calamos, vanum & ſine viribus arcum;
Forſan & officio lumina caſſa ſuo:
Iam didici quanto jaculum contorqueat ictu,
Quam perimat certâ pectora fixa nece.
Iam miſer agnoſco junctam cum viribus artem:
Sera tamen docilem me mea pœna facit.
Namque jugi impatiens immunia colla gerebam
Servitii, & nullis livida terga notis.
Nullus amor ſævis angebat pectora curis:
Rumpebat ſomnos nulla puella meos.

Nec mihi verſabat mentem, quæ torquet amantes,
  Anxia pervigili ſollicitudo metu.
Sæpè ſuas poſuit pedicas, & retia fruſtrà,
  Et fruſtra inſidias ſæpè tetendit amor.
Me tutum ex omni faciebat parte Diana;
  Et cum Caſtalio pulcher Apollo choro.
Otia deliciis reddebant grata ſorores
  Pæoniæ, & numeris non inamœna ſuis.
Delia venatu ſaltus per, & horrida teſqua,
  Valleſque, & ſolis hoſpita ſaxa feris
Exercebat, agens timidos indagine damas:
  Aut avido lepores præmia parva cani.
Et modo cornipedis rorantia terga premebam,
  Inque breves gyros flectere ludus erat.
Et modo graminei ſuperabam culmina montis
  Arduus, aut humilis florea prata pedes.
Semper erant ſtudiis mens, aut exercita ludo
  Pectora, & in toto non vacua hora die.
Non tempuſve locuſve tibi inſidioſe Cupido,
  Et nuſquam imperiis otia amica tuis.
Si poſuit caſſes, & retia tenta; Diana
  Vidit; & irata ruperat illa manu.
Si tenerum incauto perſtrinxit arundine pectus,
  Præſto aderat medicæ Delius artis ope.
Cœperat ut molles accendere flamma medullas,
  Sedabat flammam Caſtalis unda rudem.
Sic eluſus amor, longum aut delatus in ævum,
  Penè dedit verſus turpia terga fugæ.
Irrita projecit ſubverſa tela pharetra,
  Queſtus in his veri roboris eſſe nihil.
Depoſuitque facem tædæ diffiſus inermi,
  Ceu foret hyberna languidus ignis aqua.
Sæpè ſuum voluit diductis cornibus arcum,
  Sæpè ſua infenſa rumpere tela manu.
Inque nihil meritas Domini ruit ira ſagittas:
  Inque nihil meritas ira proterva faces.
Vix ubi ſe tandem collegit, & ira reſedit;
  Reſpiciens arcum, ſpiculaque ille, ſuum:
En, ait, hic meus eſt arcus, mea tela, ſagittæ:

Hæc

Hæc illa ardenti torrida tæda face.
His ceſſere olim, quæ vel mare cærulum, & æther,
Quæque tenet tellus, ſidereique globi.
Et mea nunc hæret juveni victoria in iſto!
Ah minus effœto in corpore robur ineſt.
Concidit, & noſtri eſt jam nulla potentia regni,
Sueta patres, priſcos vincere ſueta Deos.
Sed neque deperiit noſtri illa potentia regni,
Sueta patres priſcos, vincere ſueta Deos.
Nec mea nunc juvene hærebit victoria in iſto,
Siſtere qui curſus ſit potis uſque meos?
Pectora non illi duro ex adamante, nec illum
Horrida Riphæo frigore corda gelant.
Et tamen ut rigeant adamantina pectora, cunctis
Frigoribus, cuncta frigidiora nive:
Tela mihi hircorum ſunt ſanguine tincta, Ioviſque
Vincere quæ poſſunt tela triſulca, faces.
Certum eſt, his adamanta, niveſque & quicquid ubique
Duritie, quicquid frigore ubique riget,
Vincere: ſin id fata vetant, imbellia victum
Arma dare, & cuivis cedere jura Deo.
Ex illo in partes animum rapit impiger omnes;
Qua potius verſet callidus arte dolos:
Retia quæ tendat: quos retibus implicet hamos:
Quis laqueus melius fallat, & eſca viros:
Quæ valeat teneras exurere flamma medullas;
Haſtaque quo gravius vulneret acta modo.
Totus in his ponit pedicas, aut retia tendit,
Aut fera letifero ſpicula felle linit.
Et ſequitur tacito cautus veſtigia greſſu,
Hæret & in tergo ſedulus uſque meo.
Aut lateri graditur comes inſidioſus, inerme
Si qua meum forſan præbeat hora latus.

ELEGIA TERTIA.

COllis erat modico tollens faſtigia clivo,
Miſcet ubi albenti ſe Deus hoſpes aquæ.
Gleba uber, Cereriſque coma formoſus, & umbra
Arborea,

Arborea, & Floræ numine amœnus ager.
Fons ſaliens ſole à medio declivis ad ortum
Illimes leni murmure volvit aquas.
Hinc denſæ circum ſalices, corilique, rubique,
Alitibus fidum perfugiumque feris.
Dives ager latè ad dextram perdicibus illis,
Quas humilis tenui nutrit erica comâ.
Hic me ſeu caſu, ſeu jam tibi amica Cupido,
Clam tulit in caſſes flava Diana tuos,
Incautum dum ſector, & in fruticeta paventes
Specto agat ut penna præpete Niſus aves.
Illas per dumos roſtris & nare ſagaci
Turba inimica, inhians, prenſat anhela canum.
Impiger hic Bojus ſalit, hic Bervicus, & acer
Oracon parili ſedulitate ruunt.
Cautior hic Clinxeia, & ſenſu frigida Morphe
Pene levem prono pectore verrit humum.
Hæc pede ſuſpenſo obtutum obliquarat,& aures
Arrecta in medium verterat ora rubum;
Intenta imperiis; citus adſum, & nomine blandè
Extimulans, capiat, excutiatve rogo.
Inſilit illa atrox, utque inſilit, exilit ales,
Et liquidum aerio tramite carpit iter.
Viſa queri Morphe: gemituque agnoſcere ſupplèx
Errorem, & parvi numina læſa Dei.
Non certè allatrat: non fulvis Niſus in alis,
Acrior accipiter ſuſtinuitve ſequi.
Et niſi mens mihi læva, & fata ſiniſtra vetaſſent;
Mole, colore, alis, non avis illa fuit.
Cenomatus pharetram,atque arcus ſenſiſſe ſonantes
Dicitur, & gelido diriguiſſe metu.
Inſto ardens ſtudio tamen, & juvenilibus annis,
Quaque fugit præceps per ſata,prata,feror.
Vtque ædes juxta medio conſederat horto;
Falſaque purpureis texerat ora roſis:
Irrumpo, ſepes qua ſe pandebat hiatu
Spinea, purpureas excutioque roſas:
Omniaque incaſſum (quis enim deprenderit?) illic
Luſtro loca, & vana ſedulitate ruo.

Et tandem iratus canibus,ſociiſque, mihique,
In viridi feſſum ceſpite pono latus.
Ecce illuc (ſive illa die invitata ſereno,
Sive aliquo mentem numine agente) venit
Margaris, Eois ſpecioſior una ſmaragdis,
Quaſve onyches Indus mittit,& acer Arabs.
Illa Caledonias inter pulcherrima Nymphas:
Illa nimis patriæ gloria rara ſuæ.
Quale ebur, incanæque nives,aut lilia fulgent,
Candida puniceis lilia mixta roſis:
Tale decus tenero vultu fundebat, & ore
Depingens niveas purpura miſta genas.
Dulcia vibrabant radiantes lumina flammas:
Vt geminum ætherio ſydus in axe micat.
Quid memorem ſparſos per eburnea colla capillos?
Aut quas aureolo legerat orbe comas?
Quid teretes digitos? aptaſque amplexibus ulnas,
Brachia, vel nivei pectora lata ſoli?
Luce illa Phœbus,quamvis ſe pulchrior iret:
Æmulaque in niveis Luna niteret equis:
Det veniam, viſus vinci eſt, quantum ille ſororem,
Pallida quantum ardens vicerit aſtra ſoror.
Illa polo ceſſit: pudibundaque condidit ora,
Et maculam æquoreis,conſcia,lavit aquis.
Nec niſi poſt mediam rurſus ſe oſtendere noctem
Auſa eſt; & vultus promere, victa,ſuos.
Conſpiraſſe putes magnorum numina Divûm
Me contra, & vires diſpoſuiſſe ſuas.
Diva Paphi formæ veneres largita, ſaleſque eſt:
Auxilium nato ferret ut illa ſuo.
Illa hilarat vultus, faciem frontemque ſerenat,
Solvit & in blandos dulcior ora ſonos.
Illa vagos molli riſu moderatur ocellos,
Dejicit aut placidis lumina blanda minis.
Ingenium Pallas ſtudiis formarat honeſtis,
Materies flammis ut foret apta meis.
Altera non melius pulſis ciet organa chordis,
Aut canit ad querulam carmina blanda lyram.
Altera non melius ſacrarum arcana ſororum

Norat

Norat in Aoniis clauſtra repoſta jugis.
Illam Pieridum Phœbus deduxit in antra
Intima;perque tuas Calliopeja domos.
Auſam etiam æthereos animo penetrare meatus
Vrania in celſi vexerit aſtra poli.
Atque polos,atque aſtra ſuper,penetralia cœli
Abdita; & humano non adeunda pede.
Hæc ſpirabat adhuc: manibuſque oculiſque ſupinis
Tunc quoque ad ætherium verterat ora globum.
Hanc ego dum admiror,fixuſque,hęrenſq;ſtupenſq;
Divaque ſit dubito, fœminave anne Dea:
Senſit amor; ſumpſitque arcus, & ſpicula,ſeque eſt
Confeſſus, poſitâ, quam ſimularat,ave.
Incautoque mihi, nec quicquam hoſtile timenti
Acer adeſt, telo tranſadigitque latus.
Nec fixiſſe ſemel ſatis eſt, niſi ſpicula torquens
Ingeminet ſæva vulnera mille manu.
Et ſimul inſultans,I,nunc illude meoſque
Cum calamis arcus, languidulaſque faces.
I, lege Socraticas, lege docta volumina, chartas:
Excutiant flammas ſcilicet illa tuas.
Phœbus opem feret, & gelidis Lebethrides undis,
Quæque Heliconiaco naſcitur herba jugo.
Ludere te ſatis eſt potuiſſe impunè tot annos:
Hæc illa eſt votis hora petita meis.
Ergo graves ſolves, invito vel Iove, pœnas:
Forſitan hæc ipſum falleret eſca Iovem.
Vincula captivo jam nunc immittere collo,
Et premere irato ſub pede terga juvat.
Iam juvat ulciſcique moras: jam longa laborum
Tædia penſabit fœnore pœna gravi.
Anxius aſſiduis torquebere pectora curis;
Et vacua à luctu non erit hora tuo.
Munera ſeu ſumas Cereris, ſeu fallere tentes
Luſibus ingratos tempora longa dies:
Seu lenire pares blando ſermone dolorem:
Seu miſer Orphæa, fata ſiniſtra,lyra.
Quicquid agas,quocunque loco, quocunq; receſſu;
Es vigil, aut mollis lumina ſomnus habet:

Te labor, anxietas,lachrymæ,luctuſque ſequentur,
Rodet & ingenti ſollicitudo metu.
Deflebis nimios miſerè neglectus amores,
Et vota, & vanas experiere preces.
Sic fatus jaculum, gelido quod pondera plumbo
Tarda gravant, prompta ſeligit è pharetra.
Hoc fugat ille ſuos, quos fecerat ipſe, calores:
Pellitur hoc molli è pectore flamma rudis.
Hac trepidas Nymphæ trajecit arundine fibras:
Ne foret aſſueto mutuus igne calor.
Improbe, ſæve puer; cunctique infamia ſæcli;
Sortite averſo regna ſuperba Iove:
Non tibi Mars genitor poſitis placabilis armis,
Dire; tibi genitrix non fuit alma Venus.
Nocte ſatum,triſtique Erebo, te fovit Erynnis
Vallibus in Stygiis, Tartareoque lacu.
Hinc dedit exitium terris,præſentius illo,
Quod vomit immundo Cerberus ore triceps.
Non fera Tiſiphone ſumptis (immane) flagellis
Impia tam rigida territat ora face.
Pectora non tantis miſerûm cruciatibus urget
Conſcia delicti ſæva Megæra ſui:
Quam tua quos terret ſemiuſtis flamma medullis;
Flamma vel Ætnæi ſævior igne rogi.
Præcipuè indignos ſi quis pertæſus amores
Pertulit; & duræ damna repulſus heræ.
Hic eſt Enceladi gravior fornacibus æſtus,
Et mage Tantalea pœna timenda ſiti.
Hinc mihi mille die faſtidia, mille labores:
Materies lachrymis hinc venit ampla meis.
Si mea peccavit quicquam dementia,plectar
Vt libet, has tantum pone Cupido faces.
Morte luam? quid ni?mors tanti meta doloris:
Mors mihi, non parvo fœnore, munus erit.
Non ego Siſyphium ſaxum, non ſæva recuſo
Verbera Tiſiphones, Eumenidumque pati.
Non vel Aloidum pœnas, vel vincla Promethei:
Quæve rapax Titio viſcera carpit, avem.
Et quodcunque olim vatum ſolertiâ mendax
Supplicium

Supplicium Stygio finxerat in barathro.
Tantum cedat amor durus, totoque faceſſat
Pectore, nec luctus augeat ille meos.
Vel mihi quæ ſenſus, quæ cor prædata,revulſum
Abſtulit, & veri pignus amoris habet:
Sit facilis, ſit dura minus. Quin ſentit & illa
Mutua arundinibus vulnera facta tuis?
Sed neque cedat amor durus, totoque faceſſat
Pectore, ſi luctus augeat ille meos.
Quin potius, quæ cor dudum prædata,revellit;
Quod nunc perpetui pignus amoris habet;
Sit mihi dehinc non dura nimis. Si ſentit & illa
Mutua ab auratis vulnera cuſpidibus:
Tum mihi vel ſeros perſtet comes uſque ſub annos
Sedulus, & nuncquam fræna remittat amor.
Dulcia ſi teneant ambos tua vincla Cupido:
Dulce tuum pariter ſi ferat illa jugum.
Quod quia nunc ſolus fero; Caucaſa vaſta videntur
Impoſita, aut humeris Pelion eſſe meis.
Hoc ego ſi perferre queam, robuſtior ipſo
Hercule, cum cælo ſydera ferre queam. (eſt:
Sed tamen hoc quodcunq; oneris, perferre neceſſe
Nec datur excuſſo ſolvere vincla jugo.
Quippe tot implicuit ſinuoſis nexibus artus,
Me vinctum Dominæ cum dedit ille meæ:
Nodorum ut teneat non eluctabilis ordo
Implicitum, & nulla conſtet ab arte fuga.
Ergo nimis noſtræ ſunt dura piamina culpæ:
Et gravior meritis eſt mea pœna meis.
Vos tamen, ille quibus faciles indulſit amores,
Si geritis veſtrâ præmia digna fide:
Ne ridete meas, neve inſultate, catenas:
Vidi ego, ſuſpirat qui modo, riſit heri.
Nunc quoque qui læto teſtatur gaudia vultu,
Imbuerat lachrymis forſitan ante genas.
Non minus inſtabilis, vaga quam Fortuna,Cupido
Volvitur, & teretem verſat ab axe rotam.
Nunc hilaris ridet, mœſtis nunc plorat ocellis,
Effugit, & parvo tempore rurſus adeſt.

Lubricus, inconſtans, refluæque ſimillimus undæ,
Dat documenta, ſuum duxerit unde genus.
Et ſibi perpetuum quiſquam promittit amorem,
Labilis in tereti qui fluit orbe rotæ?

ELEGIA QVARTA.

QVamvis diſſimilem vultu, coramque rigari
Non ſinat ingenuus fletibus ora pudor:
Vt tenebræ amorunt teſtes, ſoluſque dolorum
Conſcius accepit languida membra thorus:
Protenus in ſeram duco ſuſpiria noctem,
Et riguas tingo flebilis imbre genas.
Diſſolvor tenues, ceu quondam Biblis, in undas:
Strata madent lachrymis humida facta meis.
Cynthia me inſomnem, pleno cum curreret orbe,
Vidit, & eſt gemitus commiſerata meos.
Iamque ſub auroram, primæque crepuſcula lucis,
Si premit ingratus lumina feſſa ſopor:
Ille mihi miſeris angit præcordia curis;
Mittit & infauſti ſomnia plena metus.
Ante oculos ſtatuit functis è manibus unum,
Qui ferat exili talia verba ſono:
Pone modum lachrymis: lachrymis nõ flectitur illa:
Ridet at illa, tuos ſi rigat unda ſinus.
Improba te ridet flentem, te ſpernit amantem:
Et timidas tetrica reſpuit aure preces.
Quid miſer incaſſum ſcopulos, rupeſque fatiges
Queſtibus? & vana ferrea corda prece.
Quid juvet ad ſurdas ſuſpiria fundere cautes,
Irrita quæ rapiat ventus, & aura ferat?
Alter habet, quod amas, avidiſq; amplectitur ulnis,
Et fovet, & gremio comprimit uſque ſuo.
Aſpice ut injectis alludit blanda lacertis
In collum, & labris mollibus ora premit.
Hic ubi diſcuſſit ſomnum pavor; oſſa labare,
Et tremere exangui frigida membra metu.
Continuo mœſtis reſonant ſingultibus ora,
Et feriunt rigidæ pectora nuda manus.
Deficiunt oculis lachrymæ; non verba dolori
Sufficiunt,

Sufficiunt, nullo murmure lingua ſilet.
Hiſcere ſi quando datur, aut tua tela, Cupido
Incuſo, flammas aut Cytheræa tuas:
Aut vos, lanificæ crudelia numina Parcæ,
Eſſe querens vitæ ſtamina pulla meæ:
Aut tibi; quicunque es tanti mihi cauſa doloris,
Qui ſpolia inſignis victor opima geris:
Millia pœnarum quot vix Acheronte ſub imo
Suſpicor, exitio comprecor ire tuo.
Flebilis ut vivas, ſævo & miſerabilis hoſti:
Lugubris ut longæ ſit tibi vita moræ.
Cumque diu ingratas infælix traxeris auras:
Mors veniat tardo non properata pede.
Tunc quoque (ſi tumulo forſan condare) ſepulchrū
Oſſibus, & cineri ſit gravis urna tuo.
Quin etiam inſano ſi forte excanduit æſtu;
Infælix Dominam devovet ira meam.
Sed piget, & ſubitò prudens mea vota retracto.
Pœna nimis noſtris jungitur illa malis.
Quid rear? an veris terrent inſomnia viſis?
Anne animum fallax ludit imago meum?
Tu potes indocto circumdare brachia collo?
Tu caput in ſtupido depoſuiſſe ſinu?
Ferrea amatorem Muſis præponis inertem:
Ipſa in Caſtaliis nectare fota jugis?
Ante putem, vaſtis errant qui montibus urſi,
Quaſque alit infames Africa terra leas:
Fœdera juncturas ſtabili concordia pace,
Nec metuet crudos agna petulca lupos:
Quam tu conjugii thalamo dignabere, Phœbus
Quem procul, & ſacro fonte Thalia fugat.
Non ſinat hoc Pallas, quæ te, cum tradidit artes,
Indignam donis noluit eſſe ſuis.
Non ſinat. O vinclo coeunt quam diſpare, ſi quæ
Nupſerit indocto docta puella viro!
Non illis Hymenæus adeſt, non pronuba tædis
Iuno, ſed infauſto carmine bubo ſtrepens.
Illic Tiſiphone vel pleno gutture rixas,
Iurgiaque & pugnas, & fera bella ciet:

Diſſidium aut tanto molimine miſcet uterque,
Mœreat ut viduo fœmina virque thoro.
Scilicet haud ullo coaleſcent fœdere mentes
Diſſimiles, quamvis corpora jungat Hymen.
Diverſi ſiquidem, ſtudia & contraria, mores.
Connubii rupto diſſociata jugo
Vincula disjungent; non illis una voluntas
Conſtare, aut animus unus utriſque poteſt.
Carmina doctiloqui ſi volveris ipſa Maronis
Aſſidua, aut magni forte Platonis opus:
Non minus aſſiduus ſpumantia pocula conjunx
Tractat,& in dubium perbibit uſque diem:
Aut talis vacat, aut foliis: per vulnera Chriſtum
Dilacerans, jurat brachia, crura,caput.
Aut animam furvis torrendam præbet Avernis,
Rodenda aut Stygio devovet oſſa cani.
Mille tonans Erebos, tetro & Cacodæmonas ore,
In Phlegetontæis agmina nigra vadis.
Tu tremis interea, arrectis horrore capillis,
In caput offenſi ne ruat ira Dei:
Admonitique viri perfers faſtidia: qui te
Barbarus, atque tuas ridet inepta preces.
At ſi quos virtus, pietas, moreſque pudici,
Par ſtudium,& verus conciliavit amor:
Non ego quæ veniant ex illis commoda tædis;
Mille licet linguis enumerare queam.
Dulcia ſi accedant facientes otia Muſæ:
Iuno quid his addat, quid Venus ipſa thoris?
Tu, tibi quæ tulerint illæ ſolatia nuper,
Teſtis es,heu lacrymis obruta pene piis.
Cum nimios fletus, humentiaque ora miſertæ
Siccarunt, madidas cæſarieque genas.
Quæ niſi opem aſſiduæ blando ſermone tuliſſent:
Te quoque cum miſero clauderet urna viro.
Mirentur Paphiæ gemmas, aurumque puellæ,
Et capiat ſtolidas picta lacerna nurus:
Muriciæ veſtes, mollique nitentia Serum
Stamine ad extremos ſyrmata longa pedes:
Et juvet Eois digitos fulgere ſmaragdis,

Atque auro fulvas implicuiſſe comas:
Sordeat his, nec ſit tanti Parnaſſia laurus,
Queis premit ignavus pectora craſſa ſtupor.
At tibi (cui indulſit vultu natura benigno
Ingenii, ſupra mobile vulgus, opes,)
Non fuerint tanti conchylia, byſſus, & auro
Palla, in puniceis exaturata cadis:
Hæc ut docta, tuis poſſis præferre Camœnis,
Ruſticitas genio ſit procul iſta tuo.
Vt gemmæ coeant, adamantes, iaſpides, Indi
Magneteſque, onyches, ſardonycheſque ſimul:
Et quæ præterea campis mittuntur Eois
Divitiæ, aut fulva quas vehit Hermus aqua:
Quæve celer bibulis volvit Pactolus arenis,
Abluta è Phrygii corpore vota Midæ:
Prætuleris Muſas tamen, haud ignara, quid illis
Præſtiterint, clara quas cecinere tuba.
Penelope debet Muſis, quod caſta per orbem
Dicta, quod inſigni luſerit arte procos.
Mauſoli, & Regis conjunx, quod novimus illam
Contuſi in cineres oſſa bibiſſe viri.
His debet veros Thiſbe Babylonis amores:
Herculis & famam Deianeira ſuam.
Hæ faciunt, ut vivat adhuc Sidonia Dido,
Quamvis ſint rapidis oſſa cremata rogis.
Forſitan & facient, tibi cum fatalia Clotho
Ruperit iratâ fila reſecta manu:
Invita ut vivas Clotho, poſt fata ſuperſtes:
Et caries nomen ne notet ulla tuum.

ELEGIA QVINTA.

NOx erat, & Phœbe roſeis argentea bigis
Scandebat medii culmina celſa poli:
Muta quies terras, & me ſopor altus habebat,
Feſſaque erant molli membra repoſta thoro:
Ecce levi curru tenues advecta per auras;
Viſa mihi teneri mater amoris adeſt.
Agnovi junctos nivei candoris olores:
Et quibus eſt currus ſæpe revecta Paphum:

Duraque Chaonias jungentes roſtra columbas:
Non volucris Paphiæ gratior ulla Deæ eſt.
Dextera littoream criſpabat candida myrtum,
Lambebant ſummas myrtea ſerta comas.
Deliciæ circum, riſuſque & blanda voluptas:
Grataque feſtivis otia plena jocis.
Ibat & excuſſis comes indulgentia frænis,
Et genium tota larga fovebat ope,
Tempora Lenæus muſti ſuffuſa rubebat:
Vina cothurnatos implicuere pedes.
Illic & Dryades, nuptæ innuptæque puellæ;
Ducebant lætos læta per arva choros.
Carmina laſcivæ dictant genialia Muſæ:
Ore ciet dulcem docta Thalia chelym.
Suave canens Erato citharæ modulamina vocis
Aptat, & imparibus conſona verba modis.
In medio volucer, tenera cum matre, Cupido
His jaculis, illis ignibus oſſa petit,
Ipſa leves cultus, viridantis tegmina pallæ
Induta, & laxos ibat aperta ſinus.
Aurea cæſaries teneræ lanuginis inſtar
In varios docilis nexibus ire modos.
Ambroſiam, & ſuaves ſpirabat vertice amores,
Quos vafer ingenti fœnore vendit Arabs.
Diſcordes oculi; quorum hic ridere videtur,
Flebat, & è lachrymis humidus alter erat.
Ora proterva micant, geſtu petulantia toto
Errat, & in niveis inſidet illa genis.
Faſſa ſuas artes vultu laſciva procaci,
Monſtrabat cupidis livida colla Notis.
Et procul, arridens, quamvis irata, minaxque
(Carpebant pronam pectora noſtra fugam.)
Quo fugitivus abis? & quid mea, transfuga, caſtra
Deſeris? ingenio caſtra ſequenda tuo.
Siſte pedem, & vanos curſus moderare labores:
Hæc fuga, ſi volumus, tarda futura tibi eſt.
Aſpice, habet pennas, & plena tela pharetrâ:
Et quamvis fugias, pectora carpit Amor.
Ille, vides toto Sol qui puriſſimus orbe
Emicat,

Emicat, & roſeo percutit aſtra die:
Eſt celer, & celeris rapitur vertigine cæli;
Aureaque in niveis ſidera tranſit equis:
Hunc tamen æquavit penna leviore Cupido,
Et volucres celeris fixit arundo ſinus.
I nunc, & pedibus confiſe fugacibus iſtis,
Securus nati deſpice tela mei:
Tela ſecurigeris etiam imperioſa tyrannis,
Tela triumphatis imperioſa Deis.
His majeſtatem imperii, vultuſque verendos
Eripui: & magno tela triſulca Iovi.
Cum faciem indutus mentitaqne cornua tauri
Vexit Agenoream per freta ſalſa nurum:
Cum latuit nivei juſſus ſub imagine cycni,
Ivit & in vultus caſta Diana tuos.
Tempora ſi primi repetas ab origine mundi;
Geſtaque apud priſcos reſpiciamus avos:
Quot Satyros Faunoſque, & numina magna Deorũ,
Queis ſua thuricremis incalet ara focis:
Tot mihi purpureo numerabis in orbe triumphos,
Myrteaque imperii ſerta, trophæa mei.
Et dubitas animos lentus ſubmittere Amori?
Quæque Dei tulerunt vincula, ferre negas?
Si tamen hoc poteris: cœli quoque poſſe putabo
Atria ſceptriferis eripere alta Deis.
Aut age, ſyderibus victrices injice palmas:
Captivumque ſua detrahe ab arce Iovem.
Aut hoc ſi nimium eſt, & ſpem deponis inanem;
Subde Cupidineo mitia colla jugo.
Indue vincla manus, quæ Iupiter induit, & quæ
Ferre neceſſe tibi eſt; ſponte ferenda putes.
Cum tua ſint noſtris obnoxia pectora flammis;
Et molle ingenium ſemen amoris habet:
Obſequere. Incaſſum demens torquebere, quiſquis
Naturam certas exuere arte tuam.
Flumina, quæ rivis veniunt declivia, nemo
Cogat in excelſum ſcandere verſa jugum.
Non animos ponunt aquilæ, leporeſve timorem,
Crudelis rabiem non lupus, agna metum.

Quo natura trahit, ferimur, fruſtraque repugnes:
Ingenium nulli fas poſuiſſe ſuum.
Eſto tibi exemplum Solymæ regnator opimæ
Inclytus, & cujus tu quoque nomen habes.
Cujus nomen habes, ſequere & Mavortia facta,
Et teneras flammas, dulciſonamque lyram.
Et neque te moveant vulgi deliria, quæ me
Ignavam perhibent, deſidiæque ream.
Maſcula ceu virtus è pectore ceſſerit, ut nec
Marti, & Apollineo ſim minus apta choro.
Quam Marti mecum benè convenit! otia Mavors
Non amat, & nobis otia rara placent.
Otia quiſquis amat, pigro torpetque veterno,
Exeat, & noſtra ſit procul ille domo.
Nam Dea deſidiæ non eſt inimicior ulla.
Heu pugnant votis otia lenta meis.
Me juvat inſomnes in lucem ducere noctes,
Noctibus & junctos continuare dies.
Cum fovet amplexu terras ſopor humidus; & cum
Nox ſilet obſcuris vecta per ima rotis:
Excutio mollem famulis de pectore ſomnum,
Et moneo dulci membra levare thoro.
Perque cavas valles, dubiæque voraginis amnes;
Et rigidos ſcopulos, & juga cana nive;
Ad charæ mitto ſecuros limen amicæ:
Et jubeo longæ tædia ferre viæ.
Et mihi deſidiam quiſquam exprobrarit inertem!
Ah pereat, ſi qua eſt deſidioſa Venus.
Mars jubet inſani violentos vorticis amnes
Temnere, & in medium currere nando fretum:
Et meus ut peteret notos Leander amores,
Non timuit rapidis credere corpus aquis.
Impavidos noſtris animos præſtamus uterque:
Et facimus gelidi pectus inane metus.
Ire per adverſas acies; armataque pinnis
Mœnia; & objectas corripuiſſe fores:
Moliri æratis obducta repagula portis;
Et vigilum excubias tranſiluiſſe juvat.
Ille meis demum miles venit utilis armis;

Aptus

Aptus erat Martis qui fera caſtra ſequi.
Cui validum cunctos latus eſt tolerare labores:
Cui vigor, & vegeto in corpore robur ineſt.
Audiſti, & cælo eſt notiſſima fabula, Martem
Qua mihi vir captum vinxerat arte meus.
Scilicet ex illo nos tempore junxit amorque,
Culpaque furtivo conſociata thoro:
Nulla dies unquam tantos ut finiat ignes:
Vt ſolvat nullus fœdera tanta dies.
Nunc me liberius gremio fovet ille, palamq;:
Militibus dominam præpoſuitque ſuis.
Iamque illos inter ſedeo regina, meoque
Ad ſacra, ſed faciles, myſtica, jure voco.
Quoſque dies rigidis ferus exercebat in armis,
Dulcia nox molles induit arma viros.
Vtraque cum tractent; quam noſtra libentius illis:
Meque illo malunt quam duce ſigna ſequi!
Hac mihi penſavit Gradivus dote dolores,
Nec magna amiſſæ damna pudicitiæ.
Inde vides, quibus eſt promptũ ad Mavortia pectus
Prælia; non ſegnes & mea bella gerunt.
Sic ferus Atrides, ſic formidabile, Achilles,
Nomen, & Aſcanii, Telemachique pater.
Hunc & Mercurio gratum, caſtæque Minervæ,
Non piguit caſtris æra merere meis.
Quo magis ingenuas fuerant exculta per artes
Pectora, erant flammis hoc magis apta meis.
Materies noſtris non aptior ignibus ulla eſt,
Quam quos Pierides ſacro aluere jugo.
Mite quibus Pallas, ſævæ & feritatis inane
Ingenium, pulſa ruſticitate dedit.
Queis Erato facili tetricum candore rigorem
Lenierit; mores exueritque feros.
Hinc mihi ſuaviloqui, gratiſſima turba, Poetæ,
Grata quidem Phœbo, ſed mage grata mihi.
Illi delicias, teneriſque hæſura medullis
Cum primo, Veneris ſemina, lacte bibunt.
O quoties teneræ facies formoſa puellæ
Carminibus cauſam, materiamque dedit!

Vt taceam Nemeſin, dictamque Lycorida Gallo,
Solaque quæ integrum Cynthia movit opus:
Et male vulgatos miſeri Naſonis amores:
Cui vacua eſt noſtris pagina nulla jocis:
Quid niſi jucundos luſus, temerataque lecti
Fœdera Mæonides, grataque furta canit?
Materiam tanto præbebat adultera vati
Tyndaris, Oebalio rapta puella viro.
Illi ad magnanimum ducta eſt Briſæis Achillem,
Inque Agamemnonio penè locata thoro.
Virgilii in parvo quam multa volumine Dido eſt!
Dido Dardaniis hoſpes amica procis.
Dido ubi ceſſavit, Phrygios Lavinia conjunx
In thalamos Latio dote ſuperba venit.
Non his Calliope, non his Grynæus Apollo
Permeſſi liquidis ora rigavit aquis.
Non Aganippeæ tam ſuavia carmina dictant,
Sed levis ingenii vela ſecundat amor.
Ingenium Cytharæa movet, diſcedite Muſæ,
Pareat imperiis ardua Pimpla meis.
Pro gratis Pythio lauris; pro ſuavi hyacintho,
Aonidum cingant myrtea ſerta comas.
Conveniant myrto redimiti tempora vates,
Ingenium faſſi muneris eſſe mei.
Nam neque ſi vires cuiquam immoderata libido
Fregit, & ingenium, culpa putanda mea eſt.
Commoda nulla dedit miſeris mortalibus unquam
Iuppiter, illa eadem quin ſua damna trahant.
Præcipuè haud aptos ſi quis convertat ad uſus,
Quove minus decuit tempore, quove modo.
Scilicet, haud tanget jucundi pocula vini,
Qui videt inſtabiles ebrietate pedes.
Aut ignis Satyrum, ſurreptus fraude Promethei,
Qui læſit; cælo reſtituendus erit.
Quid non in pejus hominum ignorantia vertit?
Neſciaque in rebus mens tenuiſſe modum?
Sit modus, in veſtris ſint commoda tempora ludis:
Quamque foves, omni labe puella vacet.
Hos qui tranſiliit fines, ego libera culpâ;
Stultitiæ

Stultitiæ pœnas perferat ipſe ſuæ.
Sed neque te tædas jubeo ſpectare jugales,
Et rigidâ plenos tetricitate thoros.
Furta tibi placeant; furtis eſt apta juventus;
Conveniunt annis dulcia furta tuis.
Molle miniſterium ſeros neque tranſit in annos,
Sint data militiæ tempora pauca meæ.
Ecce Buchanani, poſtquam placuiſſe Neæræ
Deſierit; noſtro colla ſoluta jugo:
Vt graviore ſono priſcorum ingentia Regum;
Vt dicit gentis ſplendida facta ſuæ!
Ille etiam, ſolio qui nunc ſublimis ab alto
Fulminat, & populis monſtrat in aſtra viam,
Beza tulit quondam primâ mea ſigna juventa,
Et cecinit molli dulcia bella tuba.
At nunc frigidior bello, nunc ſegnior ætas
Defunctum caſtris juſſit abire meis.
Tempus erit, cum tu poſitis quoque liber ab armis,
Et gravis emeritus otia miles ages.
Interea ætatis ludo fruere, inque lacertis,
Et cubet in tepido pulchra puella ſinu.
Mite puellarum genus; & tractabile amori
Pectus habet: blandas tu modò tende preces.
Ipſa adero, natuſque comes, tua vota ſecundans:
Abnuat amplexus ne qua puella tuos.
Finierat, nutare animum, ſenſique labare
Pectora tam placidis ſollicitata modis.
Caſtra placent Veneris. Sumptis conſtantia pennis
Effugit, & victo fortia verba cadunt.
Ire in vincla juvat: cunctique expertia nuper
Servitii, excuſſo reddere colla jugo.
Iam vaga furta; vagoſq; animo meditabar amores:
Nec niſi de domina cura erat ulla mea:
Cum mihi Relligio, cœlo demiſſa, repentè
Se dedit ante oculos aſpicienda meos.
Forma illi neglecta, ſed & ſpecioſa, decenſque,
Et nulla impexas arte polita comas.
Non vano ornatu, non falſo gloria fuco
Quæritur, aut coctis ora linuntur aquis.

Non

Non aurum articulos, gemmasve Oriente petitas
Induit, aut Tyrio ſyrmata tincta croco.
Sed ſua ſimplicitas, ævo rariſſima noſtro,
Eſt decori, & nudos gratia nuda ſinus.
Vilis, & haud ullos veſtis mentita colores,
Indicium puræ candida mentis erat:
Vanaque ſpernentis, populo admirata prophano,
Munera, fortunæ luxuriantis opes.
Sub pedibus faſtuſque, metuſque premebat inanes:
Fractaque perdomitis tela Cupidinibus.
Vt ſtetit ante thorum miti placidiſſima vultu,
Et tetigit niveâ pectora noſtra manu:
Et ſopor & lentos ſomnus dimiſit ocellos:
Oraque lethæis languida merſit aquis:
Protenus umbra fugit, caligenteſque tenebræ,
Fuſcaque nigrantes nox adoperta ſinus.
Lux ſubit: & ſacræ frontis ſplendore coruſcat,
Qua patet in latum conſpicienda domus.
Tum mihi, qualis erat, verè turpiſſima primum,
Et poſita vilis ſindone viſa Venus.
Tum primum patuere artes, fraudeſque, dolique:
Turpia mentitus pingat ut ora decor.
Cernere erat nudi deformem Gorgona vultus,
Labraque rugoſis pallidiora genis.
Vt miſeros, dulci faciem fucata veneno,
Subdola deluſos in ſua damna trahat.
Vtque voluptatum blandiſſima retia tendens,
Toxica letiſera miſcet acerba manu.
Gaudia fronte gerit, ſed quæ præſtringat amaror,
Quæque fluant, celeri prætereantque pede.
Interea ſubeunt angentes pectora curæ:
It comes adjuncto ſollicitudo metu.
In luctus abeunt ludi, in ſuſpiria riſus:
Excipit & vacuos mœſta querela jocos.
Calculus aut urit renes, aut tarda podagra
Infeſtat vinctos debilitatque pedes.
Aut tumet undarum tenſum molimine corpus:
Et formidandis venter inundat aquis.
Aut ſævâ, horrendum, graſſantis labe veneni,
Lurida

Lurida conſumit tabida membra lues.
(Hanc hominum vitiis offenſum numen iniquis
Stultitiæ poſuit præmia digna ſuæ)
Exhauſtique tremunt amiſſis viribus artus,
Palpitat effœto laxa tremore cutis.
Et venit ante ſuos annos properata ſenectus:
Et properata ſuum mors venit ante diem.
Nec ſatis ignavi molem morbiſque gravati
Corporis infandis excruciare modis:
Æthereas hominum mentes terrena libido
Verſat, & immundo deprimit uſque ſolo.
Et ſpectare vetat dulci cæleſtia cura,
Altaque ſiderii ſcandere templa poli.
Cæleſteſque domos, cœtuſque intrare piorum,
Lucet ubi haud ullo lux peritura die.
Sedibus in patriis ubi gaudia vera capeſſant,
Eſt ubi lætitiæ fons & origo tuæ.
O hæc ſi videas jam nunc bona! victa faceſſat
Protenus: & fallax terga libido dabit.
Senſit, & hoc ſacro teſtatur nota per orbem
Carmine, Davidicæ pſaltria docta lyræ.
Hoc te vel nomen moneat: fuge cautus amores:
Et vetitæ Veneris facta nefanda cave.
Illi quam magno ſtetit hæc fugitiva voluptas!
Quot lachrymis ſordes eluit ille ſuas!
Vt ſcelus infantis vix tandem morte piarit.
Qui ſapit, haud tanti pœnituiſſe volet.
Beza meus, ſi quid lapſus deliquerit olim,
Sectatus ſæcli devia facta ſui;
Cum mentes hominum fuſcaret nubilus error:
Ignari vitium temporis illud erat.
At nunc quam caſtis modulatur carmina Muſis!
Diſſimili pulſans nablia ſancta ſono.
Quàm piget illius fœtus! quàm diſpare vitæ
Conſilio, poſuit fræna, lupoſque, ſuæ.
Vt crepet invidia, atque effingat crimina livor:
Et mendax raſo vertice turba fremat:
Vix illo nobis quiſquam mage gratus alumno:
Vix mihi quo tantum glorier, alter erit,

Sive

Sive tonat ſolio ex alto, verique magiſter
Tramitis, ad cæli culmina monſtrat iter:
Sive ſui populis in ſæcula longa futuris
Aſſidua calami ſedulitate cavet:
Et dubios rerum anfractus, nodoſque reſolvens,
It vigil ipſe ſuo duxque comeſque gregi:
Quam benè Romani fraudem, erroreſque Tyranni
Turbat, & irata ſacra profana manu!
Quam benè, quæ priſcis quondam deliria ſæclis
Larva cucullati finxit inepta gregis!
Quam format ſanctos aliis in pectore mores!
Atque modum vitæ quem tenet ipſe ſuæ!
Hoc tu ſi ſapias, jam nunc utare magiſtro,
Mox veniet celeri mors inopina pede.
Illa venit primâ ſæpè importuna juventa,
Expectat canas nec remorata comas.
Illa cave incautum ſævo ne te opprimat enſe,
Cunctanti rigidas injiciatque manus.
Pelle moras: neſcis roſeo quid lucifer ortu,
Quidve rubens ſero veſpere ſtella ferat.
Ipſe manum cœlo Dominus protendit ab alto,
Et vocat in magni flammea templa poli.
Ipſe aderit, Natuſque, & Spiritus: ipſe juvabit,
Sufficiet menti robur & ipſe tuæ.

Aſelcanus.

O Anima, ô nullis unquam ſatiata voluptas
Quas tulit, illecebris; ſive illas humidus æther,
Seu mare, ſive ipſis terræ genuere ſub antris:
Quis furor, & quo te rapit impetus igneus? Ergo
Incaſſum tantos Natura oſtentat honores
Ambitioſa, ſinus pandens, cæciſque cavernis
Fundit opes varias. Hic ſtannum, hic plumbea vena,
Et ferri rigor, & ferro qui durior omni
Vincendus vi nulla adamas, Ephereiaque æra.
Aſpice & argenti rivos, aurique metalla,
Irritamen avaritiæ. Iam pulchrior auro
Suave nitet magnes: flammaſque pyropus ab alto
Vertice volvit ovans; rutilantes lucidus ignes
Conglo-

Conglomerat, fundoque vomit carbunculus imo.
Et quę præterea longum eſt memorare potentum
Ornamenta, & delitias. Quæ thura Sabæi
Grata Deoq;hominique ferunt? quos mollis odores
Mittit Arabs ſylvis in ſuavibus? at neque longè
Errandum eſt; en rura tua: an non æmula nardo
Vis violiſque, roſiſque? En latis lilia campis:
Omnia nata domi: ſed quæ certare Sabæo,
Sive Arabi poſſent, ſeu blandum quæris odorem;
Seu purum, & nullo fucatum fœdere. Quin &
Aſpice, pexa comas, varios ut terra nitores
Induit: hic rutilo fulvens flaveſcit in auro,
Hic candore nives anteibit lactea,at illic
Cæruleam veſtit pallam, cælique ſuperbit
Æmula.non fuſcuſve nigerve, haud purpura deſit,
Purpura non ulla Tyriis imitabilis arte.
Altis in Regum aulæis ridentia paſſim
Dulcè virent arva; atque animos & lumina paſcunt.
Illa per intacti ſurgunt ad ſydera montes,
Aut imæ ſidunt valles, aut æquore lato
Funduntur campi. Variat forma, atque decorem
Ingeminat varians. Sonat ingens gurgite rauco
Aut Padus;aut Rhodanus, leniſque fluentibns undis
Puniceus Tyberis: longiſque amplexibus ambit
Prata ſimul, ſaltuſque errans, latèque comantes
Vmbriferis ſylvas ramis,laurumque,cupreſſumque
Formoſas frondente coma.non arbuta honore,
Non dumi caruere ſuo;nigræve myricæ.
Horror & incultis,qua ſurgunt ſola ſub auras,
Dulcis ineſt ſaxis.Antra, & ſpelæa ferarum
Et virides muſco, ſcabraſque ærugine cautes
Ingreditur, mulcetque animos; blandèq; moratur.
Parte alia celſi ſaliit de margine clivi
Fons liquidis illimus aquis, amnemque trementem
Per virides campos, per lævia ſaxa volutans
Findit iter, ſerpitque cavus, lenique ſuſurro
Invitat mollem ſomnum.Stat feſſus arator
Miratus vitreoſque lacus, laticemque cadentem:
Optavitque hauſtus,& tota extenditur unda.

Inde

Inde ſitim, totis errant quæ millia campis,
Sedant ſæcla animantum. Hic hirſutæque capellæ,
Lanigerumque greges. Stant ad præſepia vaccæ,
Et niveo ſpumant mulctralia nectare, & ipſis
Vbera ſufficiunt natis: dant viſcera flammis,
Dant dulcem humanis ſobolem natæ uſibus: atqui
Non gemere interea plauſtris, non rura recuſant
Vertere vomeribus, non raſtris frangere glebas.
At pictæ volucres pennis liquidum aera cantu
Certatim mulcent: reſonant nemora avia, & altúm
Reſponſant ſtreperæ cautes: tanto acrius illæ
Indulgere labori: & ſe exſuperare canendo
Per ramos: venit interea Iovis ales, & unam
Vnguibus arreptam, media inter carmina, penè
Corripuit, roſtroque ferus laniaſſet adunco;
Ni magnam ad Soles umbram oſtentaſſet; at illa
Territa per ramos, aut denſi tegmina dumi
Præcipitat, mortemque hoſtemque eluſit hiantem.
Ipſe ſedens ſpecula paſtor dum ſpectat ab alta
Fervere opus, totis colludere collibus agnos;
Deſpexit regum ſolia; optatoſque per herbam
Admiſit ſomnos, & mollia lumina flexit.
Nec minus & Lybiæ ſteriles ſitientis arenas,
Et deſerta Arabum teſqua, & ſudantia raro
Arva amni, & rapidis Euris, & torrida ſævis
Solibus, ac ſpectare juvat luſtra invia, & alto
Caucaſus ingentem quâ vertice pulſat Olympum.
Haud aliis, ſi vera fides, animalia terris
Pluribus errarunt formis, dirumque venenum,
Raptatumque ſolum miſerum ſerpentibus atris
Expavere; lacuſque infectaque pabula tabo.
Sed medicata bibunt ſitientes pocula damæ:
Sed cornu tentantur aquæ. Ruit agmen ad undas,
Rupicapræque hirtæque ſues, maculoſaque lynces
Pectora, & informes urſi. Stat montibus æquus
Vaſta elephas membra; & cælo dorſum intulit alto;
Infremit horrendum, & pedibus ſeſe arduus effert
Rex leo: diffugiunt pecudes; nec tuta magiſtris
Corripiunt armenta metus: ferus ipſe latebris
Sylvarum

Sylvarum intremuit lupus: & ſemeſa reliquit
Membra vorans: Martiſq;oblitus & immemor iræ.
Atq; hæc cum multa, & miramur magna:nec uſ-
Siſtere, ſeve oculi poſſint explere videndo; (quam
Sæve animus; totum latè ut circumſpicit orbem:
Surgit ad authorem rerum mens, altaque in illo
Figitur: ille mihi primis amor unus ab annis:
Implevitque animum, inſinuans;ſoliumq;popoſcit,
Magnus; & inſedit regnatam pectoris aulam.
Et ſpirare dedit cælos, & temnere terras,
Sordentem globum; perituri & inania mundi.
At labem antiquam, at ſceleris veſtigia, clemens
Abluit; & trepida ſolvit formidine mentem;
Cocytique domos,& hiantia Tartara luſit.
Iamque iterũ errantem,atq; iterum lapſumq;jacen-
Inq;viam dedit inq; pedes:& luce coruſcus (temq;
Ante tulit greſſum,increpitans: dextraque prehenſa
Cunctantem in caulas, & paſcua læta reduxit.
Dives ubi fruges Arabum,nardumque & amomum
Spirat ager; lætæ pecudes in graminis herbâ
Deponuntque latus, & totis collibus errant.
Et nunc ambroſiam, nunc plenis nectara rivis
Delibant; cælique domant jejunia menſa,
Aut variam celſis ſuſpectant nubibus irim,
Fœderaque, & dulces ſponſi meditantur amores.
Sponſi, cui nullum tellus, aut conferat æther
Vernanti niveæ lætantem flore juventæ.
Non illi terræ memores, regnique relicti:
Non acres recoquunt curas, ultriciaque arma,
Aut vetitos thalamos, aut diræ toxica linguæ.
Hic amor unus agit, cunctoque potentius igni
Excoquit omne genus vitium;& ſacer oſſibus errat.
Ergo omnis pœnæ expertes non Orcus,& ingens
Ante oculos Phlegeton,urnave minax Rhadamãtus,
Et diræ Eumenides, Ditiſque immania regna
Terruerint. Sedet in ſolio Rex altus,& omnem
Iudicii exemit ſortem, atque in pace locavit,
Excuſſitque metum,& lachrymantia lumina terſit.
Fælix progenies, cœlique æterna voluptas,

Ante annos, orbemque ſatum, tempuſque locumq;,
Immiſſumque hominem terræ, quos deſtinat aſtris,
Queis dici pater, & ſobolis dignatus honore,
Et thalami, & ſi quid gratum ſatis,aut ſonat ingens,
Rerum opifex. quo te ore canam?juvat ardua belli,
Excuſſoſque manu fractoſque Cupidinis arcus,
Fortunamque utrinq; trucem, glomerata bonorum
Agmina; & exhauſtos ingenti mole dolores,
Atque triumphatum patriâ vi dicere mundum.(drā,
Quid memorem lapſu creſcentem, & mortibus hy-
Peccatum, antiquum Lernæ genus?& fera lethi
Prælia? ſquallentemque immania terga draconem?
Aut ipſum belli, mentem,caput.Aſpice ut alto
Nunc faſtu tumet, & cælum reſcindere, & audet
Exarmare Iovem, captiſque illudere regnis.
Nunc pavet, & meritas horret dum conſcia pœnas:
Dum parci ſibi poſſe negat, metuitque,ruitque,
Mentiturque Deum, quicquid mare,terra,vel æther
Aut pulchrum videt, aut rebus dedit utile noſtris.
Iam formam affingit; jam cultum: & ſanguine pla-
Scilicet; & dulces miſerè piacula natos. (cant
Aggredere (ô!) dignos alta virtute labores
Magna poli ſoboles; tanto nec degener ortu,
Quæ te celſa manet venturis gloria ſæclis!
Quæ jam nunc tacito ſub pectore gaudia volvis!
(Gaudia non unquam populo libanda prophano)
Quæ pater ipſe palam patrat bona! Scilicet ille,
Ne quâ animos rerum ſub iniqua mole fatiſcant,
Neve malo ſocient dextras; finemque modumque
Impoſuit, lætique vices, & dulcia miſcet:
Quæque ſatis vitæ, quæque & jucunda,benignus
Sufficit: & juſto, prudens, examine librat,
Ingenium quid quodque ferat, quid ferre recuſet,
Ceſſurumve malis, inſulturumve ſecundis.
Sic & opes, ipſoſque adeo largitus honores
Æternum indulget: jam plenum copia ridet,
Iam blandum auratis alludit adorea pennis:
Et ſceptrū, & famam in populos,Arabemq;, Sabæ-
Arvaque Idumæis olim regnata colonis (umque,
Porrigit,

Porrigit, & latè æquoreo diſterminat æſtu:
Pulchra qua Euphrates lympha,nigraque Sacorus
Aſſyrium, Phariumque rigant, & murice fœta
Littora, Sidoniâ pelagus circumſonat undâ.
Ipſe illi Oceanus pater, ipſa inſervit, Eous,
Flava Ophyre, qua Phœbus equis luctatus anhelis
Acclives trudit currus. Non invida rerum
Delicias, gemmamve nitentem,aurumve recoctum
Abnuit, aut ullos condit Natura receſſus.
Vber ager, fœtæ pecudes, ſpumantia lacte
Mulctra,& melle favi: nō frugibus horrea,non ſunt
Arva ſatis, vinove lacus, aut vinea botris.
Conſpirant in vota orbis cælumque ſolumque,
Innocuæque hyemes, nec iniquus frugibus æſtus,
Hoſtiliſque manus, vaſtatriceſque catervæ,
Iuratæque feræ in fœdus. Sternuntur in herba
Incuſtoditi circum præſepia tauri.
Stat domus alta fores, ingens, auguſtaque tectis
Atria, honorati, qua, circum juſſa,miniſtri,
Accincti celerant opus, & longo ordine inundant
Conjugio jam caſtus amor, dignique Hymenæi
Læti prole nova, roſeo cui jam decus ore,
Cui Charites blandis ſedem poſuiſtis ocellis,
Exhilarant, dulcique nimis ſpe pectora mulcent
Aucturi cælos, & magni tecta Tonantis.
Qualis cum feros cura complexus in annos
Aut natum pater impubem, parvumve nepotem,
Addit opes, addit latis regna altera fundis;
Albenteſque greges, & magna armenta: nec acres
Oblitus, belloque bonos, pacique decoros
Paſcere equos, totiſque jubet ſoboleſcere campis.
Aſt aurum,aſt gemmas ſpoliato congerit Indo:
Et molles cumulat Seres. Nitet alta tapetis
Regia tecta domus: quodque aut Natura;vel uſquā
Dædala ad humanos induſtria rettulit uſus.
Nec minus irato favet, & crepitacula flenti
Rupta manu, blandum arridet, reficitque; vel arma
Iuncea, vel teretem mitram, teretemve lapillum,
Cæruleumve, albumve; nec aurea poma petentem
Caſtaneamve

Caſtaneamve nucem, caſſumve putamen, equumve
Dedignatur arundineum: & colludere, & ægrum
Solantem, blæſo voces producere tractu.
Haud aliter (ſi fas humani neſcia captus
Conari, notiſque polum componere terris)
Æthereus tanto pater indulgentior, aſtris
Quam major: nato quamvis infanda piarit
Mactato ſcelera, & totum reſerarit Olympum:
Huc ſe etiam, tantæ majeſtatiſque verendum
Dimittens apicem, noſtri miſereſcit, & ultro
Induit affectus: & multum parva gementum
Et terrena quidem, ſæpè & puerilia, queſtus
Audit opis promptus, voceſque, & vota faceſſit.
Quo ſe audax quidvis temerare calumnia, fruſtra
Ingerat? in caput, in famam graſſata, venenum
Lingua vomat Partha magis exitioſa ſagittâ
Quæ venit acta arcu: faſtuſque & livor iniquus,
Et mos peſſimus hic alienos carpere mores;
Ingentique ſupercilio contemnere; quicquid
Non noſtra geritur trutinâ? quid credulus error
Suſpiciove anceps, aut improba deferat, almæ
Quem tegis umbra alæ, & totis penetralibus abdis
Interea, ingentique jubes ſupereſſe labori,
Iurgiaque, ſupraque omnem in te ſtare tumultum,
Deſpectantem, & ſe ſecura in pace fruentem?
Non populi aura illum, non vis temeraria mentis,
Non benè agendi ardor, quamvis immanis, & æſtus,
Devotumque Deo pectus, menſum haud pede juſto,
Officii fines ultra tulit, aut fuga rerum,
Vitatuſque labor, cenſorve, aut rumor iniquus:
Mollities, pellaxve quies, privataque vota,
Securum qua res labet, aut ſtet publica: ſed nec
Auri dira fames, ſemperque inhonora voluptas;
Excuſſere ſibi fugitivum, & grandibus auſis.
Qualis ubi longum Martis meditatus amorem
Acer equus, jamque arma audet, jam prælia poſcit,
Vulneraque ſtrepituſque virûm, fremituſq; tubarum
Hauſit ovans; iras acuit, gliſcitque periclis
Invictum pectus bellis, & conſcia virtus:
Continuo

Continuo in medios ruat imperterritus hoſtes;
Sed fræno facilis juſſus expectat,& acres
Interea glomerat greſſus,longèque phalangas
Circumſultat,adhuc ſeſſori,& mitis habenis:
Verum ubi fræna jubis laxa,& calcaria longo
Accepit lateri,dominoque volentia ſenſit;
Fertur in adverſos;perque horrida tela,per enſes
Fulmineos,certamque vomentia fulgura mortem:
Inque oculos quacunque pavor ſe vibrat, & aures,
Degeneres animos,& corda ignava refellit.
Quod ſi nulla vocant arma; aut inflectere gyros,
Venarive capras luſu oblectatus inani,
Contentus domino pacatum inglorius ævum
Tranſiget,imbelleſque animum demittit ad uſus.
Quis tua,magne pater,cæcis occulta tenebris
Conſilia,humanos adeo fugientia ſenſus
Scrutetur,cauſas inveſtigetque latentes?
Cur hunc pampineos curatum mittis in hortos
Imparibus cunctantem humeris, at robore nervos
Sufficis: aſt illum longè in ſecreta relegas
Immunem,magno ſtimulos cui pectore verſat
Multa animo virtus,& cæli conſcius ardor:
Forſitan & ſtricta properum ſuſpendis habenâ
Serum immiſſurus,poſtquam jam plurima meſſis
Exilii,pecori ſueto,turbaſque,forumque
Excuſſitque aulas,& corda ingentia.At iſti
Non ſervile jugum,non duro compede carcer
Irata Phariâ,non vis immane furentis
Stipati imperio ſceptri,accinctique maniplis,
(Tota ciat quamvis moto molimina regno)
Infeſtique hoſtis faſtus:infidaque amici
Turba olim,immemorumque ſui ludibria fratrum
(Sive minus memorum) ſpe dejecere.Relictus
Vndique damnatuſque orbi,ſanniſque petitus
Eminet,Hermoniſque procul de montibus altis,
Quaſque rigat modico Iordanes flumine colles,
Templa Dei ſpirare auſus,ſolennia vota
Nuncupat,& media præſumit morte triumphos.
Tu quoq; ne propera,quamvis properātibus annis,

S Quiſquis

Quiſquis es; immenſi quem (ſic tibi viſa) Tonantis
Dextera ferratis inſcribit ahenea chartis.
Vas figuli ruptum nullos cui repperit uſus
Dædala mens hominum: nec quod ſuffecerit igni
Portando, aut cineri, fragmen: quem ſtirpe carentē
Putris ut effœto truncus, ſterileſcit in agro,
Et viduum ſolâ mœrentem nocte cubile:
Neu deſponde animum. Neſcis quā magna manet te
Et propera auxilio Iehovæ manus. Omnia cum jam
Deficiunt, quam prompta piis venit! aſpice ut exſpes
Iſacides terrâ promiſſâ cedit. At exul
Ingens, æthereis ſtipatus utrinque maniplis
Incedit latus: & jam fœderis angelus illi
It comes: inque Dei ſomnum capit inſcius æde:
Iam lucta aſſueſcit duratus vincere: caſtris
Iam cœli occurrit, vigilat, dormitque, moratur,
Moliturque vias, præſenti numine tutus,
Quamvis neſciat, atque irato occurrere fratri,
Aut dubitat ſocero; fratrem, ſocerumque coercet
Vis arcana Dei, nec jam nolentibus ipſis
Res transfert, famulos, pecudes armentaq;. Quin &
Ne parte ex aliqua vacillent vota; petitos
Conciliat thalamos, ſuſpiratamque Rachelem
(In bis ſeptenos durus ſi diſtulit annos,
Tandē æquus pater, atq; favens, fauſtumq; precatus
Et fortunatas caſtis amplexibus horas)
In gremium dedit, & facilis rata vota precantum
Eſſe jubet, pugnet quamvis declivior ætas
Iam gravis ærumnis, variiſque laboribus acta
Spes, varietq; metus. Nec longum tempus, & almos
Fœcundata thoros fælici prole beavit.
Et formæ aſpirat veneres, grataque parentem
Lætitia palpat. Quod ſi præſaga boni vis
Vlla rapit mentes, hunc Luna, & viderit æquus
Sol ſibi prælatum, Pharioque ignota tyranno
Numina pandentem, quibus intremit Orcus, & ipſa
Eſuriat Memphis; faſtum ille, atque arguet aſtum
Orbem oſtentantes fruſtra. Viden, alta repoſtum
Addit ſe in ſolium pietas: nec dicier ultra
Segnitia,

Segnitia, ignavi latebræ nec ſuſtinet otî.
Hæc tua, magne, manus. Nil fraus humana, nec
Nil potuit virtus. tu nexu adamantina ferreo (error,
Pectora devincis: dein cæca repagula furtim
Objicis, & prudens, forſan properantibus, obſtas.
Idem ubi jam viſum; qui ſolus idonea noſti
Tempora, qui & pręſtas: cum ſpes abjecta, voluntas
Fracta, ſubacta tibi eſt: paulatim inflectere ſenſus,
Molirique moras, inveſtigabile nectens
Conſilium, quo turba fremat varium, inſcia veri
Et blaterat. Stupet ipſa tuæ mens conſcia dextræ,
Æternumque ſtupebit: & invito afferet orbi,
Poſthumaque in ſeros fama admirabitur annos.
Ergo addes ſtirpemq; aliam, totidemq; columnis
Stet tibi fixa domus famuli: quam non gravis imber
Saxo fundatam ſolido, non turbinis ulla
Vis ferat exultans, & ſpes illidat inanes
Te freti, Iehova, in ſcopulos: quo rideat hoſtis
Subrubeantve tui. Vivo tot marmora templo
Aſſurgant, quatiantque novi tibi rura coloni:
Atque Dei ſudent in agro. Quid culmina montis
Iactati? Zalmonque ingens, Baſanque ſuperbus?
Hos ſe ſi dignat colles Deus: anne myricas
Vitibus, & cedris ſalices ingentibus æquat?
Illum ego, ſeu fulget roſeis aurora quadrigis,
Sive ruit ſero declivis lumine veſper,
Ore, animoque cano; corylos, & conſcia teſtor
Flumina; Pallynucus, qua culta, incultaque pulſat
Arva ruens, tenui Vobetus qua gurgite ſulcos
Signat lenè ſonans: quaque inter amœna ſalicta
Condit Quarus aquas. Tenuis ſeu flore myricæ
Culmina vere novo luſtro ridentia, ſive
Bruma riget, mediiſque apricis vallibus æſtus
Hibernos, ſolcſque juvat captare ſerenos:
Tuque humili deſpecta aliis nimium caſa, tecto
Magna mihi, præſente Deo: majoraque forſan
Fundamenta domus ſurgentis; & atria latè
Natiſque & ſeris habitanda nepotibus olim;
Aut non perficienda ullo molimine: ſi ſic

Ille volet, cui me totum meaque omnia, prudens
Permiſi, & cunctis certum eſt permittere ſæclis.
Tu quoq; chara mihi, pars quondã & cauſa labo-
Nunc laudum, cape magna tui ſolatia luctus (rum,
Haud ingrata Deo, geminataque vincula amoris
Mecum agnoſce libens jamdudum, & fidere diſce.
Interea parvos ne dedignare penates,
Tam mitem hunc exuta animũ: neu barbara Muſis
Arva haud faſtidita, tuo cognomina cœlo,
Et cœli monitura. O tu ne pinguia malis
Culta Lothi, vel Tueda pater quas gurgite ripas
Fœcundat Cerere, atque apricus littora pontus.
Quin age, temnere parva aude, & te credere ſolâ
Ingentem pietate (ô veri exemplar amoris,
O rari) excutiant ut terram, & ſæcla revolvant:
Atque (auſim invidiæ rumpantur ut ilia) ſexus
Magnum fœminei decus hæc te gloria mentem
Vna urat, magnis unum hoc virtutibus adde.
Si tamẽ & fas hoc aliquâ, & te commoda tangunt,
Haud ceſſura vide. Certent ſeu mollibus umbris
Seu gelidis lymphis; riguas fons plurimus illas
Per virides ſaltus, per prata nitentia volvit.
Impoſuitque jugis nemora: & defendere ſoles
Et brumam jubet; haud tædis, haud fronde ſaligna
Fraudatura focoſve favoſve. hinc aurea mella,
Hinc Boreæ intactum pecus, & candentia latè
Vellera, velligerumque greges. Quid nectara rivis
Lactea commemorem? Nec nullis uſibus ipſa
Attollunt celſi nigrantia culmina montes.
Quin ubi flammiferis crepuere incendia ventis,
Et ſteriles hederas vis eſt depaſta favillæ,
Laxavitque vias; læto & ſpiramina ſucco:
Dant herbam pecori ſanam; & nova gramina carpit
Spes gregis, aut ſeris veniunt Vulcania flammis
Pabula, brumalique foco: queis Mercia glebas
Mutet & ipſa ſuas Pepheris: nec deſipit. atqui
Nec valles exoſa Ceres: vix ſpicea meſſis
Lætior, aut alio ſurgit fælicior arvo:
Et domino ſatis, & merito ventura colono.

Hi

Hi dominam agnoſcunt unam;& veſtigia lambunt
Submiſſi colles apice.Hos pater optimus eſſe,
Dum ſedem ſortémque jubet;regna aſpice vultu
Parva hilari:mitiſque veni,& te aſſere cælo,
Qua vocat.Hic etiam ſanctas attollere palmas:
Et caſtos ſervare thoros,& ſolvere laudes
Mirantem,mitemque patrem,largumque bonumq;,
Et dantem potiora & ſuperantem munere vota,
Nil vetat.Hic populus vernæ,famulæque pudicæ,
Natorum hic dulci mater ſtipare caterva.
Aſt turbis undantem aulam,faſtuque potentum
Torva ſupercilia,aſt varii deliria vulgi,
Inque nefas populos certatim & fœda ruentes,
Impiaque infandâ damnataque ſæcula fraude,
Et conjuratos naturæ rumpere fratres
Fœdera; (ſive illum ambitio,ſeu torſit amaris
Invidia obliquum ſtimulis,ſeu dira cupido
In ſe cuncta trahens atque inſatiata Charybdis:
Pronave ſuſpicio in pejus candore relicto,
Trans freta, montoſæ trans horrida frigora Iernæ,
Thulenque, atque ipſos ultra fugienda Triones)
Deſpicere,immundique procul,contagia mundi
Montibus innocuis,& pura è valle juvabit,
Forſan & his mecum ſeros ſolabere canos.
At tu,qui teneris cunas vagitibus imples,
Aſelcane,imo quos jam nunc pectore motus
Occultos vis dia ciet,nec nota poteſtas,
Haud ſcitu facile eſt, haud dictu effabile.Verum
Mox ubi jam primis poſſis mutire labellis,
Et blandum blæſo ore patrem formare, ſimul cum
Patre;Dei magnum nomen parva impleat ora
Grandius: haud ullo tam delectere,nec ullum
Sæpius,aut patrias accedat dulcius aures.
Iam teneras attolle manus,mox lumina cælo,
Moxque animum,hoc totis ſpira ſermonibus,unum
Mente agita: hæc ſola in ſomnis occurrat imago.
Interea ut creſcunt anni cum corpore;creſcat
Ingens patris amor cæleſtis,& acer in altum
Pectus agat ſtimulos.Patriam,veroſque penates

Suggerat æthereos. O tum mihi ſidera ſolum
Suſpice, tum totis aſpira in ſidera votis.
Sic ô! ſic, tenero veniant formanda ſub ævo
Prima rudimenta ætatis, vitæque futuræ.
Et mihi tam ſeros ſi vita ſuperſtet in annos,
Et validæ vegeto vires in corpore, quantæ
Officio ſat erunt, dulcique ante omnia curæ;
Non ego purpureas aulas, non atria regum
Prætulerim. Veniam, & dubium per cæca viarum
(Tu modo magnus ades pater, & conſulta ſecunda)
Ipſe manu ducam facili, exemplifque præibo.
Iam nunc & vulgo avulſum, tritiſque viarum
Et triviis, terraque procul, te ſiſtere cœlo,
Orbita qua nulla monſtrat veſtigia plantâ,
Ingentiſque manus juvat, ingentiſque trophæum
Et rarum bonitatis, & almi pignus amoris,
Atque animi memoris miranti oſtendere mundo.
At me ſi fato vel mors præcepta, vel ulli
Impediant caſus: tu quem mihi, maxime rerum,
Indulſiſti, etiam cura dignare, fovendum
Suſcipe, formandumque: tuaque in imagine parvos
Fige oculos; animumque ſequacem, ipſe ardua ſume
Imperia; & tenero vitiorum in gramine lætam
Comprime luxuriem, & penitus radicibus imis
Erue: ne tibi fibra relicta repullulet; hydræ
Tolle renaſcentis virus: furit illa, feretque
Perniciem: &, ſi non ferro compeſcis, & igni,
Repentem in venas agit, & præcordia mortem.
En dextræ labor iſte tuæ; qui ſceptra draconis
Sæva feris, fractumque caput contundis. Ea vi
Et priſci labem peccati, & noxia tolle
Germina, ne famulumque tuum, natumq; morentur:
Quin nutus patrios, & juſſa capeſcere certus
Omne volens ferat imperium: & quam dulce jugū!
Seque ſuaſque voluntates, animoſaque corda (cui
Exuere & totum Iehovæ ſe credere certum eſt.
Ergo ubi jam firmata virum te fortior ætas
Per denſos ſublimem apices, atque ardua rerum
Maturas dabit in curas; agit ignea virtus

In pectus ſtimulos, & pigrum blanda veternum
Excutit: ô ne te vel opum miſeranda cupido
Merſet, humi ſerpens, ventoſisve efferat alis
Ambitio maleſana levem, mollisve voluptas
Verſet agens duros ſtimulos, dirumque venenum
Peſtem corporibuſque animiſque. Hæc ſola laborũ
Materies tibi digna venit. Hæc area ſola
Qua ſudare velis. Alii quaſſata ruinis
Mœnia Marte domant,tractaſque in funera gentes,
Et dextram innocuo fœdati ſanguine turgent.
Tu vaſtos animos, & fervida corda,rebelles
Debellaque Deo motus; gyroque coacta
Exerce imperiis victor. Te, nataque tecum
Conſilia, haud nimium mirari diſce: nec uſquam
Fidere. Nulla ut te prudentia, nulla voluntas,
Huc agat, aut illuc, tibi propria,ſcilicet unum hoc
Inculco, æternumque inculcans uſque monebo.
Nulla adeo Stygiis emiſſa paludibus unquam
Dira lues; quam cum ſeſe fiducia noſtri
Inflavit, mentemque implevit turgida inanem.
Hinc deſpecti homineſq;,Deuſq;;hinc faſq; nefaſq;
Verſum,& amicitiæ jus ſanctum;hinc torva minaci
Fronte palā, aut placido malè tecta ſuperbia vultu,
Omnia ad arbitrium verſans, dum ſe ſapere unum
Quis putat, & trutina, ſtultus,malè penſat iniquâ.
Tuque adeo diverſus abi. Tua, teque ſupremo
Fide Deo, tibi diffiſus. Sola illa voluntas
Circumagat, dubioſque regat prudentia ſenſus.
Sed nec ego,quem jam vitæ ingrediare tenorem,
Quæque terenda tuis potior venit orbita plantis,
Aggredior.Terret conantem limine in ipſo (tum eſt,
Magnũ opus;& quod nec cuiquā præſcribere prom-
Præcipuè tot jam ante annos; dum clara ſui dans
(Quæ nunc merſa caput infantibus abdit in annis)
Indicium, æthereas natura exibit in auras.
Tunc quoq; nec facile eſt: hæret ſæpè anxia virtus
Inter mille vias hominum & contraria vota.
Hunc amor, & nullo patiens torpere veterno
Cura poli rapit in medium; ardentemq; juventam

Implicuit rebus,ſeræque in cana ſenectæ
Tempora:nec mora,nec requies,aut ille ruentem
Imperiis latè noxam premit,aut quatit ingens
Arma armis,inimica piis.Hic ſancta ſequaci
Iura præit populo.Cælum ille irrumpit,& altas
Carpit opes,dulci demulcens nectare rerum
Pondera:jamque oſſa inter teneraſque medullas
Regnat,agens victor,media in præcordia,verbi
Ancipitem divini enſem.Stupet inſcia turba
Captivique patres animos.Stupet inſcius ipſe
Eloquii vires divini,& non ſua verba.
Hic natos,famuloſque,nec invidioſa penates
Regna per,imperii ſceptrum molitur,& æquo,
Aſſueſcitque pio.Non is,majoribus impar,
Audet ovans,ardetque in aperta pericula dulcem
Præcipitare animam, atq; omnes ſuperare labores,
Molirique gradus,& ferre per ardua palmam.
Sed modicus,dubiuſque ſui,ſuſpirat,& alto
Votaque,ſpemque polo mavult ſuſpendere:at illi
Indulſit faciles ſomnos pater,& bona vitæ,
Et magno exiguas acuit ſub pectore curas.
Hic dulces Muſas;& non ignava ſequutus
Otia,Pieriis ultrò caput occulit antris,
Deſpiciens turbatum orbem trepidoſque tumultus,
Eluſamque operam rerum per inania,ſiſus
Ipſe Deo,& dignis implevit pectora curis.
Fælix ſi magnis reſpondent omnia votis.
Quicquid erit,natum ne te tibi finge:ſed illum
Qui cælum bonitate,& conſcia ſidera complet,
Terrarumque mariſque globum,tractuſq; jacentes,
Exprimere.Haud fœlix tantum tibi vive,ſed orbi,
Qua patet in latum,quantum potes,illeq; quantum
Te volet. Et quanquã hoc unũ mens ignea anhelet,
Ne propera:quin voce Deum,votiſque fatigans
Aſſiduus venerare,ut in apta,ut in optima ducat
Cunctantẽ. Nil ipſe pete,haud fuge.Ad oſtia cuſtos
Si vigilas,ſatis eſt:vel ſi nec ad oſtia cuſtos.
Auguſtæ dum ſancta domus te limina quovis
Accipiantve,tegantve loco,nil celſa morare
Pul-

Pulpita,honoratis ſolia aut ſublimia ſellis.
Qualis lacte puer depulſus,& ubere primo,
Inſcius ipſe ſui ſtupet,atque huc mitis & illuc
Verſaturque,manuſque inter geſtatur, & alto
Nunc cubat in thalamo,nunc parvis ſarcina cunis
Vagit,ſive focum propter,ſeu Solis apricos
Ad radios: non ille ſibi ſomnive cibive
Tempora,metiturve modum:ſed matris ab uno
Arbitrio dependet:eam ambit,eam aſpicit unam:
Et ſilet.Hæc tibi ego lati patrimonia fundi,
Has ſtatuas, tituloſque,& nobile ſtemma relinquo.
Dignus àdes:vereque ingentia ſola capeſſis,
Magno animo?Non regna,ſuos non regibus orbes
Invideam:non fama boni,non gloria docti
Sollicitent:habeant,quibus hoc, pater alme,dediſti.
Nobis juſſa ſequi fas:unum hoc efferat olim:
Vnum hoc in ſeros tranſmittat cura nepotes.

ECLOGÆ QVATVOR.

Ad Librum.

ABi verendas maximi in Regum manus,
Videt ſuperbâ Luna quotquot orbitâ,
Magni recurrens axe ſub claro poli,
Et credo ineptus,& ſcio incultus liber;
Nec dignus ulla ex parte,tanti Principis
Vultum, nec acris ferre lumen ingenî,
Scandentis aſtra celſa penna præpete,
Volventis alto magna mentis impete
Ingentis. Is ſi te roget,qua maximè
Re fretus altos ſumpſeriſque ſpiritus,
Auſuſque ſacra irruperis negotia:
Haud expaveſcens dic,voluntate unica:
Nam quæ placere cunque poſſunt cætera;
Cultum,nitorem carminis,decentiam,
Sententiarum pondus,efficaciam
Præſtabit ipſe:fortè vel fruſtra exigat
A vate quoquam:quippe ſolus poſſidet
Donata,danda,Principi,vel ſubditis:

Iunonis almæ dona, magnæ Palladis,
Phœbi canoros barbito dulci modos.
Fortuna quod dat, quod dat ars,quod indoles;
Externa, quin interna,quæque uſquam bona:
Rex quæ Poetis det, Poetæ Regibus:
Soluſque Regum concinit vatum choro;
Soluſque vatum Regis in ſubſellio
Sedet; ſubactis jura dans mortalibus:
Hoc juris æqui dicat: ut quæ poſſidet
Det ipſe danda, deſinat vel poſcere.

ECLOGA PRIMA.

Cui nomen Philomela.

FOrmoſam mœſtæ lugent Amaryllida ſylvæ
Extinctam: coryli tenues,tenueſque myricæ,
Et lacero quercus, & pullo crine cupreſſi.
Illam Hamadryades, liquida illam Najades unda,
Et largum lachrymantur Oreades. Aſpice celſo
Quanta ſupercilio devolvunt flumina montis!
Et riguos totis irrorant fontibus agros.
Auctum ſenſerunt Tameſim Nereides; imos
Planxere & thalamos, & pleno littora fluctu.
Ipſe caput quaſſans demittit cornua cervus,
Pertæſus vixiſſe adeo, & vidiſſe dolorem
Immanem, nulla dum carpit pabula ripâ.
Et voluit cædi, & venienti pectora telo
Obtulit, aut denſas fugit indignatus in umbras;
Dextram non, Amarylli,tuam,cui ſæpe ſolebat
Cedere, & ingenti moriens procumbere lapſu.
Triſte ſilet Philomela, aut triſte ſilentibus arvis
Ingemit. una cavum reſponſat cantibus Echo.
Annos larga poli dedit indulgentia plures,
Sed voluere illam paſtores cernere culmos,
Fœturaſque gregis.Vota hæc: hic undique clamor
Mulcebat venienti aures. Veſtigia tantum
Si tulit in ſylvas; ſalices, humiliſque geniſta
Concipere ingentes animos, & credere ſolo
Hoc ſe fælices viſu. ſic omnia nutu

Et

Et properare armenta, & ſiſtere; nulla tremores
Senſit ovis præſente lupo: quin auſa peregit
Sæpè reum (videt urſus atrox,catuloſque reformat
Erudiens) ſive inſidias per denſa ſalicta
Fugit, ſeu timuit natæ.Aſt Amaryllida fata
Cum tulerunt: fremit ille,feroxq; reſumere torvos
Aſpectus, trepidare capræ,atque horreſcere vanos
Ipſe aries ſtrepitus, ſeu frons crepet arbore, manet
Seu ſtilla. ut gregibus ſcandit ſecreta remotus
Saxa caper! quantos præmugit bucula fluctus!
Et mihi, neſcio quid, media de valle reclamat.
O vafra ne vulpe, truci tractuſve lupo,ne
Grex gemat,& lacera fœdatus viſcera pelle,(pem.
Aut Rhodanum fugiens bibat,aut Indũ exul Hydaſ-
Sume animos caper,& venientibus objice cornu:
Haud temere acer Hylax ad limina gutture pleno
Inſidias latrat: paſtores claudite ſaltus.
Aut propera Leo fulve tuumq; pedum cape juſſus:
Seu genus Hectoreo, ſeu ſanguine clarus Achileo:
Quo te fata vocant,quo nobile marmor,& ingens
Auguriis ſpes, & mentis præſagia veræ.
O ſi vicinis addens ſe è monticulis grex
Hæc in paſcua,& hanc caulam conſpiret avitam,
Aſſocians curamque vigil, fortiſque laborem!
Quos latè ſaltus, & quam formoſus inundet
Grex jam Daphni tuus! fluvium ſeu propter Oaxẽ,
Seu mavis Tiberim. interea non frigida mulctra
Æſtati, non lac deerit, non culmus ariſtis.
Iamque Ceres, viridem telluſque ornata capillũ,
Iam blandum primo rident tibi lilia vere:
Ipſa placentque ſibi ſic præcocia. En nitet omnis
Terra roſis: & nix illas, & purpura ſpargens
Accumulat Tyrias. Quam rara ingentia famâ
Rura fremuntq; ſtupentque! ut pulſæ pollice chor-
Exultatque tuas meditari fiſtula laudes: (dæ
Et merito volucreſque, feræque ſequuntur honore!
Faſcine abi, livorque, & tu metus exul ab ora,
Daphnis oves qua paſcit; agens. Si tempora vivat
Plena ſatis Daphnis: jam Pan, jam paſcua regnet

Arva Pales rurſus:rurſus volventia fælix
Sæcula cervus agi mirabitur aurea:lætus
Pabulaque agnoſcet,quæ carpſerat hinnulus,ora
Dictamno vacuus. non ille volantia rurſus
Tela timet lateri,aut latitantia retia flore. At
Dextra negat cornix,fatiſque anniſque renatis
Tales ſe vidiſſe dies:queis vivere ſolo
Securæ volucres poſſent ſub tegmine cælo,
Vulturio intactæ,atque aquilæ. Ergo omina charus
Noctifugo Phœbo,tibi ſed cedens Leo,gratus
Clara canit Gallus ſub lucem:haud Roma Britannos
Impia jam metuet fruſtra,aut terrebit inultos
Tarpejus torquens fremebunda tonitrua flamen.

ECLOGA SECVNDA.

HÆc Philomela canebat, & hæc reſponderat Echo
Excipiens,calamis quando infit & Alpheſibœus:
Exere læta caput roſeo lux aurea vultu;
Diſcute triſtitiam terris.Non conjuge turtur
Jam gemat amiſſo,non pectus plangere Progne
Audeat.Vt læti venientis nuntia veris
Fauſta canit,grataque audit mage grata ſorore!
Ipſa tuis cedis juſtis Amaryllis:& alto
Ipſa vetas luctus cælo:votiſque potita
Indulges choreis,& ſucceſſore ſuperbis
(Seu dotes numerans,ſeu vatum oracla recordans,)
Magnanimo: ſedemque tuam,terramque Britannam
Regnari;& toti longè celebrarier orbi.
Eque tua,nec jam ſterili Phœnice,favilla
Lucem exoriri,quæ ſemper maxima, ſemper
Læta ſuis veniat,terraſque & flumina latè
Impleat,immenſoque ſalubre affulgeat orbi,
Atque orbis cunctos obſcuret lumine Soles.
Quæ te celſa manet ſublimi gloria cultu
Daphni decus rerum!Cæli cui vertice ſummo
Aligerumque acies,aſtrorum & militat ordo:
Dum patriæ ingentem priſca virtute Leonem
Indomitis infers populis,atque omnia ſoli
Obſe-

Obſequium præſtare doces animalia,morum
Neſcia adhuc;ſubigiſque ſequi victricia ſigna:
Signa triumphali ſemper circundata lauro.
  Aſpice,ut aſſurgat generoſum pectus:& ora
Quantus hiet; vibretque oculos ferus,omnia donec
Edomuit:treme gens,haud terra impunè laceſſes.
Ipſe illi cedat liquida Narciſſus in unda,
Quamvis ſe miretur amans: floreſque,feræque,
Quotque ſolo volucres,& quot fulgentia cælis
Signa micant.Servit Luna,& flammantia Solis
Sidera.Dant faſtu poſito diademata laudem,
Submiſſique pedum lambunt veſtigia reges.
  Has urbes,populoſq;,ſolumq;, ſalumq; regentes
Iunge memor pactis,& firma in fœdera coge.
Primus ades, primumque hæc cura exerceat acris,
Tollere ſublimem criſtas,cantumque renatum
At ſolem (ô ſemper Stygiis inviſe tenebris
Galle)tuũ:pactumq; antiquum,animoſq; recordãs,
Iunge manus,junge & turmas..Nec deſpice veram
Mitis amicitiam Leo.Quin & ſuſpice lucem
Acri oculo,volucrum Rex ſic invicte Haliæte;
Si neque te Phœbus,caſſo neque lumine Luna
Degenerem arguerit.Voſque ô,genus acre,minores
Haud adeo,quot alit cura Germania digna
Vulturio infenſas Aquilas,ſociate labores,
Et curas ſociate,aliſque attollite,ne quâ
Occurrant prærupta jugis,terræve marisve
Immenſi tardent tractus.Ergo impia mœre
Tarpejas arceſque,lupoſque à mœnibus exul
Roma tuis rurſus,rurſus quæ maxima vertet
Ferguſides,genus Herculeum;Cacumq; trementem
Auſonia,atque iterum monſtrum mirabere tellus
Tota triceps vinctum.Mox & Mæotica regna
Fatalem agnoſcunt,trepidantque Ceraunia ſupra
Hircanoſque feros:Scythici ditio ultima quantum
Porrigitur Selymi.Seræ (viden') ille ſenectæ
Imperii (meritoque) timet ſervilia lora.
  Quis canat æratas acies,& robora Martis,
Captivoſque duces,injectaque vincula collo

Euphratique Indoque? O viveret Agrius! aut tu
Mellee, ſume tubas, magnumq; inferre per orbem
Incipe Ferguſidum deductam ab origine gentem.
Incipe, ne quis ſit tantorum è ſanguine regum,
Regem quem plus Phœbus amet. Sic dextera Clio,
Sic facilis Daphnis. Quate totũ Helicona triumphis
Parnaſſumque cie victor, cui cuncta ſilebunt
Et Macedum pugnas, & Romæ ingentia bella,
Pergamaque atque ipſis cantatum Æneida Muſis.
Interea tenui juvet indulgere Camœnæ
Daphni, tibi quam ver juvenum, quā bruma ſenectę
Sacrat. Vt hinc Zeviota, ut lætis Grampius illinc
Saltibus applaudunt: reſonat Caldonia ſola
Per juga, & umbriferum geſtit nutare cacumen!
Hic te dum Lycidas, hic te dum Tityrus audet
Incomptis cantare modis, ſed carmina, ſed qui
Pacatos dicant colles, inſuetaque leges
Arva pati, latera Oceani, ſuper utraque, poſtquam
Multa gemunt, Gramique; & multum vincula nexi
Gregoridæ, fera gens nuper, cædeſque piatæ
Chaoniæ; tremit & Leogus, tremit Abria mater,
Moreſque immaneſque animos deponit Ierna.
Vtque roſas inter ſurgat tibi carduus, ipſum
Provocet & narciſſum: hoc tota Britannia, tota hoc
Gallia conſpiciat; latè fremat orbis; & unum
Fama canat, celebretque in ſæcula ſera propago.

Ecloga Tertia.

Mœris, ſive Officium.

Lycidas. Mœris.

Lyc. MOeri quid incaſſum ſterili ſic lentus avena
Neſcio quæ ſurdis modularis carmina ſaxis,
Et fruſtra ſcopulos, & fruſtra ſola fatigas
Culmina? nec piget indoctas diſpergere ad aures,
Quæ legat aut Tameſis, vel quæ legat altus Apollo?
Sive canas totis ploratam Amaryllida ſylvis,
Sive bonum Daphnin priſcis paſtoribus æques,
Formoſum Daphnin: læti quo nomine cæli
Rident,

Rident, & facilis fundit mella aurea tellus.
Mœ.Scilicet hoc,Lycida,curæ eſt:ne ſtridulus anſer
Obſtrepitet cycnis, pulchro quos plurimus amni
Fert Tameſis, dulci mulcentes nectare ripas.
Magnus & an Daphnis, an carmina curat Apollo?
Aut vacat ad nugas? Atqui hic quoq;Daphnida ſylvæ
Exultant, quatiuntque intonſi culmina montes.
Hic me veſano Daphnis quando urat amore,
Nec ſylvæ ſileant , nec ſiſtant culmina montes.
Ly.Verũ an ſic Amaryllis?an hęc quoq; paſcua paſtor
(Quamvis magna ſuis,quamvis formoſa feratur,)
Aut meminit moriens?aut viderat ulla ſuperſtes?(ſtor
Mœ. Immo ſic Amaryllis:& hæc quoq;culmina pa-
Tum meminit moriens, tum fovit multa ſuperſtes.
Illa pedum noſtro ſervavit Daphnidi, & illum
Laudavit moriens. Daphnin mihi quiſquis amavit;
Et vivat moriens, & vincat vota ſuperſtes.
Ly.Audieram,& certè cantari dignus uterque
Nympha puerque fuit.Cantarunt Arcades illum:
Ille tibi, Melibœe,tibi hæc cantata Menalca eſt.
Tu quoque, ſi tantis dicta aut indicta Poetis
Accinis, en gaudet jam carmine Daphnis Apollo:
Et vacat ad Muſas, & amat: ſemperque vacabit,
Semper amabit: eruntque illi cura altera Muſæ.
Accine: non fruſtra cantaveris.Aſpice,ſylva
Annuit ut Zephyro; & ramis ſiluere volucres.
Mœ.At tibi Pan calamos dedit,atque inflare cicutas
Calliope: multuſque implevit pectus Apollo:
Solo digna canas qui Daphnide carmina,ſolus
Incipe; & ingentem cantu fer ad æthera Daphnin.
Ly.An quæ Pierides ſacris cecinere ſub antris?
Vidimus, & calamos ipſum admoviſſe labello
Non piguit.Ceſſit Pan, & juratus Apollo:
Submiſitque lyram: ſtupuit Thetis, altaque Nereï
Flumina, ad extremam ponti de littore Thulen.
An quibus eſt Clarius dignatus carmina Parcas,
Aurea verſatis dum nent hæc ſæcula fuſis?
Paſcite oves pueri,totis & ſaltibus hœdos
Credite: jam nullis errans lupus horret in agris:
Iam

Iam nulli inter ſe concurrunt frontibus hirci:
Nec fera vicini meditantur prælia tauri.
Verum ego mox forſan,quæ juſſerit ipſe, retexam.
Nunc tu (nam meminiſſe potes) cane cætera Mœri.
Sic tibi delitiæ Daphnis:ſic lumina fletu
Liberet,& mœſtum multum ſoletur amicum:
Sic pecori venias aliquando;aut utilis arvo.
Incipe;currentes deducet Thymbrius amnes.
Mœ. Forſitan hæc,quæ te nuper dictante canebam,
Magne puer,tu das unus te carmina digna,
Poſtquam jam tripodas Phœbus, lauroſq; reſignat;
Ante pedes tibi,Daphni,caput Parnaſſus,& altè
Attollunt Muſæ:jam ſunt ſua præmia Muſis.
Lac Melibœus,& hæc mulctralia, Tityrus agnum,
Ocnus agrum tulit:haud fruſtra tot,docte Menalca,
Carmina fuſa tibi:latè nemus omne reſultat
Lætitia:nunc upilio,nunc ipſe bubulcus
Per juga Lamyrii,vel per juga montis Ocelli;
Perque tuos,Caldon,denſos coryloſque, ruboſque,
Inſonat:ingentes & conſolatur amores.
Atque aliquis longo veniens de ſtemmate regum
Regem te,Rex ipſe canit.Non ſaxa ſilebunt,
Saxa vel Aoniis jam nunc certantia Muſis,
Formoſumque ipſum, formoſam & dicere caulam.
Hic quoq; te antra ſonant: hic te Celiovedus antris
Inſpirat,doctæ reſpondent omnia ſylvæ.
Illum ad convalles,præruptaque ſaxa frutetis
Horrida,& inculto nigrantia culmina muſco
Mulcentem montes,& conſcia flumina vidi.
Et modo quæ puero quondam cantata canebat:
Et modo purpureum renovabat arundine carmen.
Quo tu magne puer cælo es?quo ſydere natus?
An regnanda tibi dederant maria omnia piſces?
An Taure indulſiſti almos telluris honores?
An poſtquam auricomus ſublimi vertice Titan
Altius egit iter,Geminiſque ad terga relictis
Aurea candenti ſubjecit lumina Cancro:
Cum ferus Æoleis Boreas occluditur antris:
Cum novus aſpirat,lenito murmure ventus:

Tum

Tum potius medio te Sol altiſſimus orbe
Extulerit rebus Dominum,ſupra æquora, ſupra
Æthera;& invictum cælo decus addidit alto?
Hinc omen dat & arma polo Leo:cedite Pardi,
Liliaque,& Lyra,nec magnum temerate Leonem.
Tũ canit & gemmas properantem mittere Tethã,
Bodotriæque ſinus,& piſcoſa oſtia Glottæ:
Et ver perpetuum Neſſi,denſataque nullis
Flumina frigoribus. Mox ut Crafordia venas
Spondeat auriferas: Tagus invidet,& ſtupet Indus.
Æmule quid croceos agnorum Pindare dentes
Illinis?alliciens.Non curat talia Daphnis.
Daphnis in æthereos animo penetrare receſſus
Auſus,& immenſum pedibus ſubjecit Olympũm.
Quid tibi par,divine puer, tua lumina cernunt?
Quid,quod agas?quod ames?nõ ille tui tibi fulgor;
Non tibi forma pedi mentem perſtrinxit inanem;
Æra pedi fulgentis,& internodia juſta,
Quamvis Ægle illud,quamvis inſaniat Alcon,
Quamvis miremur pueri. peritura morantur
Terrenas animas:te jam cæleſtis origo
Vendicat:& ſolis dignatur Iupiter aſtris.
Nunc illum colere,& victis oſtendere terris,
Nunc illi curare greges,& condere caulas
Cura eſt:venarique lupos,vulpeſque latebris
Extrahere & totis agitatas cædere ſylvis.
Quid fremis impietas ,& ſpes moliris inanes?
Eſt aliquis terris cælum qui ſpiret,& unum
Suſpiret,dignaque aſſurgat pectora cura:
Eſt,hoc cui ſapere eſt.Hæc illum gloria tollit
Paſtores ſupra reliquos:nomenque,pedumque,
Porrigit in longas,longè hæc trans paſcua terras.
Hinc illum parvique greges,hinc magna magiſtrum
Depoſcunt armenta:& fortunata magiſtro
Se ſperant.Hinc conjugiis Nymphæque,Deæque,
Certant ſollicitare ſuis.Amarylli relictâ
Pulchrior es quantum tu Phyllide:Deiopeia
Tam tibi ſe præfert,tam ſe Galatæa capillis
Auro criſpatis Indo. Quanti illa ſuperbit
Dives

Dives agri! Bacchumque in dotem, atq; addit olivã,
Æmulaque Heſperidum fragrantia cortice mala.
Quid facias? quidve his opponas perdita? amore
Si certes: non fuſca tibi concedet amore
Phyllis: & illa prior teneris exarſit in annis,
Et fovit gremio, & parvis dedit oſcula cunis.
Nunc illi timet abſenti; nunc pallet in illo,
Proque illo aſſiduè, voti rea, templa fatigat
Suſpirans; & te crudelem, & dicit iniquam:
Parque referre optat demens. Atq; anne erit unquã
Cum tua te rurſus vultu ſpectare verendo
Suſtineam Phyllis? roſeo cum nectar ab ore
Stillans læta legam, labriſque? O oſcula labris
Surripiam, & circum tenero dem brachia collo!
Aut hoc ſi nimium eſt, imis dem baſia plantis:
Et longè venerans retro veſtigia lambam.
An tibi ſim vilis, quod ditior altera, vel quod
Comptior? & primos fas ſpernere credis amores?
Ly.Perge puer (viden') occiduo tibi plurima clivo
Lympha ſalit: jam rura bibunt, præſepia vaccas
Accipiunt ſaturas. Quid reſpicis? Ipſa cavebit
Bucula ne veniens exhauriat ubera Circe:
Ipſa premit palmis, & lac ſub tecta reportat:
Ipſa ſatis longè paſcentes diſtinet hœdos:
Et ſi quid damnum dederit; præſtabit Amyntas.
Interea tu dic lachrymas, dic Phyllidis ignes:
Speſque metuſque omnes, & miſtis vota querelis.
Mæ.Hic (Lycida) potuiſſe illam plus hiſcere credis?
Defecit: vix Alcippe ſub tecta reduxit,
Et Beroe, ſimul occurrit dubitare, fidelis
An foret, an tanti ſecurus Daphnis amoris.
Nunc tenuis vitæ ſpes, poſtquam Doris, & undas
Iuratus Nereus memorem teſtatur; & illam
Adſciſci in thalami partem; natoſque receptos
Communem in caulæ curam communis: ut id vult
Depoſitis ſatis æqua odiis Amaryllis: & ultro
Invitans ſponſi in cunctos conſpiret honores. (que,
HocTameſim petere, hoc Sabrinã, Hũbrumq; Camũ-
Hoc uno frĕmere ore Britannidas, in mare quotquot
Deducunt

Deducunt liquidas non uno tramite lymphas:
Ante iterum frondes quam ponat fraxinus, antè
Meſſor quam ſegeti falces immiſerit; ipſum
Affore; ſiccantem lachrymas & lumina Daphnin,
Forſitan & magnos miſſuram Amaryllida natos.
 O mihi ſi priſcus redeat ſub pectora Phœbus,
Qualis erat, cum me bis ſeptima clauderet æſtas!
Iam primas poteram labris inflare cicutas:
Iam teneras audente manu contingere lauros.
Vel nunc vicinæ ſi jurgia Theſtylis olim
Obſtrepere, atque alienus agrum depaſcere taurus
Ceſſet, & in canis Cererem convellere culmis:
O vacet! & fidus ſervet præſepia cuſtos!
Quo me Daphni vocas? Seu tu dignata cothurno
Carmina vis, victoſque hoſtes cantare, laceſſam
Antiquos cura vates, hircumque merebor,
Carmina luce vigil, meditatus carmina ſomno.
Seu laudes, curaſque tuas, ſpectandaque facta:
Egrediar ſylvis: totumque Helicona fatigans
Quæram maſcula verba, ſonoſque ingentibus aptos
Rebus. Quin, ſi Phœbe faves, non degener æquem.
Quod ſi animis, & adhuc opera eſt opus: en ego nul-
Invenit cui quiſquam uſus: qui ſpretus inertes (los
Perdo horas procul urbe, atq; orbe, ad ſqualida Ier-
Ocellos propter montes, mentemq; manumq; (næ
Torpidus ante annos ſenio, caſſoque labore:
Accingor tamen, & primus patria arma capeſſo
Sat validus, ſat jam vegetus, juvat auſpice tanto
Aëreas Alpes & ninguida Caucaſa: vel te
Iſmare, vel Rhodope, vel qua Geta, quave Gelonus
Accolit, & celſi ſuperare cacumina Tauri:
Vel remis penetrare Indum: vel maxima Volgæ
Flumina, & armatum captas volitare per urbes.
Sin pacis tractare artes, & mollia mavis:
Non mihi Gnoſſius, aut Rhadamantus, Gnoſſius aut
Iuſtitia certet Minos, ſub judice Creta, (mî
Sub Lycia. aut ſi audere jubes, animoſque benignus
Sufficis, & dextram ſolio protendis ab alto:
(Non adeo exoſa hæc paſtorea pectora Pallas)

Conſiliis

Conſiliis dicar non ultimus. Et mihi Daphnin,
Seu regere imperiis,ſeu circumducere mentes,
Seu fraudem capere aut aſtu,atque illudere captæ,
Fas dare: ſufficiam priſca virtute per altum
Vela dare hoc pelagus.Quid mens circũſpicis artes
Te minor indecores? (illas Hetruria jactet,
Degener aut Tyberis) jungentur neſcia jungi
Credita.Non pia me ſolertia, non pietas me
Deſtituet ſolers uſquam. Mirabitur orbis
Qua patet, & rectum repetet te vindice callem.
Sed me neſcio quo tulit inſcius ardor, & omne
Excuſſit frænumque modumque.Age,contrahe vela
Navita,& incerti cautus lege littora ponti.
Paſtores ſua rura decent. Iamque ecce caper,qui
Errat.At hoc noſtræ eſt, Muſæ decedite,curæ.
*Ly.*Vive diu mihi Mœri: diu illi ſtridulus anſer
Sic ſtrepe,ſic placeas; illi ſic ſtridulus anſer
Si placeas, magno dignus das carmina Phœbo:
Ni placeant, ipſis raucеſcunt guttura cycnis:
Forſitan atque ipſis ſordent ſua carmina Muſis.
Vive, ſat eſt, ſeros declinat Cynthius ignes.

ECLOGA QVARTA.

Cui nomen Melibœus, ſive unio.

Melibœus. Menalcas.

Mel. MAgna Pales,an vivit adhuc, ſpiratque Menalcas,
Nec canit; ut totis paſtorea fiſtula ſylvis
Sordeat? huc age: ſint Muſæ, ſit dexter Apollo.
Hic canimus: malus ut rumpatur & ilia Momus.
*Men.*Ipſum equidem hoc totum queribundus amice, dolenſque
Advenio, Melibœe.Nec eſt mora. Vel mea ſylvæ
Auſcultent Satyrique; feri vel carmina montes.
Incipe.nunc ipſi,ſatis eſt, venere juvenci.
Mel. Prima poli veniens deducat vertice magnum
Vrania, & dulci perfundat nectare carmen.
Illa colit cœlum, terram ſi forte colat; jam
Rideat & cælum; colat & pax aurea terram.

Men.

*Men.*Proxima Calliope: Quid magnũ quæritis ultrà
Paſtores? nihil eſt. Hæc cœlo ſerviat: illa
Regnet agros. Sic dulce ſolum, ſic plurimus agris
Venit honos, pleno ſic ridet copia cornu.
*Mel.*Iuppiter effœtis iterum cum redderet arvis
Aſtræam, cultumque ſui, moreſque relictos:
Ite, ait, & juncti caulas ſociate Britanni:
Hæc eſt, quæ veſtris debetur gloria fatis.
*Men.*Ite ait, & magnũ ſacrate in marmore Daphnin:
Et quæ conjugio juncta illi Nympha ſuperbo:
Et quem conjugio parit illi Nympha ſuperbo.
Hi ſunt, qui veſtris æquabunt omnia votis.
*Mel.*Pulchrior, & Nymphis formoſior omnibus una.
Si Tameſis liquidas ſpeculata Amaryllis ad undas
Concepit faſtus nimios; nigramque vocavit
Phyllida; nec timuit Nemeſin, nec Daphnidis iram.
*Men.*At ſe Phyllis amat, quamvis ſit fuſca, ſibi ſat
Strenua, nec natûm piget, nec nominis illam.
Sed ſi Daphni vocas; junctæ ſi gloria caulæ;
Non ultrà natûm meminit, non nominis illa.
*Mel.*Audiit: &, ſibi componi indignata, refugit,
Atque iterum ſpeculum reſpexit, & heus ait, an me,
Ponere me, nomenque coegeris? O bone Daphni
Deſine. Non noſtro certet tua Phyllis honori.
*Men.*Tityre, tuque ingens Alcon, ſeu cernere ceſtu
Sive in graminea curſu ſudare palæſtra,
Cernitis hæc? voſque (ô) alii, queis Græcia nullos
Præferat; & nullos queis priſca Amaryllis alumnos.
*Mel.*Ocnus ubi eſt? ubi dius Ias? ſoloque minores
Daphnide, ſeu cantu, ſeu decertare cicutâ
Phylligenæ? vos hæc ſic ſpernit? at enthea virtus
Conſecrat: & magno magnos dignatur Olympo.
*Men.*Vidi ego cũ peteret, quos nunc faſtidit: & ultrò
Compellans blandis mulceret Phyllida dictis.
Vidi ego cum multis ſponderet munera verbis,
Forſitan & veris oneraret ſydera votis. (ertem?
Mel. Quid miremur opes? luxum aut laudemus in-
Quid formæ perienſve decus? pexoſve capillos?
Es formoſa, Amarylli: at ſpernere inania diſce.

Sæpè

Sæpè ſub hirſuta virtus latet ardua fronte.
Men. At neque tam informis,nec diſcolor iſta,ſororē
Quin noſcas. natos Rheniſi cernis ad undas;
Iures eſſe tuos vultu parilique vigore:
Ipſique inter ſe, nota ſe voce ſalutant.
Mel. Audierant magnas quondā teſtantia luctas(ber,
Flumina,Tueda pater, Carronq; & maximus Hum-
Et procul, ô,ſatis eſt ſudatum, ô! ſtragis abundè
Vidimus: undantes & ſanguine volvimus amnes.
Men. Nectite centenis adamantina vincula nodis
Paſtores, nil eſt nimium: nil credite abunde:
Ne rurſum ad caulas vigiletur,& horrida rurſum
Lis fera diſcordes trahat in certamina tauros.
Mel. Improbe livor,inique bonis conatibus, ô! te
Fulmine ſub patrium retrudat Iuppiter Orcum:
Sive Tago venias, ſeu Tibride, ſeu Tanais te (es.
Miſerit, haud noſtro ſatus,haud puto, natus in orbe
Men. Spargite agris cineres,totamq; inſpergite Ier-
Et moly, & cæli ſacros aſpergite rores: (nam,
Toxica ne Lybiæ nobis, Circeſve, Stygiſve
Officiant: cunctis mors hæc eat ora venenis.
Mel. Termine cede: quid hic ageres?communia cer-
Paſcua.Nulla ſuos Phyllis diſcriminat agros, (nis
Nulla ſuos Amaryllis. Et hos agnoſcit & illos,
Vtraque nec proprios diſcernere curat alumnos.
Men. Dulcis Hymen,quo nō aliud præſentius uſquā
Iungere manſuris mortalia pectora vinclis;
Necte animos; miſceque genus; ſtirpemq;futuram:
Et ſciat eſſe ſuos verè Nympha utraque natos.
Mel. Pan ades,& totam curâ complectere caulam,
Sepibus occluſamque hirtis, ſartamque ruinas:
Coge greges memor ipſe; & dulces mitis amores
Aſpira, noſtris ut eat concordia ſeptis.
Men. Tu quoque caſta illi ſacris operata juventus
Thure cole, & mica ſalis. Ipſe altaria tangens
Tityrus, & poſcat veros, & reddat honores.
Maxima ſic noſtris aſſurget gloria cœptis.

EPI-

EPIGRAMMATA.

Laurea Poetarum Corona.

PHœbe ſacer, præſul magnorum maxime vatum,
 Quem neq;quæ fuerant,quæve futura, latent.
Cum fora tam vario fervent confuſa tumultu;
 Et ſua non parvus caſtra Galenus habet:
Tu (dic) cur toto latitas ignobilis orbe?
 Cur tua tam rarus miles ad arma venit?
Scilicet una tua demenda eſt littera lauro:
 Dematur lauro littera prima tua:
Litera Pieriis nimis invidioſa Camœnis,
 Littera Phœbæo non ſat amica choro:
Litera tollatur ſola hæc; fervere videbis
 Et ruere ad fontes agmina plena tuos.
Laurea quæ fuerant; deme L, ſunt aurea: multis
 Sic,reor, è lauro grata corona foret.
Ipſe ego,qui ſequor invitus,ſegniſque reluctor:
 Hæc mihi ſi ponas præmia, primus ero.

Ad Eliſabetham Angliæ Reginam.

NVper belligeros Mavors cum viſeret Anglos,
 Vidit te, & Venerem credidit eſſe ſuam.
Ibat in amplexus, jamque oſcula nota ferebat:
 At tibi virgineus venit in ora pudor.
Senſit:&, ergo,inquit,flavis prognata Britannis
 De Venere ambiguum me facit eſſe mea?
Quæque fuit quondam toto pulcherrima cœlo,
 Iam tandem in terris repperit illa parem.
Si Paris hanc Phrygiis vidiſſet montibus olim;
 Ceſſiſſent Paphiæ præmia nulla Deæ.
Sed cur doctiloquæ volitant circum ora Camœnæ?
 Fallor? an has etiam non levis error habet?
Quamq;ego crediderim Venerē;putat eſſe Minervā
 Aurea cum docto Calliopeja choro?
Scilicet has virtus, & digni Pallade mores,
 Haudque pudicitiæ nomen inane tuæ;
Ingenium; & certè ſexu prudentia major;
 Quique fluit blando mollis ab ore lepos:

Me

Me dulceſque hilareſque oculi, vultuſque ſerenus,
  Pectoraque albenti candidiora nive:
Me facies ſupra humanum formoſa fefellit;
  Me teretes digiti, lacteolæque manus.
Queis cum ſceptra etiã priſcæ gerat æmula Trojæ,
  Quæque ego vix illis inferiora reor:
Cum quos vult opibus ditet; cum donet honores:
  Ecquid præterea maxima Iuno poteſt?
Scilicet ut cunctos vivat manſura per annos,
  Et vincat fatis fata ſuperba ſuis?
Atqui hoc cum præſtent non invida numina Muſæ,
  Numina cultrici non inimica ſuæ:
Conferat incaſſum titulos Saturnia; jactet
  Divitias: opibus vincitur ipſa ſuis.
Cum facies Veneri certet; prudentia vincat
  Pallada;eris terris Iuno, Minerva,Venus.

Adhuc.

QVę Venus & Pallas,quę maxima numina Iuno
  Præſtabant olim ſingula;ſola potes.
Non Venus es, non tu Pallas, non maxima Iuno;
  Major Iunone es, Palladeque, & Venere.

Calendæ Ianuarii.

QVid mihi cum Iano ? monſtrum ille,atque odi ego monſtra.
  Ille bifrons, ſimplex frons animuſque mihi.

Adhuc.

DAs;ſed ut accipias,hoc non dare,vel dare ſi ſit,
  Iane, idem dicas accipere eſſe dare:
Idem largus, avarus: & idem dives, inopſque
  Sic,nam qui ſic dat, plus capit,optat,habet.

IOANNA LEO, ANGVSIÆ
Comitiſſa.

CElſi oris decus, & radiantem frontis honorem,
  Et benè quas poſſent ſceptra decere manus:
Dulcia cœleſtes imitantia lumina flammas,

(Lumina

(Lumina vel Phœbo, vel Iove digna coli)
Et quas præterea formoſo in corpore dotes
Pigmalion docta duceret in tabula:
Dum mediam incedis ſtipata Ioanna per urbem,
Et trahis ad vultus lumina cuncta tuos:
Viderat Heſperiis vectus Getulus ab oris,
Atque aliquam è cælis eſt ratus eſſe Deam.
Vt genus & nomen didicit; ſuſpirat: & ergo
Tam dulces,inquit, terra alit iſta feras.
Africa dum tales ferat olim noſtra leones:
Quot volet, & tigres, & fera monſtra ferat.

Ad Quindecemviros.

TErtia jam canis inſtat fervoribus æſtas;
Iam poſuit canas tertia bruma nives:
Ex quo lata licet pro me eſt ſententia: litis
Hydra, renata velut funere, vivit adhuc.
Virtute Herculea, Styge natum tollite monſtrum:
Et tandem inviſæ tædia lenta moræ.
Stat fixum hoc, utcunque revixerit;haud ſine veſtra
Vivere labe poteſt: haud ſine laude mori.

Ad quendam cognomento regem.

DEmiror, quod Rex dicis minus æqua,faciſque:
Dicere nam Reges, & facere æqua decet.
Nil miror,quod Rex dicis minus æqua,faciſque:
Nomine Rex tantum es, munere cauſidicus.

In Sceleſtiſſimam, & teterrimam conſpirationem de evertenda ſulphureo pulvere Comitiorum Anglicorum Domo, unà cum ſereniſſimis Britanniæ Regibus, totiuſque Angliæ Ordinibus, initam in diem 5 Novemb. 1605, ac pridie detectam.

I. *Deteſtatio.*

ERgo ſuperſtitio furiis permiſta, nefandum
Concipit, & dirum parturit atra nefas.
Quale nec Hyrcanæve tigres, Libycive leones;
Orba nec in rabiem ſi ruat urſa furat:

Quale nec immaneſve Scythæ, triſtiſve Gelonus,
Tetrior aut forſan Maurus utroque coquat:
Ipſa quod in ſpecubus Stygiis horreret Erynnis,
Ipſe quod in Stygiis Styx pater horret aquis:
Seque ſuis victum ſtupet artibus; & ſibi gaudet
Tam benè diſcipulos ſe docuiſſe ſuos.
Plaudite vel Tiberis ſoboles generoſa, vel Orci,
Hoc ſcelere eſt veſtrum vincere poſſe patrem.
Plangito, vel Tiberis gens infœcunda, vel Orci:
Nil paris, exitium vel paris ipſa tuum.

2. *Expiatio.*

O Ceane, & vaſto Nereu circumſone mundo;
Quæ tua? quæ ſatis hoc eluet unda nefas?
Tuq; Acheron, Phlegetonve atris horrentia flammis
Flumina, quis ſatis hoc excoquet igne ſcelus?
Quæ vel terra teget? vel quæ millena piabit
Victima? quæ celſi viſve vigorve poli?
Nil hic Oceanus, nil Styx, nil terra, nec ulla
Victima, nil celſi vis agat ulla poli.
Ergo quod incaſſum rerum natura piaris,
Execrare: iſta hoc una piacla manent.
Deneget hoſpitium tellus, non alluat unda;
Non foveant flammæ, non faveatve polus.
Tu quoque, quod ſpurio effudiſti innoxia nixu
Hactenus, & te horrens, terra Britanna fuge.
Nec peperiſſe magis, quam partum odiſſe, loquatur
Orbis, & immenſi conſcia ſæcla ſoli.

3. *Fides Romana.*

O Pietas, ô cana fides; ô conſcia recti
Relligio, puri pignus amorque poli:
Digna Deo, veraxque & candida, mitis & expers
Sævitiæ, cunctis lenis, amica, proba:
Tene ſuperſtitio variis mentita figuris
Induat, & vultus fallat inepta tuos!
At cædes, at ſpirat atrox incendia, fraudes
Miſcet, & aſſiduo tincta cruore madet:
Et mactat regeſque, & totas horrida gentes,
Pejera

Pejerat, & tetris evomit atra cavis.
Millia quot nuſquam ſcelerum ferus expuat Orcus,
O ſapite, & Tuſcæ cernite fœda lupæ.
Conſilia hæc, arteſque æternæ. his illa per orbem
Porrigit imperii triſtia ſceptra ſui.

4. *Conſolatio.*

ITe vafri latebroſa cavæ ſub viſcera terræ,
Ite vel in mediam, ſi libet, uſque Stygem.
Contegite, injectoque ſuper celate barathro
Tartareos quavis parte vel arte dolos.
Spargite ſulphureis glomeranda incendia venis,
Quæ quatiunt,quaſſum flantque, feruntq; ſolum.
Et validas turres, & clauſtra ingentia, & ipſa
Oppida, deque ſuis eruta regna locis.
Et jurate ſcelus, ſacrate ſilentia, teſte
Triticeo coram, furfureove Iove:
Stulti, ſi Deus eſt, ſcelera odit, ni Deus,ille
Quid juvet? at verum voſne latere Deum?
Eja agite, ante tubas, læti celebrate triumphos,
Gaudiave in tacito tuta vorate ſinu.
Fruſtra erit, ille potis lætos turbare triumphos,
Eruere & penito gaudia vana ſinu.
Ille diem noctique Ereboque immittere,& omnia
Ferre palam,atque artes vertere in artifices.
Et conſulta occulta, ferè & perfecta, potenti
Excutiet validâ disjicietque manu.
Diſcite, nil illo vos fidere: ſed neque quicquam
Invito fas eſt nos trepidare Deo.

5. *Gratulatio.*

AT tu Rex nuper tantis erepte periclis,
Et tu ſpes tanti maxima nate patris:
Vtraque ſpes ingens orbis magnique, Britannique,
Ingens Tarpejæ terror uterque lupæ:
Quos trepidis horrent Tanais vaga flumina lym-
Et trepidus regno Dis timet ipſe ſuo: (phis,
Oppugnati illi quanto molimine, tantæ
Deliciæ, magno curaque celſa polo:

Ite alti per inane orbis, perque ardua rerum,
Perque Orci fremitus, Tartareaſque minas
Securi: nempe ipſe Deus ſic ſacrat Olympo,
Sic parat, adque ingens optat & aptat opus.
Frendeat, horrendoque atrox ſe porrigat antro,
Atque ciens dirum vis Acheronta fremat:
Inque ſuas totum ſeſe induat, & vafer artes
Ingeminet virus, inſinuetque viris:
Vobis ipſa poli cura excubat, illa furentem
Comprimit: & vires diſcutit illa viris.
Vobis ipſe Iudæ Leo militat, & præit ingens:
Et fovet, & fulvo fulcit utrumque latus.
O vos fælices digno ſimul auſpice, & auſis
O fælix, digna qui canat illa tuba.

De IACOBO VI, *Rege, adhuc puero, Expectatio.*

ANglia, lanigerumque greges, armentaque dives,
Et ſuas jactet temulenta vites:
Gallia Campano certetque æquare falerno,
Vaſconum ſi quæ rubet uva campis:
Lydius auriferas volvat Pactolus arenas,
Æmulis currat vagus Hermus undis;
Arvaque purpureis pulſet rutilantia glebis,
Qua vehit fulvum Tagus amnis aurum:
Ipſa ſuam Cereremque, & pinguis Mæſia colles
Rura miretur, gravidaſque ariſtas:
Trinacris Hybla favo, lentis Methymna racemis,
Thure ſudato tinniant Sabæi:
Murice puniceo Tyrii, & Gangetica tellus
Fulget Eois celebrata gemmis:
Fulmina Scipiadas belli, clarumque Camillum,
Cæſares, Brutos, Fabios, Catones:
Quique mare & terras victor peragravit Eoas,
Æmulus magni Macedûm tyranni:
Ingens in Peluſiaco qui littore truncus
Crimen ingrati ſoceri jacebat:
Hos inquam, atque alios jactet fœcunda nepotes
Roma terrarum, domitrixque ponti:

At

At tu, quæ tantos latuiſti ignobilis annos
  Scotia, indignis tenebris ſepulta;
Affere te in lucem, jam cunctis clarior oris,
  Quas videt cœli patulo recurrens
Orbe ſui Phœbus: tam pulchrior ille ſorore;
  Quam ſoror ſtellas ſuperat minores.
Scilicet ille & opes, varia & miracula rerum,
  Rara naturæ bona blandientis;
Iuſtitia illuſtrem ſobolem, vel fortibus armis,
  Quam ſibi priſcis genuere ſæclis
Vt jactent; uno contra pugnabis alumno,
  Quem tibi feris peperiſti in annis.
Nam tibi ſi primo qui nunc Iacobus in ævo
  Integer, vitâ maneat ſuperſtes;
Quodque dat, exæquet plenis maturior annis
  Indolis tantæ generoſus omen:
Ipſe feret, quæ ſit gemmâ ſpecioſior Indâ,
  Fortha reflexis ſinuoſus undis:
Et qui cæca rapit canis undantia lymphis
  Saxa, contorto violentus amni
Tetha, licet properet ſævo velocior Euro,
  Et fremat raucum, ſtrepituque cautes
Pulſet inacceſſas; tamen haud mutare recuſet
  Saxa flammatis ſalebroſa gemmis.
Mella Caledoniæ ſudabunt roſcida quercus:
  Thura manabunt tribulis, ruboque
Pendebit potior Campanis uva racemis.
  Agna, per valles ad amœna Tuedæ
Flumina, Sidonios paſcetur amicta colores
  Sponte, & haud ullo variatâ luto.
Vellera certabit minio ſuperare, crocoque
  Stamen externis ſaturatum in oris.
Alma Ceres ſedem Argadiis in montibus altis
  Ponet, & flava ſteriles myricas
Mutabit ſegete, ut non illas Gargara meſſes
  Læta fœcundis ſuperent ariſtis.
Mænala Læneus pater, & vineta Timoli
  Linquet, & ſacri juga celſa montis:
Pampineaſque tuos in colles transferet uvas.

Pampineaſque tuos in colles transferet uvas.
Proque Pactoli nitidis arenis,
Auriferoque Hermo, Crafordia dives avaros
Incolas fulvo ſaturabit auro.
Hic ver perpetuum, depicti & floribus agri.
Liliis conſtans decus hic roſiſque.
Non imbres tenero pecori, gelidæve pruinæ,
Non gelu pigrum Cereri nocebit.
Ipſe vides, ut nunc brumali frigore Neſſus
Pertinax duram glaciem recuſet.
Æmulus exemplum ſequitur quod Lutea, Spæa,
Dona, Doverna, Dea, mox & Eſca
Bis geminus, quique arva rigant Æoneia, quique
Arva Dalketham, Lothiana propter:
Et qui belligeros modico diſterminat Anglos
Flumine; & magnus Taus, atque magnus
Fortha pater, Carronque, & Glotta, & Solveus, & tu
Tueda bellorum nimium procellis
Iamdudum quaſſate, truces dum protinus iras
Hinc & hinc triſtes acuunt Erynneis.
At nunc perpetuam ſpondent tibi ſydera pacem,
Et locant regno medium Britanno.

ARTV-

ARTVRI IONSTONI,
Medici Regii
PARERGA
ET
EPIGRAMMATA.

PARERGA.

Nobiliſſimo & Ampliſſimo viro, D. IOANNI SCOTO SCOTOTARVATIO, *Equiti, Cancellariæ Scotiæ Directori, Conſiliario Regio, amico ſuo optimo.*

SCote Caledonii decus immortale Senatus,
Conſule quo poterat Roma vetuſta regi:
Scote, ſuas à quo Pallas non abnuat artes,
Virtutem Virtus diſcere, jura Themis:
Scote, cohors quem ſacra patrē Phœbuſq; magiſtrū,
Quem Mecænatem Caſtalis unda vocet.
Scote, mori qui noſtra vetas, cui ſerviet uni
Ingenii nobis quicquid & artis ineſt:
Hæc tibi Ionſtonus magni leve pignus amoris
Nuncupat, innocuis ludicra texta jocis.
Dum patriæ premitur curis, dum nubila mens eſt,
Materiem riſûs, ſi legis, iſta dabunt.
Accipe; nec plauſum populi, nec præmia quæro;
Sat vates, veniam ſi mereantur, habent.

Virtus nos ornat.

Conſilium Collegii Medici Pariſienſis de Mania Hypermori Medicaſtri.

QVæ Buchananæis medicaſter crimina Muſis
Objicit, & quo ſe jactat inane melos;
Vidimus: & quotquot tractamus Pæonis artes,
Hic vates, uno diximus ore, furit.
Eſt furor hic, ſed non qualis ſolet eſſe Poetis,
Pectora Pierio cum caluere Deo.
Hic Athamanteas furias, hic cernis Oreſtis,
Thyas Hypermorum, vel Corybantes agunt.
Atra ſedens illi circum præcordia bilis
Æſtuat, & cerebrum corripit omne lues.
Tranſverſum rapitur mens hoc infecta veneno,

Et quæ vix audet fabula, monſtra parit.
Se Regem putat upilio, bellumque minatur
Horridus, & trepidas fulminat inter oves.
Sceptrum eſt,vile pedum,ſunt hirtę purpura pelles,
Et caſa parva,domus regia,rapa,dapes.
Hic tacitus captat, ſibi viſus aranea,muſcas,
Hic tritici granum ſe ratus, horret aves.
Sunt vitreum, ſunt qui credant ſibi fictile corpus,
Occurſumq; hominum, compitaque ipſa timent.
Vidimus & qui ſe vitales crederet auras
Liquiſſe, & Stygias jam penetraſſe domos.
Non illi conjunx, non illi pignora curæ,
Nec fas humanas vel tetigiſſe dapes.
Talis Hypermori furor eſt: ſeſe ille poetam
Credit, & Aonium pulſat ineptus ebur.
Non aliter dulces inter ſtrepit anſer olores,
Aut patulo cornix cum vocat ore notos.
Suavius æra ſonant Corybantia, ſuavius illo
Arcadicum poſſet plectra movere pecus.
Blanditur tamen ille ſibi, non ipſa Maronis
Carmina, Mæonidæ non putat æqua ſuis.
Nec furor has intra potuit conſiſtere metas,
Ipſa ſed indignis conſpuit aſtra modis.
Te vatum, Buchanane, decus, quem ſuſpicit orbis,
Priſca cui aſſurgunt ſæcula, dente petit.
Ille tuis audet demens oppedere Muſis,
Quodque nequit livor perdere, rodit opus.
Vatis Ieſſiadæ cultu donata Latino
Carmina ſunt, illo judice, digna focis.
Hæc linit, hæc radit, nec ſævos abſtinet ungues,
Cuncta abolens, numeros ſubſtituitque ſuos.
His Rex quæſitus patronus, Gallia judex,
Teſtes, quot populos maximus orbis habet.
Proh pudor! excuſſis veſana licentia frænis
Iam ruit, & ſcelus eſt,quod fuit ante furor.
Spernitur,& fœdis violatur charta lituris,
Quam pinxit radio Cynthius ipſe ſuo.
Quodque Deo cecinit plectro meliore Camœna,
Impia nunc audet radere lima melos.

Rex

Rex ſacer exutum queritur ſe regis amictu,
Et Ieſſæa ſuo plectra carere ſono.
Nec monſtrum hoc parcit patriæ, patriæq; parenti,
Iſta quibus demens ſcripta legenda dedit.
Si qua Caledonio facta eſt injuria vati,
Scotia, te, regem tangit & illa tuum.
Te penes illius ſunt incunabula, ab illo
Parva licet, magnum, Scotia, nomen habes.
Nil tuba Mæonidæ, nil magni Muſa Maronis
Furta Deûm præter cantat, & arma virûm.
Inſpirat melior Buchanani pectora Phœbus,
Et facit ut puro nectare vena fluat.
Ille Dei æterno modulatur carmine laudes,
Aptat & Hebrææ plectra Latina lyræ.
Eruit è tenebris idem tua geſta, Duceſque,
Queis Latium, queis nil Græcia majus habet.
Tuque parens patriæ, niſi deliquiſſet in uno,
Quid de te vatem non meruiſſe putas?
Imbuit ille animum ſtudiis, & regibus olim
Invia Pieridum per juga rexit iter.
Finxit & os tenerum puero, quo pectora mulces,
Quoſque regis populos, non finis eſſe feros.
Os dedit, & dignos formavit principe mores,
Et docuit quæ vos ſæpè latere ſolent.
Quid rex privato, quid diſtet rege tyrannus;
Quid populus regi debeat, ille Deo.
Hoc duce tu fælix, ut rex ſis, ſanguinis autor,
Vt reges inter maximus, ille dedit.
His tamen obtrectat meritis latrator Anubis,
Mixtaque vipereo felle venena vomit.
Eſt furor hic certus, ſunt certi ſigna furoris:
Quis referat tanti quæ ſit origo mali?
An quibus armatur, flammas objecit Erynnis,
Et quod Gorgoneo ſibilat angue caput?
An ſaniem eructans infecit membra veneno,
Tartareas monſtrum quod cubat ante fores?
Forſitan incautum rabie canis acta momordit,
Aut fera quæ molli ſtamine velat aquas.
Forſan equæ lentum quod ſtillat ab inguine virus,

Forſan Echidnæum, cauſa furoris erat.
Aut curæ vigiles, aut dulcis copia Bacchi,
Aut qui corda ferus ſæpè venenat amor.
Fortè etiam tetigit mala gramina; forte viator
Aridus inſano proluit ora lacu.
Vel gelidus dura concrevit frigore ſanguis,
Vel miſer æſtivo ſub Cane fecit iter.
Diſtrahit in partes animum vis cæca furoris:
Hæc tamen eſt vero praxima cauſa mali.
Fortè canis rabidi Batavus puer ore petitus,
In rabiem infælix actus & ipſe fuit.
Vidit Hypermorus Batavis tunc hoſpes in oris,
Et medicâ ſævam depulit arte luem.
Fama volat: medici ad limen fluit undique vulgus,
Vndique lymphati, turba timenda, ruunt.
Haud aliter circum glomerantur tecta volucres,
Non exſpectato cum ruit imbre Notus.
Pars fremit ante fores, pars intra limina, terror
Hinc atque hinc, horret tota furore domus.
Parva Lycaonio rumpuntur tecta tumultu,
Iurares Stygias hic habitare canes.
Quacunque ingreditur, rabie gens effera ſemper
It comes, & Medici claudit utrumque latus.
Hic ululat, latrant alii, fluit omnibus ater
Ore cruor, paſſim ferrea vincla crepant,
Hinc eſt prima mali labes; hinc prima furoris
Semina, contracta eſt tranſitione lues.
Sic lepra, ſic diræ ſpargunt contagia peſtes,
Et ſcabiem toti fert ovis una gregi.
Tange luem, Veneris quæ turget nomine, tactu
Damna trahes: lippos aſpice, lippus eris.
Sed morbi quid ſigna juvat, quid dicere cauſas,
Pæoniâ tolli ſi nequit arte malum?
Proh dolor! iſta lues non eſt medicabilis herbis,
Vaſta ſuum quamvis mitteret Ida nemus.
Cum ſubeunt, pelli poſſunt medicamine morbi:
Tollere naſcentes quælibet herba poteſt.
Aſt ubi facta mora eſt, ſumunt à tempore vires,
Nil tum dictamnus, nil panacæa juvat.

Nec,

Nec, quamvis eſſet caput hoc ſanabile ſuccis;
  Annueret medicæ Cynthius autor opis.
Quam patitur vates, facta eſt injuria Phœbo,
  Hic memor, & forſan criminis ultor erit.
Non impunè tulit vati quod fecit Atrides,
  Et didicit longas Numinis eſſe manus.
Non tamen hic, quanquam ſpes eſt excluſa ſalutis,
  Æger Apollineam ſpernere debet opem.
Quas miſer exſpirat, fugientes naufragus auras
  Captat, & in mediis brachia jactat aquis.
Tollere ſi tantos neſcit medicina furores;
  Ne poſſit virus creſcere, forte dabit.
Ergo age Hypermori curam qui ſuſcipis, omnem
  Tolle moram, & promptam, ſi potes, affer opem.
Quadrupedem primo conſtringens, vincula centum
  Injice, captivi qualia ferre ſolent.
In facinus ruit omne furor, niſi compede frænes:
  Non leo, non tigris plus feritatis habet.
Ipſa furens natum diſcerpſit Penthea mater:
  Te patris obtrivit, parve Learche, furor.
Se quoque Leucothoe cum nato perdidit; Ajax
  Ipſe ſuo demens ſanguine tinxit humum.
Nec vinclis preſſiſſe ſatis; nocet halitus oris;
  Deterius nullum virus Echidna vomit.
Abde catenatum ſemoti carceris antro,
  Lux ubi nulla micat, vox ubi nulla ſonat.
Ipſe Deus ſuperis furias ſecrevit ab oris,
  Merſaque ſub terras tecta, laremque dedit.
Expedit & tortis humeros & terga flagellis,
  Et latera, & geminas ſæpe ſecare nates.
Quod caput infeſtat, virus dolor omne revellit,
  Corrigit & mores, & fera corda domat.
Hic facit ut ſævæ miteſcant tigridis iræ,
  Et ſua crudelis fulmina ponat aper.
Protractum è tenebris interdum merge profundo,
  Vt lavet inſanum ſæpius unda caput.
Conſpectum nomenque horret lymphaticus undæ,
  Hic tamen illius ſæpè levatur ope.
Ferro etiam cohibenda lues; incidere venas

Ne dubita, nec te pigra moretur hyems.
Hac ope, quo turgent, membris expellere virus,
Aut oneris ſaltem parte levare potes.
Vulnere tergemino cubitus tundatur uterque,
Vt fluat ex omni viſcere tetra lues.
Sed, quia ſumma petens mētis furor occupat arcē,
Præ reliquis ferrum poſtulat iſte locus.
Quæ frontem dirimit mediā, tibi vena ſecanda eſt,
Et quæ pone latens nomina puppis habet.
Quæque oculis ſimul expirant & naribus ignes,
Et cava quæ circum tempora utrinque micant.
Hæc quoque,quæ linguam ſucco loliginis atræ
Imbuit, auxilium non leve ſecta dabit.
Si quid adhuc mixtum terrena fæce ſuperſit,
Hoc procul à cerebro virus ad ima trahe.
Quæ latet in gemino tundatur poplite vena,
Quæque pedes imos, malleoloſque rigat.
Præ reliquis aperire juvat, quæ ſponte tumentes
Virus ab extremo podice ſæpe vomunt.
Has reſera ferro, vel amaris illine ſuccis,
Vel mordace cutem pumice ſæpe frica.
Aut ſi forte latent, exugat hirudo cruorem,
Aut aloes æger pocula plena bibat.
Quinetiam extremis quadrant extrema, furorem
Tollere ſi ferro non potes, igne doma.
Vre locum, capiti cervix ubi jungitur, ure
Brachia,mox geminum crus,& utrumque femur.
Sic grave ſepteno manabit flumine virus,
Et quod non poſſunt ſingula, multa dabunt.
Sunt hæc magna quidem;verum eſt præſtantius iſtis
Auxilium, quoties mens agitata furit.
Sponte ſua nemorum ſiccis in collibus herba
Naſcitur, Aoniis non male nota jugis.
Huic folium platani, radix cæpæ æmula, caulis
Eſt ferulæ, cnici ſemina, floſque roſæ.
Hæc,reliquas cum condit hyems, aquilonia ridens
Frigora, brumali ſub nive ſurgit humo.
Grata peregrinis eſt coturnicibus eſca,
Creditur & ventrem ſæpe ciere capris.

Repperit

Repperit hanc primum,ſi vera eſt fama,Melampus,
Factus & eſt medicus, qui modo paſtor erat.
Hac ope cum furerent ſævæ Iunonis ob iras
Prætides, hunc mentem reſtituiſſe ferunt.
Hæc animi inſtaurat vires, hæc fræna furori
Injicit, & toto corpore virus agit.
Helleborum Grajis, veratrum eſt dicta Latinis,
Et ſua, qui invenit, nomina ferre dedit.
Quod nigra ſit radix, nigrum cognomine dicunt,
Cætera queis radix albicat, alba vocant.
Hinc ægro quærenda ſalus. Quibus undique vectes
Helleboros, centum ſub juga coge boves.
Sylva Caledoniæ luſtranda, & Grampius ingens;
Vix, quot opus, plantas inſula tota dabit.
Omnia veſtiga loca, radiceſque potentes,
Et folia & flores, ſeminaque ipſa lege.
Cuncta manu medicâ miſcens ſimul exprime ſuc-
Quos bibat ægrotus, nec ſine fæce bibat. (cos,
Huic cyathos, ſeu triſtis hyems, ſeu torreat æſtas,
Tres veniente die, tres abeunte dabis.
His ſine nec Cererem libet, nec quas dabis undas;
Et quaſcunque capit, condiat inde dapes.
Auribus hos etiam inſtillet, vel manſitet ore
Radicem, & fumos naris obeſa trahat.
Nil opus hic tentare caput fuligine pæti,
Hellebori fumus quam magis aptus erit?
Hic dabit auriculis (ſi quas habet æger) inaures;
Hic quæ promeruit carmine, ſerta dabit.
Et dabit armillas, & longa monilia collo;
Ne tamen his ſeſe ſtrangulet ille, cave.
Quod ſi cura comæ eſt, veratri pulvere crines
Spargat; odor florum ſi juvat, inde petat.
Farciat hic capitis maleſani tegmina pulvis,
Et veſtem, & ſi quæ ſtragula lectus habet.
Denique Hypermorum circumque, infraq;, ſupraq;
Helleboros præter nil patiare meros.
Miſcendum niſi fortè illis Cereale papaver,
Quæque natat mediis alga paluſtris aquis.
Aut quæ Lethæo liventi poma veneno

Educat, & ſtirps eſt vertice,ſubtus humo.
Helleboruſve alter, vel alyſſum & ruta canina,
Et faba, quæ porci fertur, & uva lupi.
Et cerebri quodcunque poteſt reſtinguere flammas,
Quicquid & in ſomnum lumina feſſa trahit.
Sed ſi forte caput non eſt ſanabile ſuccis,
Quos creat Arctoo terra ſub axe jacens:
Quod juvet, externis æger ſibi quærat in oris,
Luce quibus Titan dat meliore frui.
Hinc procul, Herculeo perquam vicina ſepulchro
Objacet Euboicis inſula parva jugis:
Inſula parva quidem, ſed fœta potentibus herbis,
Sponte ſua hic fælix omnia fundit humus.
Hic ver aſſiduum; non urunt frigora terras,
Nec canis Icarii ruſticus ora timet.
Mens vegeta indigenis, hilaris frons, corpora ſana;
Nulla lues illis, nulla venena nocent.
Non canis hos rabidus, non lædit aranea morſu;
Vipera nec vitam quo tueatur habet.
Anticyram dixere olim: ditiſſima tellus
Helleboro; has ſolas inſula jactat opes.
Huic noſter facie eſt ſimilis, ſed viribus impar;
Virus abeſt, noſtro quod ſolet eſſe comes.
Non ſenibus, non ille nocet puerilibus annis:
Nec Canis hunc,gemino cum furit igne,vetat.
Cætera ſi vincit rabies, has æger in oras
Naviget, eſt ipſo fonte levanda ſitis.
Quæ nullo expelli potuit medicamine, Druſo
Herculeam tellus depulit iſta luem.
Hic quoque qui magni Zenonis ſcripta refellit,
Helleborum prudens non ſemel ante bibit.
Atque utinam his æger purgaſſet pectora ſuccis,
Ante Deo ſacrum quam violaſſet opus.
Liquiſſet mentem furor,aut moderatior eſſet:
Hei mihi, nunc ſeram ferre paramus opem.
Impia creſcendo cœpit dementia vires;
Vix tribus Anticyris cederet iſte furor.
Ne tamen hic animum deſponde: vota ſuperſunt;
Quæ dare non poſſunt cætera, poſce Deos.
Eſt

Eſt locus Ardenna in media, ſecretus ab omni
Voce, niſi ſi quæ murmura fundat avis.
Deſuper horrendus nigra formidine lucus
Imminet, & totum ſurripit umbra diem.
In medio veteri circumdatur area muro;
Hic ſtat in exigua ligneus æde Deus.
Huberti cognomen habet: non parva poteſtas
Numinis, hic quanquam marmora nulla vides.
Res hominum varias ſuſtentans Iupiter olim
Ingemuit dorſo cum grave ſenſit onus.
Tum primum reliquis ad ſeſe in tecta vocatis
Partem oneris fertur diſtribuiſſe Deis.
Cunctis dat quod agant: Latio hic favet, alter Iberis,
Tutelare Getes numen, & Indus habet.
Sunt quibus artificum curæ eſt genus omne; patro-
Fur habet, & leno, ſacrilegusque ſuum. (num
Abluit hic ſtrumas, alter collyria lippis
Illinit; hic dentes eruit, ille polit.
Et canis, & vulpes, & habet ſua numina porcus;
Suntque quibus curæ muſca, cicada, pulex.
Singula quis numeret? nemo indotatus abivit:
Munera reſtabant diſtribuenda duo.
Nemo, qui viduas thalamis prohibere ſecundis,
Nemo, qui rabiem pellere poſſet, erat.
Hæc dum detractant omnes; Hubertus aſello
Vectus adeſt, huic mox optio facta ſeni eſt.
Eligo poſterius, labor hic minus improbus, inquit,
Vtiliorque aliis, utiliorque mihi.
Ex illo Huberti paſſim increbeſcere numen,
Dignaque cœperunt ſurgere templa Deo.
Hic patria, hic ſedes, hic magni numinis ara,
Inter inhumanos conſpicienda lupos.
Vndique dona ferens ſecum genus omne furentum
Huc ruit, & multa cum prece poſcit opem.
Non tamen extemplo linquit furor; ante ſacerdos
Ter caput irrorans crimina luſtrat aquis.
Ter niveam indutus veſtem procumbit ad aram,
Raucaque ter muſſans murmura farre litat.
Tunc ante ora Dei vinclis circumdatus æger
Sternitur,

Sternitur, & ſupplex oſcula figit humo.
Hic fovea eſt vicina Deo, caput abdit in illam;
Pars latet anterior, poſteriora patent.
Hæc ſecat antiſtes virgis & verbere denſo:
Tota venenato terra cruore madet:
Hinc ubi protractus ſupplex advolvitur aræ,
Terque Deum inclamat, ter tremit ara ſono:
Tum crucis adſpicies ſignari ſtigmate frontem,
Sindone quam pura turba verenda tegit.
Hæc ſtola ſacra Dei eſt, nullo violabilis ævo,
Secta licet toties, quæ fuit ante, manet.
Interea tolerare miſer jejunia venter
Cogitur, herba famem pellit, & unda ſitim.
Hæc ubi ſuſtinuit rabidus, mirabile dictu,
Mens & judicium, quod fuit ante, redit.
Hæc & Hypermoro quamvis via longa, terenda eſt:
Hoc ſanare caput numina ſola queunt.

Onopordus furens.

PHœbi ſtulta cohors, medicas quid prodigis ar-(tes?
Quid laterem demens, Æthiopemque lavas?
Ante Pharos Tameſim, tepidum bibet Anglia Nilū,
Miſcebuntque ſuas Humber & Iſter aquas:
Quam, Buchananæas qui ficto crimine Muſas
Læſit, Apollineæ ſentiat artis opem.
Hic furor & Marſis natas in montibus herbas
Spernit, & Anticyræ gramina lecta jugis.
Non illum carcer, non centum vincla, nec undæ,
Nec flagra, nec ferrum, flamma nec ipſa domet.
Victa, quod oppugnas, cedit medicina veneno;
Et minor eſt omnis carnificina malo.
Nec juvet Huberti votis obtundere numen;
Hei mihi, nunc non eſt ille, quod ante fuit.
Morborum expultrix ceſſit ſtola ſacra Batavis;
Barbarus hoc pridem tegmine miles ovat.
Hac miſer erepta nunc mœret inutilis orbi,
Et ſtupet, heu, ſtipes, qui fuit ante Deus.
Sed neque quantumvis foret illibata poteſtas
Numinis, hanc ſperes pellere poſſe luem.

Rudere,

Rudere, quicquid agas, nunquam dediſcet aſellus,
Non latrare canis, non ululare lupus.
Inſevit natura luem, quam exſcindere tentas;
Sola dedit peſtis ſemina, ſola rea eſt.
Si qua fides ſtellis, prolem infecere parentes,
Primaque lux vitæ, prima furoris erat.
Hunc furiæ peperere, cohors armata colubris,
Res nova: nec pater hic, nec Venus ulla fuit.
Forte Acherontigenæ triſtes in valle ſedebant,
Denſa Acherontis ubi taxus obumbrat aquas:
Cum vocem Alecto poſt longa ſilentia rumpens,
Terque caput quaſſans talia dicta dedit:
Ergone progenies, Acheron, tua neſciet unquam
Quid ſit Hymen, & te nemo vocabit avum?
Nulla viri ſpes eſt; quis enim ſe miſceat hydris?
Suſtineatque ſuo ſerpere monſtra ſinu?
Spes tamen eſt prolis; tacto Saturnia flore,
Neſcio quo, fertur, clam Iove, facta parens.
Orta mari Venus eſt, patrio de vertice Pallas,
Primaque ſunt hominum corpora facta luto.
Tu quoque Deucalion, vetula cum conjuge, ſaxis
Diceris humanum reſtituiſſe genus.
Quid memorem cæſos per mutua vulnera fratres?
Vipereis gens hæc dentibus orta fuit.
Quid formicarum referam de ſtirpe creatos
Myrmidonas? numerum non habet iſta ſeges.
Sufficit Orion multis de millibus unus;
Ille patens nobis, & breve monſtrat iter.
Forte Iovem, comiteſque deos, exceperat Hircus
Hoſpitio; ſtirps huic nulla, nec uxor erat.
Iuppiter, hoſpes, ait, pete munus ab hoſpite: prolem
Ille refert ſolam, ſed ſine matre, peto.
Sunt rata vota Deo: mox cæſi ad terga juvenci
Conſtitit, & natus Plejade, rexque maris.
Dicere plura pudet. ſalſo perfuſa liquore
Terga bovis multa contumulantur humo.
Hinc puerum decies reparato Cynthia vultu
Extulit: Orion hic tuus ortus erat.
Exemplum, ſuperi quod monſtravere, ſequamur;

Noſtra ratis ſydus, quod tueatur, habet.
Talibus Alecto. Reliquæ aſſenſere ſorores:
Et placet exemplum, conſiliumque ſequi.
Quo ſatus Orion, ſolus mihi diſplicet humor,
Tiſiphone, non eſt hic Iove dignus, ait.
Aptior aura foret: vitæ vigor omnis in illa eſt:
In faciem verti quamlibet illa poteſt.
Eſt locus extremis, procul hinc, ſubjectus Iberis,
Oceanum fulvo qua Tagus amne petit.
Hic Zephyrus, nec vana fides, ſine conjugis uſu
Implet equas: præſtat conjugis aura vices.
Quæque hominum ſolers voces imitatur hyæna,
Hac gravis, alternis fœmina, maſque, parit.
Vento ſæpè mero fertur ſine compare perdix
Concipere, & nullo ſemine cortis aves.
Quid faber Ætnæus niſi ſubventanea proles?
Se licet hunc juret Iuno tuliſſe Iovi.
Annuit Alecto: mora nulla: prehenſus aſellus,
Qui propè flumineas forte jacebat aquas.
Tergora diripiunt coſtis, conſutaque Diræ
Fæno implent; viſa eſt bellua, qualis erat.
Hæc ubi ſicca, foras trudunt tomenta; remanſit
Tenta, tribus tantum pellis aperta locis.
Inſidet, ecce, tribus tria jungens oribus ora
Dira trias; tribus è ſedibus aura ruit.
Vna omnes rupto juraſſes fœdere ventos
Conſpiraſſe, quatit tantus Averna fragor.
Aura ruens immane ſonat, pavor occupat umbras;
Tartara credebant fulmine tacta Iovis.
Excipit infandam pellis ſubjecta mephitim:
Clauſaque tum primum janua Ditis erat.
Aura levis laterum cæſis incluſa cavernis
Æſtuat, & fracto murmure clauſtra ferit.
Scilicet ignis ineſt, nec deſunt ſulphura flammis,
Et nitrum; minimum flabra vaporis habent.
Murmure ſedato, Diræ ſpiracula fœno
Obturant, & humo tergora tota tegunt.
Cynthia ſe plenam decies oſtenderat orbi,
Quem colimus, decies lumine caſſa fuit:

Monſtrum

Monſtrum horrendū, ingens! protrudit pellis aſelli
Semivirumque aſinum, ſeſquiaſinumque virum.
Excipit Alecto livens de tergore monſtrum,
Tingit & in patrio membra tenella lacu.
Tum caput irrorans Acheron, vocitabere Brontes,
Perſephone, Æolides, Dis, Onopordus, ait.
Sorde repurgatus, lymphis Onopordus avitis
Emicat, & primos expedit ore ſonos.
Ambigeres humana foret vox, anne ferina;
Bellua viſa loqui, rudere viſus homo eſt.
Mox, natum amplexans ſerpentibus, oſcula libat
Tiſiphone, & gremio frigida membra fovet.
Guttura dein, nondum latrantia, lacte canino
Imbuit; hos primos excipit ore cibos.
His epulis ubi dira fames compreſſa, caniſtris
Expedit Æmoniis lecta venena jugis.
Nec mora; miſcentur tritis aconita cicutis,
Pomaque, quæ ſpinis horrida fundit humus.
Quæque hominum, qua parte latet, ſtirps exprimit (artus,
Et bulbus qui de Colchide nomen habet,
Teque nocens pœtum, cui ſe gens dedita Baccho
Mancipat, hæc inter toxica ſæva terit.
Hæc ubi cuncta manu medica permiſta, venenum
Exprimit; ima gravis tartara replet odor.
Tum canis inferni ſpumas, & viſcera lyncis
Miſcet, & anguineis orta venena comis.
Quoque tumet bufo, quo turget aranea, virus
Injicit, & ſuccos turpis echine tuos.
Additur hippomanes: tum ne vis ulla veneni
Deſit, Echidnæus, Gorgoneuſque cruor.
His pueri pectuſque linit, ventremque, pedeſque,
Et nondum paſſas vincula dura manus:
Parvaque adhuc nullis liventia terga flagellis,
Cruraque Threïciis non violata notis.
Et ſine fronte caput, quod acuti turbinis inſtar
Prominet, & ſcapulas, & latera, atque nates.
Quæque Lycambæo vibrat lita tela veneno,
Sæpius his ſuccis lingua peruncta fuit.
Tertia nox aderat, nec cunas preſſerat ullas

Puſio,

Puſio, nec cunæ quæ premerentur erant.
Propter aquas latè pandebat brachia taxus,
Hanc putat, & cunas inde Megæra parat.
His folia, & foliis inſternit vellera, cæſa
Eumenidum matri quæ nigra geſſit ovis.
Tum ſuper imponit pupum Dea, multaque pupo
Imperjurato ſtragula tincta lacu.
Invitatque leves, agitans cunabula, ſomnos
Eumenis, & cantu lumina feſſa trahit.
Ergo Gigantæos, Phlægra trepidante, tumultus,
Mutatoſque refert in nova monſtra Deos.
Aggeſtoſque ſimul montes, pulſataque ſaxis
Sidera, & Ætnæis ignibus uſta canit.
Sed cadit incaſſum labor omnis; dentibus infans
Frendet, & in cunis pervigil uſque jacet.
Viſceribus regnans mediis, fuſuſque per artus
Non obſcura ſui dat documenta furor.
Funditur, & tenero creſcit cum corpore virus;
Inque dies ſerpit, luxuriatque lues.
Quoque magis creſcat rabies, alimenta miniſtrat
Eumenis, infernus quæ ſolet eſſe canis.
Appula, flore virens, ſtirps eſt, quæ lutea paſſim
Poma creat; vulgus poma canina vocat:
His miſer ingluviem paſcit, fumoque tabaci,
Aut inſana vorat mala, fabamque ſuis.
Pabula ſi quando detrectat, protinus angues
Explicat excuſſis torva Megæra comis.
Hos genitrix, nudaſque faces, tortumque flagellum
Oſtentans nati corda pavore quatit.
Continuis fugit mens tandem exterrita monſtris;
Dixit & æternum, non reditura, vale.
Tu quicunque regis mundi confinia, Ditis
Claudere cui fas eſt, & reſerare fores;
Dic quibus auſpiciis ſedes Onopordus avitas
Liquerit, ut noſtro figat in orbe larem.
Et quæ cauſa viæ, & lucis tam dira cupido,
Quæque vehat ſecum de Styge monſtra, refer.
Sortem hominum miſerans, præciderat Atropos un-
Ipſa ſibi, nec, quo fila ſecaret, erat. (gues

Transierant

Tranſierant ſeptem in terris ſine funere luces,
    Nec Libitina uſquam, nec pyra viſa fuit.
Puppe ſedens vacua lugebat portitor Orci,
    Vectores fruſtra nocte dieque vocans.
His tandem accenſus Sicula cum conjuge Pluto,
    Quotquot habet populos in ſua tecta vocat.
Cerberus,& vacuam quatiens pater Æacus urnam,
    Et ſenior Minos, & Rhadamanthus adeſt.
Eumenidumque cohors venit cum pubere nato,
    Cui tum velabat barba novella genas.
Venit & ipſe Charon, remis, & puppe relicta,
    Crudeleſque Deos, duraque fata querens.
Conſedere Dii: ſtat circum turba ſilentum;
    Noxque ſimul turbam denſa Deoſque tegit.
Tum pater umbrarum, Socii, quid ſtertimus, inquit?
    Libera nulla mora eſt: poſcit Avernus opem.
Non Erebi cuſtos, Cereris nec filia nobis
    Eripitur, jugulum qui petit, hoſtis adeſt.
Quis ferat inferias Erebo, ſi dempſeris umbras?
    His ſine tartareos quis putet eſſe Deos?
Vos quoq; quis metuat, Superi, ſi clauditur Orcus?
    Quis veſtrûm credat ſceptra tenere Iovem?
Clamitat eſſe Deos prenſans malè Tantalus undas,
    Quique inconſumpto viſcere paſcit avem.
Nec ſaxum ſemper ruiturum Siſyphus urgens,
    Nec finit Ixion nomina veſtra mori.
Sed fruſtra Superis, fruſtra obluctatur Averno
    Fœmina: mille patent in mea regna viæ.
Pollice quæ fragilis rumpebat ſtamina vitæ,
    Fœminea diſcet non opus eſſe manu.
Hæc, Onoporde, tibi debetur adorea: meſſis,
    Quam petimus manes, falce metenda tua eſt.
Quo furor eſt major, tanto fœlicius Orco
    Arva metes: animos præſtat & arma furor.
Ergo age, carpe viam, ſuperas quæ ducit ad oras;
    Hic hominum occurret denſa ſecanda ſeges.
Non tamen eſt, dubii ut tentes diſcrimina Martis:
    Arte opus eſt, tuto ſi jugulare cupis.
Arte irretitas deprendit aranea muſcas,

Arte

Arte feræ immanes: arte necantur aves.
Inclyta nunc ars eſt: Superis medicina vocatur;
Hac opus, hæc hominum carnificina mera eſt.
Bis tribus hac olim ſæclis caruere Quirites,
Dum caperet cives Martia Roma ſuos.
Aſt ubi luxurians crevit Mavortia proles,
Ars hæc in media repperit urbe locum.
Scilicet ut nimio ſilveſcens vinea fœtu,
Sic pube excreſcens Roma putanda fuit.
Hanc artem ſimula, caudex licet, eſto magiſter:
Omnis Apollinea ſit procul arte pudor.
Phœbus eris, notis dare barbara nomina morbis
Si potes, & ſtirpes enumerare duas.
Vtque ſacrum dictis accedat pondus, in ore
Sæpe ſit & Cous, Pergameuſque ſenex.
Cætera ſupplebis, cornuta ſophiſmata vibrans;
Sint licet hæc Geticâ frigidiora nive.
Palanteſque polo ſtellas, & fixa recenſe
Sidera, perque ſuas digere ſigna domos.
Nec pudeat cavea in media certare poetis,
Et vetulas inter grande ſonare melos.
Artibus his oculos ſtulto præſtingue popello;
Sic cadet in caſſes præda petita tuos.
Tum prout auſpicium rabies mala fecerit; ori
Inde peregrina pharmaca lecta manu.
Hæc tege vel foliis auri, vel melle venena,
Senſibus illudens, diſſimulanſque dolos.
Expedit & ſubtus crudos immittere ſuccos;
Nec pudeat cæcas glande aperire vias.
Nunc animas os per ſuperum, nunc trude per imũ,
Ad Styga, ſi neſcis, utraque recta via eſt.
Quin ægros nunc tunde flagris, nunc obrue lym-
Si quis adhuc ſupereſt halitus, ure, ſeca. (phis,
Pone metum; pereat quamvis cum Rege Senatus,
Crimen abeſt facto; ſcilicet arte necas.
Iuppiter hæc Stygius: ter Io gens læta ſilentum
Ingeminat: ter Io reddit inane chaos.
Nulla mora eſt, Stygio comitatus remige, recta
Ad vada Cocyti fert Onopordus iter.

Hic

Hic ratis hærebat, qua nuper portitor Orci
Venerat, hanc juxta regia Ditis erat.
Vt littus tetigere, ratem de littore ſaltu
Occupat Æolides, ſubſequiturque ſenex.
Excipit una duos puppis; ſed pondus ab uno eſt:
Qua ſatus, Æolidem fecerat aura levem.
Nox erat: hujus opem ſupplex & numen uterque
Ter vocat, hinc noctis filius, inde nepos.
Protinus inſurgens remis, & littora verrens
Tum deſerta, Charon ad Styga vertit iter.
Littora taxus habet ſævis denſiſſima baccis,
Et gravis incumbens obtegit umbra lacum.
Propter aquas, meliore ſolo, melioribus undis
Digna, ſuo paſſim Mentha cruore rubet.
Hæc ſata Cocyto quondam, nunc creſcit in herbam
Verſa, Iovis Stygii furta puella luens.
Stagna ratem circum ſtant atro ſqualida tabo,
Et putris aura truci peſte venenat humum.
Limus iners paſſim, paſſim volvuntur arenæ,
Quas Acherontæi gurgitis unda vomit.
His multum, limoque ſenex luctatur & undis,
In Stygias tandem venit anhelus aquas.
Vidit ut Æolidem Styx implacabilis, unda
Detumuit, ſolitæ detumuere minæ.
Hoſpes gratus erat, conſanguinitate propinquus:
Quippe Acheronta patrem Styx vocat, hoſpes avum.
Hinc atq; hinc rupes ſtagno impendebat, & ingens
Sylva, tuis horrens, mœſta cupreſſe, comis.
Errabant tenues illic ſine corpore vitæ,
Neſcio quid viſæ per loca cæca queri.
Et Striges & ſpinturnices, & fœda Celæno,
Harpyiæque aliæ triſtia ſigna dabant.
Quin & iners bubo, dirum mortalibus omen,
Viſa truces gemitu præcinuiſſe neces.
Parva lacu in medio tonſis volat acta phaſelus,
Et ſibi cedentes navita ſulcat aquas.
Stagnicolæ circum ludunt in gurgite formæ,
Stagnicolaſque inter rhaja marina greges.

Adſultant-

Adſultantque nigræ rauco cum murmure ranæ,
Et paſſim crebro ſibilat angue palus.
De tribus una palus ſupereſt, in faucibus Orci;
Hæc Acheron regis nomine dicta ſui eſt.
Hanc Acherontiades ſubiens, patrioſque penates,
Quique dabat ſtagno jura, ſalutat avum.
Littora mox ſpectans, illic mactatus aſellus,
Hac ego de ſpoliis ſum ſcrobe natus, ait.
Hic jacui in cunis, illic canis ubera ſuxi:
Hic unxit, ſordes abluit ille locus.
Singula narrat ovans; digito quoque ſingula mon-
Æolides, patrii captus amore ſoli: (ſtrat
Vlmus opaca, ingens, foveam prope, lurida pandit
Brachia, ſub foliis ſomnia vana tegens:
Hic rigidos ferro thalamos, Onoporde, parentum
Spectaſti, & juxta Gorgonis ora trucis.
Centauroſque feros, Briareaque, Geryonemque,
Et triplicem Scyllam, centimanumque Gygem.
Proxima membroſis ſtabant tua numina monſtris,
Virus Echidna, faces ore Chimæra vomens.
His comites, morbique graves, curæque, metuſq;,
Et lethum, & lites, & maleſuada fames.
Populus extremæ bicolor ſtat margine ripæ,
Herculeis meruit quæ dare ſerta comis.
Hinc via ſe duplex ſuperas oſtendit ad auras;
Vtraque recta via eſt: utraque clauſa lacu.
Altera Tænarias fauces, alta oſtia Ditis,
Altera, nec procul hinc, ſtagna Boræa petit.
Aſpicit Arcturum rupes, ubi ſacra puellis
Stagna jacent; Lethes nec procul amnis abeſt.
Stagna Boræa vocat vulgus; non ipſa Mephitis
Putidior: nil his pejus Avernus olet.
Hic ſontes, hic ſæpe perit cum ſontibus inſons:
Multa piat lacus hic crimina, multa tegit.
Illius aut fons eſt Acheron, aut rivus ab illo:
Hinc brevis ad manes, nec malè trita via eſt.
Portitor hanc intrat Stygius: labor arduus: Orco
Impendens obſtat clivus inertis aquæ.
Ter ſuperas cymbam remis erexit in undas
Navita,

Navita, ter præceps cymba repulſa ruit.
Vicit aquas tandem labor improbus: incita conto
Sutilis Arctoas cymba ſubintrat aquas.
Luce nepos noctis perculſus, lumina palmis
Obtegit, inviſum neſcia ferre diem.
Pœnitet incepti; quærit, quas liquerat umbras:
Vtque ratem vertat, ſæpè Charonta rogat.
Sed rogat incaſſum; portum ſubit ille propinqui
Littoris, & terræ futile reddit onus.
Nec mora: nauta ſuos repetit; ſine luce remanſit
Æolides, prono corpore fuſus humi.
Sæpe oculos nictans attollit, ſæpe recondit;
Vt ſolet ad ſolis lumina noctis avis.
Aſt ubi nocte dies pulſa eſt, caput altius effert;
Seque levans noſtro fixit in orbe pedem.
Conſtitit, & mundi cava mœnia circumſpexit;
Obſtupuitque poli fulgur, & aſtra tuens.
Non tamen hæc oculis inconniventibus audet
Adſpicere: ad lucem lumina ſemper hebent.
Vrbs erat in ſtagni porrecta crepidine; caſtra
Hinc alata, illinc regia, ubique domus.
Vrbs opibus populoque potens: mandata ſuorum
Secum agitans Brontes, huc meditatur iter.
Hanc novus hic Pæon ſibi prædam deſtinat urbem:
Quicquid ineſt, Stygio devovet omne Iovi.
Aſt aliter viſum Superis: ſe Nympha ruenti
Obtulit, & quid te projicis, hoſpes, ait?
Non impunè feres, iſtis ſi funera terris
Intuleris: gens hæc pectora cruda gerit.
Culpæ hic pœna comes: noſtras, en, aſpice lymphas,
Si potes: hic fontes piſcibus eſca natant.
Nec procul aëreis crux eſt ſubnixa columnis,
Turba nocens illic ſub Iove paſcit aves.
Hic quoque luce carens virgo eſt, quæ jura tuetur,
Aſtrææ quondam non temeranda comes.
In ſcopulos olim Gorgon, hæc corpora mutat
In truncos acie ferrea virgo ſua.
Quique vorant artus, Læſtrigonas aſpice crudos,
Et Læſtrigonios, non procul urbe, lacus,

Sed neque ſupplicii quamvis metus omnis abeſſet,
Ex iſto medicis præda petenda grege eſt.
Dura nimis gens hæc, nec ſunt obnoxia morbis
Corpora; quæ geſtas pharmaca, nullus emet.
Si quem febris habet, ſucco ſe curat avenæ;
Ille ſalutiferam præbet inemptus opem.
Ergo alibi quærenda ſeges: gens proxima nobis
Interciſa freto, falce putanda tua eſt.
Finibus illa quidem anguſtis arctatur; at ingens
Vis populi ingentes Marte tuetur opes.
Exundanſque locat mediis in fluctibus urbes,
Incolit & terra deficiente rates.
Æquora ſunt campi: pro campis æquora ſulcat;
Hic ſerit; hic, quicquid terra dat ulla, metit.
Adde, quod hæc putres inter gens nata paludes,
Corpora mille modis languida ſemper habet.
Hæc ubi dicta; ſuas ſe condit Nympha ſub undas:
Æolidem ſpes hinc diſtrahit, inde metus.
Victa ubi prima metu ſpes eſt; per opaca locorum,
Quo maris invitant murmura, carpit iter.
Forte ratis juxta ventis dare vela parabat;
Occupat hanc Brontes, ut loca juſſa petat.
Tertia lux aderat, Zephyris cum concita puppis
Attigit optati littora curva ſoli.
Quis cladem iſtius gentis, quis funera fando
Explicet? horreſco tot meminiſſe neces.
Claſſibus hoc olim raptor mare texit Iberus,
Et ferro, & flammis obvia quæque metens.
Plus tamen eſt medici rabies nocitura; cruoris
Æolidæ ſecum plus vehit una ratis.
Vix bene Tartareus portu conſederat hoſpes,
Improba cum vulgi fama per ora volat.
Adveniſſe viri fertur ſub imagine Phœbus,
Cui Panacæa latus ſtipet, & ipſa ſalus.
Confluit ægrorum nubes, ut cerea circum
Tecta ſolent, paſtæ cum glomerantur apes.
Poſcit opem ſupplex, venturi neſcia fati
Turba, ſuam nulli denegat hoſpes opem.
Mox Stygias Erebi proles non degener artes
Expli-

Explicat, utque fero cinctus ab hoſte furit.
Sternuntur cum matre Gyas, Buteſque, Myopſque,
Et Schlicus, & ſenior Smidius, atque Picer.
Hermannuſque pater cum conjuge, Ioniadeſque,
Et tria Brichmanni pignora, Knipſque ſenex.
Nec tua te pietas ſervat lectiſſime Snappi,
Nec Cruſium robur, nec ſua forma Nipam.
Matris in amplexu, ſumpto medicamine, Knollus
Viſcera dejecit, ſanguinis Vſa globos.
Pectore Slipperus, calva Butremannus apertâ,
Interiitque ſiti Schligius, Vppo fame.
Funera denſantur: nulli ſua profuit ætas,
Aut ordo; pariter ſexus uterque cadit.
Olim gentis erat mos veſpillonibus uti:
Quiſque ſibi tumulum nunc fodit, atque ſuis.
Vno ſæpè ſimul conduntur plura ſepulchro
Corpora; ſæpe deeſt, qua tumulentur, humus.
Nec ratis una Erebo vectandis ſufficit umbris,
Mille onerare rates hæc laniena poteſt.
Hoſpes hic autumno ſtragis plus edidit uno,
Quam potuit luſtris claſſis Ibera decem.
Vt ſolet, accuſat vulgus contagia peſtis,
Tot cernens ſubitâ corpora morte rapi.
Hic cæli vitium, & criniti ſideris ignes,
Effuſas alius ſub Cane culpat aquas.
Ille lacus, alter terræ cauſatur hiatus,
Corporaque in crimen non tumulata vocat.
Inſimulare audet nemo medicamina: mentes
Scilicet antiquæ faſcinat artis honos.
Pars populi mactata Erebo, pars ægra trahebat
Corpora; pars tantùm quarta ſuperſtes erat.
Tunc Acherontiades ſpoliis & honoribus auctus,
Gente triumphata, caſtra movere parat.
Non procul inde Helicen inter, ſolemque cadentem
Priſca jacent parvo regna dirempta freto.
Martia gens illic fulvo ſubjecta Leoni,
Effera qui miti pectora pace regit.
Gens terra, pelagoque potens: opulentia nuſquam
Vberior, populi nec mage turba frequens.

Huc ruit Æolides: ſtolidum malè credula prædæ
Spes rapit, & paucis cognitus ante furor.
Quis vigor ingenii, quæ ſit prudentia genti,
Cernere, mentis inops, judiciique,nequit.
Ergo ſuas demens ut primum extrudere merces
Cœpit, & in circo grande ſonare ſophos:
Ridet, & inſolitos tollit plebecula ronchos;
Et puer; & ſannis garrula ludit anus.
Hoſpes ab Arcadia eſt,ait unus; ſubjicit alter,
Abderitanæ pectora plebis habet.
Fortè, refert alius, Pſyllorum è ſtirpe creatus
Venit, in obſtantes ut ferat arma Notos.
Aut hic fortè ille eſt, Priamo qui ſtrenuus olim
Auxilium, ſed poſt Pergama capta, tulit.
Multi Amphiſtidem, (tanta eſt dementia) multi
Mygdonidem jurant, vel rediiſſe Midam.
Quid faceret vulgi medicus jam fabula? prædæ
Spem liquit nullam gens oculata nimis.
Hæret inops animi; patriæ nunc dira cupido,
Nunc animum tellus ſemiputata ſubit.
Sæpè, nefas, laqueo molitur ſtringere fauces
Ipſe ſibi: in præceps ſe dare ſæpè parat.
Ante tamen cornicum oculos configere tentat,
Amiſſumque novâ quæritat arte decus.
Ergo parat, quales pede texit aranea, caſſes,
Aut levius ſi quæ bellua fingit opus.
Haſque palam, Lugdunenſem ſeu rethor ad aram,
Stentorea nugas voce ſophiſta blatit.
Virgilii mus rodit opus; ſed ſyllaba mus eſt;
Ergo Virgilii ſyllaba rodit opus.
Eſt populus rationis amans; eſt populus arbor;
Ergo quædam arbos eſt rationis amans.
Eſt myſtes aræ ſervit quicunque; ſubulcus
Servit haræ: myſtes ergo ſubulcus erit.
O caput inſipidum, fatuas tibi ſume mariſcas,
Circus ait; pueris hæc melimela dato.
Quære alibi demens, quibus hæc bellaria ponas;
Glande mera ſi vis paſcere, paſce ſues.
Ne ruat ergo, novo medicus ſufflamine currum
Stringit,

Stringit, in auxilium ſidera cuncta vocans.
Deblaterat, quæ damna ferat, quæ commoda ſidus
Arcturi, & Perſeus, Pleiadumque chorus;
Orionque minax, Vrſæque, Caneſque, Lepuſque,
Vultur, Olor, Delphin, Ara, Corona, Draco.
Signa ſimul bis ſex, & in his errantia narrat
Sidera, & aſpectus, ſidereaſque domos.
Mox ait, inſpecta geneſi, connubia lætus
Hic ineat, Marti nam Cytheræa ſubeſt.
Hunc mercatorem ſpoliabit miles; eaſdem
Mars etenim ſedes Mercuriuſque tenent.
Hæc Aquilam oſtendit, collyria ſume; capillum
Lux Berenicæum craſtina, rade pilos.
Multa ubi nugatus, ſpondent natalibus, inquit,
Sceptra meis, veri ſidera ſi quid habent.
Iurat Alexandri vecors & Cæſaris ortus
Aſpectu cæli deteriore frui.
Vix hæc ediderat: Socii compeſcite riſum,
Plebs ait, & medico vincla parate, furit.
Ergo novas, artem varians, cornicula plumas
Sumit, & Aoniam pulſat inepta chelyn.
Suavius argutis reſonant arbuſta cicadis,
Suavius in mediis rana coaxat aquis.
Nec ſtrepitu ingrato offēdit magis improbus anſer,
Quæque ſuum ingeminat nil niſi nomen avis.
Arcadiæ jures pecuaria rudere; jures
Nocturnos circum tecta ululare lupos.
Sic ego baubatos Bardos; in rupe remota
Sic ego bacchatum te quoque Bacche putem.
Eſt tamen Æolides magnus, ſe judice, vates,
Iudice ſe cantat carmina digna cedro,
Nec cantaſſe ſat eſt; chartas frons illinit effrons,
Queis vix dignetur paſcere blatta famem.
Quodque magis ſtupeas, inſcribit nomina Regum
Verbero, cumque ſuo vult ſimul illa legi.
Sic Sarrana olidis miſcetur purpura pannis,
Sic jacet in vili gemma ſepulta luto.
Se tamen ut ſatagat formas medicellus in omnes
Vertere, ſemper inops eſurit, atque ſitit.

His tandem ſtimulis furor irritatus, habenas
Excutit, & præceps in ſcelus omne ruit.
Dum nequit in vivos, rabies mala ſævit in umbras,
Et violat cineres, in ſacra buſta furens.
Vatis Hyperborei medicaſter rodere manes
Audet, & in comites ſtringere tela Deas.
Per patris ora, ſui ſexus infamia, quondam
Ire, ſed invitos nata coëgit equos.
Hic, ſcelus inviſum! nullo inſtigante, parentem
Muſarum pedibus calcat aſellus ovans.
Tu quoque quæ Latiam fodiſti Fulvia linguam,
Es magè nota quidem, ſed ſcelerata minùs.
Roma patrem patriæ Ciceronem dixit; at illum
Iure patrem patriæ nuncupat ipſe pater.
Nec ſatis eſt dixiſſe umbris convitia; vati
Ereptum demens pulſat aſellus ebur.
Tres Gallos, ſenoſque Italos hic vicerat unus;
Iudice ſe Stygius vicit Apollo decem.
Ferrea frons, nec te vatis contermina cælo
Fama, nec eloquii flumina tanta movent?
At pietas ſaltem, & ſacro reverentia Regi
Debita, debebant hoc prohibere nefas.
Quæ tetigit, moderante Deo, Ieſſeia proles,
Hæc Acherontæas pleƈtra movere manus?
Nonne hunc, de cælo aſpiciens, frænare furorem
Arƈtoæ poterat Diva ſuprema plagæ?
Hac duce, Parnaſſo procul, & Permeſſide lympha,
Quod laceras, vates nobile fudit opus.
Seque clientelæ dedit & ſua carmina Divæ,
Hæc operi, hæc vati eſt Anna perenna ſuo.
Nunc age, ſacra cohors, noſtræ cui cura ſalutis
Credita, dic, caput hoc quid medicina juvet?
Arte putem ſævas tandem manſueſcere tigres,
Et rabiem indomitos ponere poſſe lupos.
Artem poſſe ſuo Lunam deducere cælo
Crediderim, & rapidos ſiſtere Solis equos.
Aſt hic poſſe aliquid; credat Iudæus apella,
Non ego, ſuppetias ut ferat ipſa ſalus.
Non opus hic medicis, ſcelerū ſed pœna luenda eſt.

Tortorem

Tortorem tantum poſtulat iſte furor.
Dîque, Deæque omnes, cælum ſi crimina tangunt,
In deploratum ſtringite tela caput.

Tumulus Onopordi.

MOnſtrorum varias, ſæva cogente noverca,
Perdomuit formas Amphitryone ſatus,
Omnibus exſtinctis aqua Lernæ illi hæſit in hydra,
Igne tulit ſubitam quando Iolaus opem.
Mille Onopordus alens aſinina in pectoris antro
Monſtra, nec Alciden jam ſupereſſe ratus;
Perque tuum, Buchanane, latus, configere Phœbum
Auſus, & Aonias contemerare Deas;
Vnius Vrſinæ caudæ uno ſternitur ictu,
Mille uno illo ictu monſtra aſinina cadunt.
Herculis haud opus hic clava, Herculeiſve ſagittis;
Haud opus hic flammis eſt Iolae tuis.
Olim mille viros aſini maxilla necavit,
Mille aſinos Vrſæ cauda hodie una necat.

Querela Saravictonis & Biomeæ.

Saravicto Biomea.

INſpicis? an, conjunx prohibet novus? inſpice : non (eſt,
Quam legis, hoſtili charta notata manu.
Infælix Saravicto, tuus, dum dextra faverent
Numina, conjugii fœdera rupta queror.
Quod queror haud fruſtra eſt: pridē ſe prodit adul- (ter,
Hæret in amplexu qui, Biomea tuo.
Nec peccaſſe ſat eſt; crimen ſcelerata tueris,
Et conjuratas cogis ad arma manus.
Siccine jura thori, tua ſic promiſſa, fidemque
Obteris, & conjunx conjugis hoſtis ades?
An quorum toties juraſti perfida numen,
Vltores neſcis fulmina ferre Deos?
Sed nullos fac eſſe Deos; fac fulmina nullum
Ferre Iovem; ſaltem culpa pudenda tua eſt.
Crimina ſi confers; Menelais adultera dici
Non meruit; culpam quo tueatur, habet.
Credere fas raptam; vel ſi vis abfuit omnis,

Fœmina dicetur ſuccubuiſſe dolis.
In facinus tu ſponte ruis; tu quæris amantem;
Nec prece, nec pretio ſollicitare pudet.
Auget & hoc culpam; cui nupſit Tyndaris, ipſo
Non minor Atridâ Troicus hoſpes erat.
Hunc tibi tu ſocias, cui, ſi fas vera fateri,
Summa fuit noſtras gloria ferre dapes.
Infælix, hanc quo prætexes nomine culpam?
Ne rea ſis, finges quid meruiſſe virum?
Non ego conjugii invitam te in vincla coegi:
Nec fuit armatus, nec violentus amor.
Vi Boreæ, Ditiſque furor, vi Neſſus amicas
Quærat: barbaries non decet iſta viros.
Sed neque te pluvium pellexi verſus in aurum,
Nec bove, nec falſa diſſimulatus ave.
Ah pereant, quicunque dolo connubia quærunt:
Nudus amor gaudet ſimplicitate coli.
Sponte tua (manifeſta loquor) mihi nupta marito,
Sim tuus, ajebas; tu meus ignis eris.
Cum thalamos, Saravicto, tuos, Biomea, relinquet,
In caput urgebunt Albis & Iſter aquas.
Fluxa ſuas ſanctè ſervarunt flumina leges,
Et ſitus & curſus, qui fuit ante, manet.
Tu thalamos, Biomea, tui Saravictonis, eheu!
Deſeris, & nomen conjugis alter habet.
Crimen ineſt facto: veniam ſed culpa mereri
Poſſet, adulterio vis niſi juncta foret.
Hoſpite capta ſuo, cum cœpit adultera dici
Tyndaris, erubuit, corripuitque fugam.
Tu ſcelere admiſſo infamis, ſua fræna pudori
Excutis, & jugulum conjugis enſe petis.
Quæ ſtuprum reducis cumulavit cæde mariti,
Hoc minus auſa fuit Graja puella nefas.
Iure dedit pœnas raptor Briſeidis; uxor
Iure fuit longas conjugis ulta moras.
Aſt ego quid merui? nullo te peſſima læſi
Crimine: culpa fuit ſola, fuiſſe pium.
Templa tua ſuccenſa manu, aut ſubverſa jacebant,
Numinaque ipſa (nefas) vertere juſſa ſolum.

His

His luctata diu victa eſt patientia monſtris,
Nec potui, fateor, ferre,quod ante tuli.
Fas erat has animi peſtes exſcindere ferro,
Et dare ſulphureis monſtra voranda rogis:
Abſtinui tamen his, armis levioribus uſus;
Arma minæ, nobis arma fuere preces.
Quid facis, ajebam, quæ te dementat Erynnis,
Pars animæ, conjunx, dimidiumque meæ:
Eſt ſua, ſi ſpernas, animis cæleſtibus ira:
Sunt &, ſera licet, fulmina certa Iovi.
Admonet officii Phlegyas, qui perditus ædi
Fertur Apollineæ ſuppoſuiſſe faces.
Ille gemens Orco in medio ſub pondere ſaxi,
Sacra tibi quantum ſint veneranda,docet.
Hoc lucum Cereris violare bipennibus auſus,
Hoc miſer Hippomanes, hoc Atalanta monet.
Sed cultum te finge Deos non poſcere, ſaltem
Hoc,conjunx à te quod peto, poſcit amor.
Cum mihi juncta thoro ſis, cur divellimur aris?
Si placeo, cur non & mea ſacra placent?
Iuſta peto; quæ nunc faſtidis,ante placebant
Sacra tibi, ſanctos dum ſequereris avos.
Si libet, & fas eſt, annales excute, ſæcla
Octo bis invenies his operata ſacris.
At, tibi quem lævo finxiſti numine,cultus
Cœpit heri; dices cras mihi forſan ubi eſt?
Hæc ego ſum,memini,vel non diverſa loquutus;
Sed precibus ſenſi pondus abeſſe meis.
Crimen erat, magnumque nefas, & morte piandũ,
Templa Diis, templis reddere velle Deos.
Tu tamen hoc celas: ſpecioſi nominis umbra
Impietas crimen victa pudore tegit.
Te mihi connubio junctam inficiare: mariti
Scilicet indignus nomine raptor eram.
Nil te pacta fides, jurataque numina? teſtis
Ara nihil? nil te publica vota movent?
Cur ſceptrum & diadema mihi? cur purpura ceſſit
Conjugis? hæc à te pignora raptor habet.
Nec tibi quod vir ſum ſoli debetur; ab ipſis

Quos jactas, in te jus mihi manat avis.
Iam tria, ſi neſcis, fluxerunt ſæcula, genti
Ex quo perpetuum ſponſa dicata meæ es.
Neve peregrina quæras de ſtirpe maritum,
Lex vetus, & magno Cæſare digna vetat.
Nec vetat hoc fruſtra: contemptor numinis hoſtis
Non procul eſt, cui tu præda ſubinde fores.
Nil tibi, quo fidis, robur, virtuſve tuorum
Profuerit, nec, qua cingere, ſylva juvet.
Quam fugis, hæc noſtræ debetur gloria genti,
Hunc obicem ſolum barbarus hoſtis habet.
Tu tamen externo quæris de ſanguine mœchum
Improba, qui noſtras jam populatur opes.
Culpa vetus: pridem fuit hac de gente petitus
Vir tibi, ſed votis reſtitit ille tuis.
Fas, ait, haud tecum, quas optas, jungere tædas,
Alterius cum ſis pacta marita thoro.
Æacidæ ſponſam magnorum ductor Achivûm
Dum rapit, uxorem perdidit ipſe ſuam.
Sæpè canis captans umbram, quam latiùs æquor
Explicat, amittit quam tulit ore dapem.
Huic utinam, tibi qui procul eſt quæſitus adulter,
Sanguinis iſtius vena vel una foret.
Non ego te raptam quererer, mea vita; nec illi,
Nec nocitura tibi quæreret arma dolor.
Hei, mihi quod ſemper metui, ſpes omnis in armis
Nunc poſita eſt; rapidi verba tulere Noti.
Cum ſerva dominus, cogor cum conjuge conjunx
Cernere, quanquã obſtant hinc amor, inde pudor.
Qui mihi te rapuit, conjunx, extrema minatur;
Noſtra domus tecum relligioque perit.
Marte focos, ſanctaſque Deûm defendimus aras;
Arma quis accuſet pro lare, proque Iove?
Nec noſtras tu ſperne acies: non militat una
Gens mihi, ſed toto miles ab orbe venit.
Marte ferox Celtes, nobis jam ſanguine junctus
Advolat, igne tuos ut populetur agros.
Feſtinatque frequens, quamvis non miſſus ab ullo
Anglus, & epoto Belga pedeſter equo.

Et

Et geminæ Heſperiæ cultor: quis non tremat? orbē
Hæc domuit veterem, terruit illa novum.
Quæque aquilis paret ſemper victricibus, omnis
Præſtat opem Domino Teutonis ora ſuo.
Et ſceleris crudus jam poſcit Sarmata pœnas,
Doctus & à tergo mittere tela Getes.
Quos iſtis populos? quæ tantis agmina turmis
Oppones? belli quod caput, uxor, erit?
Nec numero, nec Marte potens, cui fœdera nulla,
Spondet inops & jam turba rebellis opem.
Deme fidem dictis: peregrinam fallere tutum,
Faſque putat domino gens maleſida ſuo.
Forſitan Arctoas ſceptro qui temperat undas,
Pridem expectato milite mittet opem.
Ante meri laticem Iovis arbor, vinea glandes,
Sylva dabit piſces, unda marina feras;
Ante ruet Boreas Arcto contrarius, ante
Surget ab Heſperiis Phœbus Eous aquis:
Ante polo tellus, undæ miſcebitur ignis,
Deque novo fiet, quod fuit ante chaos:
Iuſtitiæ paciſque parens armare rebelles
Quam velit, aut in te crimina tanta pati.
Iſte ſuo nunquam ſpoliatur lumine Phœbus,
Nec vagus obliquo tramite carpit iter.
Adde, quod exemplum, quicquid cauſere, periclo
Non vacat, exempli prona, patenſque via eſt.
Huic opibus, numeroq; potens, & Martis alumnus
Eſt populus; gens hæc quod facit, illa poteſt.
Pacta crepas fruſtra, & tecum communia ſacra:
Hæc, ubi jus conſtat, quam leve pondus habent?
Raptori ſed opem promittit avunculus, hoſtis
Qui domino eſt, patriæ turbo, ruina ſacris.
Vana nimis ſpes hæc; illi præcordia major
Cura domat: ſunt jam bella gerenda domi.
Intra caſtra, ſuas intra vix ille paludes
Tutus ab indigenæ militis enſe latet.
Pars populi ſpoliata ſacris, ducibuſque, tumultu
Iam fremit, & reddi ſacra, duceſque petit.
Nec tantū hunc proprius contra ſtat miles in armis,

Major ab externo qui venit hoſte metus.
Poſcit Iber pœnas: fors & Leo jungis Ibero
Agmina: noxa recens, fulmine digna tuo.
Sed præſto fac eſſe viros: fac militet omnis
Europæ atque Aſiæ flos tibi: ductor ubi eſt?
Hæc, iterum magno ſi vita daretur Achilli,
Poſſet Achillæas cura decere manus.
Iſta tuus, qui ſe regem miratur, Adonis
Munia vix inter poſſet obire Phryges.
Arma gerant alii: qui tantum caſtra ſequutus
Aonidum, huic Phœbi barbitos apta magis.
His utinam monitis poſſet molleſcere cautes,
Qua tibi, ſi quod habes, cor, Biomea, riget.
Non tibi ſucciſa moreretur meſſis in herba;
Nec raperet ſacros impia flamma lares.
Fœcundus ſoli domino ſerviret agellus;
Et fugerent ſolos hœdus & agna lupos.
Nec tuba vel cœnæ, vel ſomni rumperet horas;
Nec premeres dura caſſide molle caput.
Conjuge me, ſecura mali, ſecura pericli,
Tranſigeres longos, & ſine nube dies.
Sed ſi dura tibi non vis, vel parcere neſcis,
Si quæ forte colis numina, parce Diis.
Relligio comitata fide, cui tempora canis
Sparſa, tuos ſupplex volvitur ante pedes,
Teque rogat, ſancti per quæ ſuxere parentes
Vbera, ſe prædam ne patiare rapi.
Martis, ait, ſpectator adeſt, conterminus Albi
Hoſtis, & auxilio forſan utrumque juvat.
Sed vereor, ne, qui ſpectat, mox præmia tollat.
Duraque cum victo ſub juga victor eat.
Sic leo jam longo feſſos certamine tauros
Occupat, & diram paſcit utroque famem.
Vos opibus, vitaque ſimul, vos exuet aris
Barbara gens, nec qui me colat, ullus erit.
Virgineas non dura preces, & vota Deorum
Suſcipe; te virgo cum Iove poſcit opem.
Parce pias nimium cognato ſanguine dextras
Polluere, ultores lædere parce Deos.

Quic-

Quicquid agas, te noſter amor, te cura ſequetur;
 Te ſine nulla mihi gaudia, nulla quies.
Aut ego te potiar, mea lux, mea ſola voluptas,
 Aut moriar telis victima facta tuis.
Ad Styga deſcendit pro conjuge Thracius Orpheus,
 Pro te ego mille velim Ditis adire domos.

Biomea Saravictoni.

QVæ cupis, inſpexi: nec, quod rebare, maritus
 Hoc vetuit: quid enim littera lecta nocet?
Sed quid agis? lectæ quid te juvere tabellæ?
 Hic tua tu propria crimina pingis acu.
Stulta ſuperſtitio, jactantia, probra, tyrannis,
 Et furor & fraudes, quæ latuere, patent.
At ſaltem vacuum ſervari crimine limen
 Debuit, & prima fronte nitere pudor.
Prima carent lymphis quæ præbet pocula caupo;
 Prima lupanaris janua fraude vacat.
Veſtibulo imprudens fraudem tu prodis in ipſo,
 Dum, quod es, occultas, & manifeſta negas.
Quæ famam calamo, jugulum cum conjuge ferro
 Appetit, hoſtilis non erit illa manus?
Crimen adulterii prætexis; ſcilicet ut ſim
 Iam lupa, ne forſan tu videare lupus.
Fælix ſorte ſua conjunx Plutonia; rapta eſt
 Illa quidem, famam ſed ſine labe tenet.
Vis tua juncta probro eſt. Sed cur opprobria fuco
 Non tegis? eſt fraus hæc nuda patenſque nimis.
Qui Biomea tui violaſſet fœdera lecti,
 Alterius quæ tum conjugis uxor erat?
Quem mihi, nec pridem, rapuerunt fata, ſuperſtes
 Vir fuit, admiſi num ſimul una duos?
Si quæ contraxi tecum, vivente marito,
 Fœdera, non conjunx tu, ſed adulter eras.
Me tibi confiteor ſponſam vivente petitam
 Conjuge, nec facinus diſplicuiſſe viro.
Sed nil iſta juvant; tu mœchus, leno maritus
 Audiet, eſt duplex crimen, uterque reus.
Vxor eram, non ſerva viri, quin talia nollet

Serva pati, ſervit nemo duobus heris.
Nec jactare viri prodeſt inſignia; prædam
Hanc dominâ invitâ fraus violenta tulit.
Pergama capta dolo, Solymæ vis obruit arces;
Quid facias, regnat vis ubi juncta dolo?
Vis manifeſta nimis; populi de fraude queruntur,
Iure quibus longo fœdere juncta fui.
His inconſultis (quod mos & publica gentis
Iura vetant) thalamis ſum ſociata tuis.
Legitimum ſed finge torum, me cruda tyrannis,
Me tua barbaries non ſinit eſſe ream.
Libera quæ nupſi, duro ſervire coacta
Sum domino, cui pro conjuge præda fui.
Quis numeret tua quot fœdaris ſceptra rapinis?
Promptius expediam quot tegat Ida feras.
Aſt utinam duntaxat opes, & regna ſitiſſes
Non tua; ſit licet hæc pernicioſa ſitis:
Conjugis, infandum, conjunx haurire cruorem
Cœpiſti, tigribus ſævior atque lupis.
Albis adhuc, Iſterque rubet conterminus Albi,
Sanguine ſe major factus uterque meo.
Crevit in immenſum feritas; præbere coactus
Eſt jugulum tremulo cum ſene ſæpè puer.
Materno quoties rapta eſt de viſcere proles?
Vulneribus quoties concidit icta novis?
Quin & militibus de matre rubentia ſæpè
In duo partiri corpora ludus erat.
Ludus erat, memini, nec deerat teſſera ludo,
Carnifices acuens in ſcelus omne manus.
Eruta buſta patrum, violata cadavera ferro
Vidimus, & ſævis tradita fruſta rogis.
Sæpe cadaveribus texiſti altaria, fertur
Qualia Geryon dona tuliſſe patri.
Quid memorem tot ſtupra tuis patrata ſub armis?
Præda pudens virgo, præda marita fuit.
Matris in amplexu proles, violata mariti
Ante oculos conjunx, mox jugulata ruit.
Nec tumulis ſervatus honos; quis putre cadaver
Crediderit ſtupri vim potuiſſe pati?

Adde fidem: ſtuprum paſſa eſt effoſſa ſepulchro
  Fœmina, barbariem hanc num ferat ipſe Nero?
Culmen adhuc ſcelerum ſupereſt: contendere cælo
  Auſus es, & diras in ſacra ferre manus.
Omnia contactu cœpit fœdare propago,
  Neſcio quæ, ſcelerum quæ tibi monſtrat iter.
Hæc opibus numeroque potens; ſed gentis origo
  Non minus obſcura eſt, quam tua, Nile, fuit.
Sunt, Laertiadæ ſociis, quibus orta videtur,
  Inter grunnirent dum fera turba ſues.
Seu quia tetra lues pædore, & ſordibus orbem
  Inquinat, à ſuibus ſeu quia nomen habet.
Eſt Furiis; eſt qui prognatam credat Iberis;
  Fors quia Geryon hos quoque jactat avos.
Sunt qui Cerbereæ germen lethale ſalivæ
  Iurent, quod tellus poſt aconita tulit.
Gorgonis accuſant multi, vel virus Echidnæ,
  Nec pauci patrem te, baſiliſce, putant.
Aſt ego Phinæas potius, fera monſtra, volucres
  Has mundo peſtes progenuiſſe rear.
Omnia conveniunt; his caſtæ virginis ora
  Sunt data; virgineum nil tamen intus habent.
Vnca manus nimis eſt; non ipſe rapacior illis
  Harpalus, Autolicus cum patre, Maſſa, Cilix.
Ingluvies veſana tenet, gravis omnibus Orci
  Progenies aurum, prædia, regna vorat.
Pallor ineſt, quem vel Venus enervata, vel auri
  Iam laſſata fames, nec ſatiata facit.
Spurcius hac turba nihil eſt: non vilia Phinei
  Prandia, & Arcadicas polluit illa dapes:
Structa Deo, quibus eſca Deus, convivia cæli
  Conſpurcare ſuis ſordibus auſa fuit.
Incoluit volucrum peſtis terramque fretumq;,
  Hæc etiam terram noxa fretumque colit.
Sparſerunt illæ ſubtexto ſole tenebras,
  Et mundum tenebris obruit iſta cohors.
Ira Iovis Stygiis olim Stymphalidas undis
  Excivit; peſtem hanc extulit ira Iovæ.
Impia gens tota eſt; armat cui perdita mentem

Ambitio

Ambitio, linguam fraus mera, ſica manum.
Cælo inviſa, ſolo gens indigniſſima, regum
Pernicies, populi peſtis, & ira Deûm.
Illius impulſu cum regno ſacra petiſti
Noſtra, dolo primum, mox feritate merâ.
Saxea cogebar venerari numina; ſaxis
Oſcula cum precibus danda fuere mihi.
Quis furor, ajebam, coram procumbere cæco?
Quis furor eſt ſurdum ſollicitare prece?
Cur here quam finxi, nunc audit numen imago?
Cur operi cogor thura litare meo?
Baſia marmoreæ fertur libaſſe puellæ
Pygmalion, operis captus amore ſui.
Fors veniam ſculptor meruit, ſpirabat imago
Neſcio quid vivum, & virginis ora ferens.
Sed quæ membra Deo finges? quo marmore mentē
Exprimat ars? oculos illa manumque fugit.
Hæc ego: ſed pelagi irati tu ſurdior undis,
Surdior, heu ſaxis, quæ venerabar, eras.
Aucta ſuperſtitio eſt: è farre & furfure numen
Vidimus, & coctum, furnigenamque Deum.
Hoc pro Palladio cruſtum plebs ſtulta colebat;
Sanctius hoc nullum numine numen erat.
Huic quoties ſum juſſa genu ſubmittere? juſſa
Furfureo quoties munera ferre Deo?
Obſtupui, fugitque mihi de pectore pectus:
Haud aliter, quam ſi viſa Meduſa foret.
Hæc illa eſt pietas, Saravicto, hæc numina læſa,
Hæc ſacra, quæ jactas, relligioque patrum.
Hoc ego ſum, fateor, quondam detenta furore;
Et fuit ah, nimis ah, mens mihi capta diu.
Sed rediit pridem pulſis mens ſana tenebris:
Quodque prius placuit, jam patet eſſe nefas.
Eſſe nefas conſtat, quod adores, fingere numen,
Quæque Diis libas farra, putare Deos.
Majus adhuc ſcelus eſt, quod cogis manſa vorare
Numina; numinibus parceret ipſe Gyges.
Tu tamen hæc, memini, ferro graſſatus & igne
Vrſiſti: perii quot Biomea modis?

Hæcne

Hæcne torus vel ferre poteſt, vel ferre tenetur?
Virginis an conjunx effera tigris erit?
Quis putet uxori manſiſſe Lycaona junctum
Connubio, poſtquam conſtitit eſſe lupum?
Huic ſubdat ſe ſerva jugo; quæ libera nubit,
Obtinet antiquum, & libera nupta manet.
Si vacat annales, & geſta revolvere, noſtri
Exemplis poterunt jura patere tori.
Ante tui ſimilis, Saravicto, ſæpe maritus
Obtigit; at juſſi res ſibi habere ſuas.
Ius ab avis fruſtra repetis: quis velle parentes
Crediderit natam conſociare lupo?
Nec tua me terret Gorgo, lex Cæſaris; illa,
Bulla velut, propria futilitate ruit.
Sub ſua quantumvis juga miſerit omnia Cæſar,
Ius tamen in thalamos non habet ille meos.
Sed fac habere; ſuæ fac promiſiſſe maritam
Me ſoboli, mihi vir tu tamen eſſe nequis.
Cæſare prognati plures te jure priores,
Naſcendi ſi quid tempus & ordo poteſt.
Hoc, plures inter, Cimber jus obtinet, & quod
Cimber habet, ſponſo jus dat Eliſa meo.
Nec mihi de ſponſi quæſitus ſanguine conjunx
Reſtitit, ut fingis, quod tibi pacta forem.
Sola ſuperſtitio vetuit mihi jungere tædas:
Nec mihi, ſed ſacris reſtitit ille meis:
Simplicitas hæc digna pati ludibria; noſtro
Corda viro conſtant nobiliore luto.
Hunc ſceptris elate tuis ne deſpice: poſſunt,
Quæ geris, illius ſceptra decere manus.
Cæſareo ſi te prognatum ſanguine jactas:
Cæſaribus conjunx eſt oriundus avis.
Munia ſi confers: tu regni ſceptrifer: ille,
Ferre dapes ſolitus, ſceptra ferenda dedit.
Nec minus hunc, quàm te, metuet conterminus hoſtis,
Qui toties ex te rapta trophæa tulit.
Aſt ego quid ſector rationum pondera? bellum
Tu ferus, & belli fulmina ſola crepas.
Advolat, inquis, opem laturus Celta, Britannus,
Belga,

Belga, Latinus, Iber, Sarmata, Teuto, Getes.
Scilicet eſt tanti Saravicto: paſcitur umbris,
Et jucunda ſui ſomnia fingit amor.
Cur tibi, per Superos, ſe jungat Celta, negaſti
Cui toties, bello cum premeretur, opem?
Cur Tameſin expectas? Saravictone numen Eliſæ,
Vulturibus debet charior eſſe Leo.
Belga domi quod agat, crudas quo temperet iras,
Inveniet forſan cuſpis Ibera foris.
E Latio fatuas mittet, pro milite, bullas
Roma, cucullatos Teutonis ora greges.
Cætera barbaries gens eſt mera, bruta, rebellis,
Pauca, fugax, vecors, vilis, inermis, inops.
His ego nec larvas hominũ, nec ſpectra, nec umbras
Opponam, mecum eſt res tibi, cumque viris.
Eſt ditio mihi parva quidem, ſed Martia pubes;
Quæque tuos cæco ſub duce fregit avos.
Ille ſuâ moriens, hos certus verſa daturos
Terga fugæ, juſſit tympana pelle tegi.
Quæ tulit hunc, ſupereſt tellus, & maſcula virtus,
Nunc quoque fulmineas experiere manus.
Tot populos quid poſſe putas, tot ſceptra, tot urbes
Imperii, regno fœdere juncta meo?
Nec Cimbrum, nec tu vicinum ſpreveris Hunnum,
Cui Latium ſimul & Gallia præda fuit.
Arma parant omnes, quin & Leo colligit iras,
Et generoſa ſuus pectora fervor habet.
Ille ſuam, quocunque feras veſtigia, prolem
Vulturibus prædam non finit eſſe tuis.
Ver prius eſt violis, æſtas caritura cicadis,
Autumnus Bacchi munere, bruma nive,
Rhenus ab Oceano, Rheno contrarius Iſter,
Euxino refugus de mare vertet iter:
Lux ſua ſideribus, deerunt ſua ſidera cælo,
Et cælum & Superum cum Iove turba ruet:
Quam, quæ jure peto, neget, aut impune tyrannis
Eſſe ſinat pacis, juſtitiæque parens.
Phœbus hic eſt, fateor, quo nec formoſior alter,
Nec melior toto cernitur orbe Deus.

Fas

Fas tamen iraſci, nec Phœbum dedecet ira;
  Telaque, ſi neſcis, quæ jaculetur, habet.
Ille ſuis tumidum ſtravit Pythona ſagittis,
  In capreas tantum queis prius uſus erat.
Occidit his ingens Tityus, tibi crimine junctus;
  Ille Deæ, mihi tu vim ſcelerate paras.
His dedit Atrides rapta Chryſeide pœnas;
  Conjunx quantumvis nullius illa foret.
Tu, mea qui Phœbo coram connubia turbas,
  Moliris majus, quam luit ille, nefas.
Non impune feres: noſtri tu ſpicula Phœbi
  Protinus, & longas experiere manus.
Sueta diu meritæ clementia diſtulit iræ
  Fulmina, penſabit ſed gravitate moras.
Nil cito firmatur magnum & memorabile; monſtra
  Qui domuit nox huic non fuit una ſatis.
Et qui mole ſua, qui terret viribus hoſtem,
  Protrudunt anni vix elephanta decem.
Panicus objicitur terror; ſubjecta Leoni
  Criminis exemplo regna trahentur, ais.
Pone metum; vili quam diſtat purpura panno,
  Tam diſtat ſolium quo ſedet ille tuo.
Natus hic imperio eſt Princeps, virtute tuetur
  Ius patrium, & ſe nil ſub Iove majus habet.
Iſta domi ſecura, foris metuenda poteſtas
  Mittet opem, quam jus, fœdera, ſacra petunt.
Agmina conjunget Batavi dux roboris, hoſti
  Qui terror, patriæ eſt umbo, columna ſacris.
Orta domi nuper tempeſtas ſponte quievit;
  Iam quaſſat Batavas nulla procella rates.
Poſcere quem fingis, pœnas dabit ipſe Batavis,
  Iam toties nivei præda Leonis, Iber.
Sed Leo cur, ut ais, contra paret ire Leonem
  Quam cauſare, prior fœdere noxa fuit.
Nec mihi devotæ deerit ſua gloria Moſæ,
  Quam procul à noſtris finibus eſſe queror.
Martia Bulloni ſoboles, patris æmula proles,
  Hic pridem in pugnas ardet, & arma parat.
Magnus avus, majorque parens, & avunculus acrē

Vrget,

Vrget, & Arvernum, Borboniumque genus.
Cognato cognatus opem feret; ire per enſes
Pro ſibi cognato ſanguine coget amor.
Ille triumphatas aquilas, quas fulmina jactas
Ferre Iovis, coget ſigna Sedana ſequi.
Quid tibi nunc animi eſt? an adhuc mea temnere pergis
Agmina? mente puto te meliore frui.
Quis mihi militiæ ſit ductor, quærere noli;
Hic ubi tu dux es, quilibet eſſe poteſt.
Mille duces nobis; ſed dic de millibus unum
Cur onus hoc ſponſum poſſe ſubire negas?
Hercule natus avo, Galli Mavortis alumnus,
Flos juvenum, belli ductor an eſſe nequit?
Deſpicis Aonidum fuerit quod caſtra ſequutus,
Solaque pro telis ſumere plectra jubes.
Ergo tibi qui plectra tulit, de fonte ſororum
Qui bibit, Æacides deſpiciendus erit?
Quis vel Alexandri, vel magni Cæſaris arma
Spernat? at Aonidum cultor uterque fuit.
Mentis & ingenii ceſſit cultura Minervæ,
Hæc eadem ſævi munia Martis obit.
Tu tibi quos fingis, ductoribus utere; nobis
Ductor erit conjunx, dux erit ille ducum.
Perſea ductorem vellet, ſi viveret, unum
Andromede, res huic crederet illa ſuas.
Andromedæ Perſeus, mihi dempſit ahenea conjunx
Vincula; fortunas huic ego credo meas.
Expulit Arcadicis Harpyias finibus olim
Amphitryoniades; exiget iſte meis.
Quantus & hic ductor, qui nunc abſente marito
Te quatit, & paſſim pro Iove victor ovat?
Major hic invidiâ; non primum diſcit ad Albim
Prælia, nec tellus una trophæa dedit.
Fulmineam pridem mirata eſt Gallia dextram,
Mavorti Mavors cum tulit alter opem.
Iuliacos quanto proſtrarit fulmine muros,
Ipſe refer, nec enim non memor eſſe potes.
Ante triumphantem Rhenus, nunc conſpicit Iſter,
Eſtque tuo ſemper ſanguine partus honos.

Nec

Nec me, quæ recitas, terrent incommoda belli,
His quæ ſuſtinui ſunt leviora malis.
Imminet, exclamas, ſacris cervicibus hoſtis
Barbarus, & prædam forſan utrumque feret.
Has utinam pietas moviſſet vera querelas,
Et non fucatus relligionis amor.
Sed vereor, notas ne tu delapſus ad artes
Pelle ſub hœdina tigrida ſævus alas.
Exue te larvis; ſi tangunt candida pectus
Numina, cur mihi me, cur aliena rapis?
Me mihi linque modo, timor hic vaneſcet in auras:
Barbarus hic neutri tum metuendus erit.
Aſt ego cui certo? cantatur nænia ſurdo:
Non tibi relligio, ſed Biomea placet. (dam,
Hanc petis, hanc ardes, hanc nolles linquere præ-
Si vel tota Deûm cum Iove turba roget.
Cæſa cadam potius Biomeæ victima, triſtis
Vmbra prius Stygios, inquis, adibo lacus.
Hæc ſi fixa tuæ conſtat ſententia menti,
Quod facis, hoc cito fac, vela ſecunda precor.

Nicrina ad Heroas Anglos.

DVcat, an abjiciat calamum Nicrina? Britannos
Quod petit, infeſtum reddidit hoſtis iter.
Occupat imperio terras jam Cæſar, & undas,
Nec ſupereſt votis præter Inane meis.
Forſan & hic, domini dum paſſim caſtra ſequuntur,
Cæſareæ nobis inſidiantur aves.
Sors tentanda tamen, levis eſt jactura papyri,
Quodque parum ſperes, fors patefiet iter.
Scripſit Hypermneſtra medio de carcere, venit
Scripta per obſtantes litera mille feras.
Illi cæcus amor, vitæ mihi cura tuendæ
Inveniet faciles in mea vota vias.
Vndique circumſtant miſeram diſcrimina, dextrum
Scylla latus, lævum vaſta Charybdis habet.
Qualiter Heſione crimen luitura parentis,
Cum foret æquoreo victima pacta gregi;
Qualiter & monſtris virgo devota marinis

Andromede cotes, & maris inter aquas:
Taliter extremæ trepidat Nicrina ruinæ
Proxima: nec ſpes eſt, proh dolor, ulla fugæ.
Sponſus abeſt, qui me ſemper victricibus armis
Protegat, externam quærere cogor opem.
Rumor it, Heroes, miſeræ ſuccurrere velle
Vos mihi, ſunt qui jam vela dediſſe putent.
Hæret in ambiguo mens inter ſpemq; metumque,
Spem metus, expellit ſpes mihi ſæpè metum.
Tenſa levi quoties ſinuantur carbaſa vento,
Naufragii metus eſt; ſi ſilet aura, moræ.
Et Canis igne furens, & cæli nobila terrent,
Et maris, & longæ tædia crebra viæ.
Pallor habet, quoties in vos duxiſſe phalangas
Dicitur Auſonio ſub duce ſævus Iber.
Mille metus cauſæ; ſupereſt ſpes una ſalutis;
Pro Iove bellandum, dux erit ille viæ.
Vos properate modo; Nicrum jam poſſidet hoſtis:
Tam vicina nequit ferre ruina moras.
Pergama quid juvit, numeroſo milite, ductor
Auxilium qui poſt Pergama capta tulit?
Expedit incaſſum trepidans venabula paſtor,
Præda feris poſtquam ceſſit ovile lupis.
Sed quid ago? ſtimulos cur ſtulta ruentibus addo?
Cur aquilæ pennas, Æacidæque pedes?
Vos genus & virtus heroo ſanguine major
Incitat, & laudis luxurioſa ſeges.
Non hæc Phaſiacas armatur claſſis in oras,
Vt ſacra Phryxeæ vellera raptet ovis.
Nec petitur vaſtum pellex fugitiva per æquor,
Qui furor Argivæ nobilitatis erat.
Nec ſocios contra ſtringuntur tela Britannos,
Aut geminis pridem lilia juncta roſis.
Arma regit pietas. Huic vos incumbitis uni,
Ne rapidis inſons præda ſit agna lupis.
Extremis quæ rebus opem fert, regia virtus
Creditur, & magni numine digna Iovis.
Dum tonat, & cælo minitantes fulmine turres
Disjicit, afflictis porrigit ille manum.

Nec ſua, quæ miſeris ſuccurrit, præmia deſunt
  Virtuti; hæc multis ſtravit ad aſtra viam.
Intulit Inachiden cœlo ſubducta periclis
  Andromede; merces hæc pietatis erat.
Hic nitet & Delphin, te qui ſervavit, Arion,
  Et pia, quæ Phryxum per mare vexit, ovis.
Nant gemini juxta piſces: Euphratis in undis
  Hic Veneris, nati portitor ille fuit.
Forſan & hinc aliquis, ſuſpectans ſidera, dicet,
  Has cælo impoſuit ſalva Nicrina faces.
Hîc Verius, rutilos illic Oxfordius ignes
  Explicat; Eſſexî nec procul inde jubar.
Perſea Gerardus, Geminos vicinia Graji
  Herculis exſtinguent aſtra Richæa faces.
Digna minus tantis ſi fors Nicrina videtur
  Vindicibus, digna eſt orbis Eliſa decus.
Veſter amor quondã, nunc eſt quoque ſemine regis
  Edita, quem jactat terra Britanna patrem.
Diva, Deûm ſoboles, pelago jactatur eodem,
  Quo Nicrina, vehit puppis & una duas.
Vna duas fortuna manet: manſiſſet Eliſa
  Soſpite me ſoſpes, me pereunte perit.
Diva perit mecum, regni pars altera veſtri,
  Totaque natorum turba tenella comes.
Iamque laborantes regis cum prole nepotes,
  Auxilio, clamant, terra Britanna veni.
Nata per, heu, functæ cineres, & buſta parentis
  Vos rogat, hi per quæ ſceptra tuetur avus.
Quodque rogant, ſperare juvat: junctura Nicrinæ
  Tameſias omnis creditur hora rates.
Non procul, adſcenſu facilis, Rhenumque, meaſque
  Vndique deſpectat collis amœnus aquas.
Sæpe, moræ impatiens, natorum maximus illinc
  Vos ciet, appellans nomine quemque ſuo.
Veſtra putat, quæcunque videt puer agmina, puppes
  Sæpè Palatinas, vela Britanna vocat.
Has avus, has, inquit, mihi mittit avunculus alnos,
  Hæc pater; illa tibi lintea mater habe.
Credulus ille quidem, ſed quæ ſe cernere credit,
Debita

Debita littoribus vela fuere meis.
Nulla timenda mora eſt;tamẽ ut mihi nulla timenda
Sit mora, quod facitis, vos properare precor.
Quam citat aura, ratem fas eſt impellere remis;
Fas feſtinanti ſubdere calcar equo.
Suadet iter tempus, lætis dum meſſibus æſtas
Eſt gravis, & longi ſtant ſine nube dies.
Terra viam cælumque jubet jam carpere, Nereus
Ipſe pater tutum per mare præſtat iter.
Qui ſtruit inſidias, tergum venientibus hoſtis
Vertet, & externo quæret in orbe fugam.
Haud aliter trepidant aquila veniente columbæ,
Aut lepus, inſtantis cum fugit ora canis.
Nil opus hic armis: Verii terrebitur umbra:
Hoſtibus hæc veſtris Gorgonis inſtar erit.
Hæret fixa animis Europæ Oſtenda ſepulchrum,
Heſperias Verio quæ duce fregit opes.
Hæret & hærebit ſemper Neoportus,& ingens
Hoc duce Flandriaco littore fuſus Iber.
Tu quoque virtutis patriæ non degener hæres,
Vel ſolo, Eſſexi, nomine terror eris.
Ardua nulla via eſt, ducibus via nulla Britannis
Invia : feſtini vos celerate modò.
Quamque timens,vobis,Heroes, mitto ſalutem,
Hanc mihi, ne peream, vos cito ferte,precor.

Elegia in Obitum Iacobi Pacifici *Magnæ Britanniæ,Franciæ & Hiberniæ Regis, fideique Defenſoris.*

ERgo jaces?nec te pietas tua,maxime Regum,
Nec populi, aut procerum ſuſtinuere preces?
Nil non poſſe Deos fateor, nec machina cæli
Si ruat, in litem Numina ſancta traham.
Flere tamen fas eſt: non me Magneſia rupes
Protulit, Hyrcanæ nec genuere tigres.
Nec ſi rupe forem, Scythica vel tigride natus,
Hoc puto me ſiccis cernere poſſe genis.
Hei mihi,pro Domino,Domini nunc cernimus urnã;
Quemq; patrem patriæ diximus,umbra mera eſt.
Nec tamẽ hoc querimur:lethi rapit impetus omnes
Omnibus

Omnibus eſt Stygii cymba premenda ſenis.
Tempora deflemus, celerataque funera Regis:
Non ita maturè debuit ille mori.
Ante domandus erat, toties qui luſerat, hoſtis,
Ante levanda ſuo colla Bohema jugo.
Nataque cum genero, parviſque nepotibus, exul
Ante ſuis laribus reſtituenda fuit.
Mens erat hæc illi; morbique oblitus & ævi,
Expectata diu ſumpſerat arma ſenex.
Sed dum bella parans, acies terraque, marique
Inſtruit, heu, triſti funere merſus obit.
Artibus illuſtrem pacis ſe fecerat orbi
Ingenio princeps, conſilioque potens.
Armorum Bellona decus tranſcribere nato
Maluit, & juveni credere Martis opus.
Gloria ſed nati, (fas ſit mihi vera fateri,)
Non minor, incolumi patre, futura fuit.
Quis pudor, auſpiciis natum pugnare paternis?
Primaque conſilio bella movere ſenis?
Dicitur Æacides Atridæ ſigna ſequutus,
Hector & imperio ſub patris arma tulit.
Nil tamen Æacidæ titulis detraxit Atrides,
Nec pater Hectorei nominis umbra fuit.
Hoc duce debebas ordiri, Carole, bellum,
Qui Phryge, qui Grajo principe major erat.
Sed quid ago? ſurdis cantatur nænia. clauſit
Ille diem, nulla nunc revocandus ope.
Ante cadens, memini, geminus Lennoxius, ante
Raptus Hamiltonius triſtia ſigna dedit.
Tum caput inclinat moriens, & concidit arbos,
Brachia cum, lævo ſidere tacta, cadunt.
Hæc erat, heu, duræ clades prænuntia mortis:
Nec minor interitum noxa ſequuta fuit.
Imbribus aſſiduis, ter denis lucibus, æther
Luxit, & effuſis omnia merſit aquis.
Squallebant ſine Sole dies, ſine ſidere noctes,
Horror & umbrarum triſtis ubique fuit.
Fluctibus inſolitis tumuit Bodotria, cunis
Principis & domini nobilitata ſui.

Efferus & mixtus ſævis Aquilonibus Eurus
Deucalionæas penè reduxit aquas.
Cum populis periere domus, ſegeteſque, gregeſq;,
Rara ratis, ſtatio nulla relicta rati eſt.
Vidimus ingentes operas, munimina priſci
Littoris, eque ſuis eruta ſaxa locis.
Innumeras olim ſenſiſti Scotia clades,
Damnaque, par illi nulla ruina fuit.
Pro ſuperi! ſi Regis erat mors certa, ſenectæ
Debebat reliquos evoluiſſe dies.
In caput hoc olim, memini, manus impia ſicas
Strinxit, Avernales ſuppoſuitque faces.
Quæque tot extinxit reges, urbs dira Quirini
Sæpe necem puero, ſæpè minata viro eſt.
Hei mihi, quod toties fruſtra tentavit Erynnis,
Ante diem, Parca cur jugulante cadit?
Certa Deæ, fateor, ſed cæca eſt dextera; neſcit
Quem feriat, nec quos iſta ruina premat.
Occidit heu, patriæ ſceptrum qui geſſerat infans,
Bis tribus & centum regibus ortus avis.
Qui tot Olympiadas ſceptrum libravit avitum,
Cynthius auratis quot terit aſtra rotis.
Qui populi vultuſque ſui, geniumque, genuſque
Noverat, & mores factaque priſca patrum.
Candida cui ſemper vultu fortuna ſereno
Riſit, & aſpectu favit ubique ſuo.
Cui dedit ingenium Pallas, quo ſæpè rebelles
Fregit, & hoſtiles trivit inermis opes.
Nec minus ingenio valuit cultura magiſtri,
A quo victurum Scotia nomen habet.
Ille animum gazis auxit regalibus, ille
Regia Cecropiis imbuit ora favis.
Occidit, heu, recti cuſtos, qui lancibus æquis
Iura dedit regnis non violanda tribus.
Cædibus aſſuetos populos, & ſæva minantes,
Hic docuit legum vincula poſſe pati.
Vnius ad nutum bellis Europa tot annis
Abſtinuit, mores depoſuitque feros.
Pace foris rupta, circumque tumultibus orbis

Cum

Cum fureret, pacem præſtitit ille ſuis.
Securum ſine claſſe fretum ; ſine mœnibus urbes,
Securus nudo ſub Iove ſomnus erat.
Non metus hoſtilis , non à prædone periclum
Agricolam patriis excutiebat agris.
Nulla viatori tellus fuit invia , tutus
Vel media poteras carpere nocte viam.
Cernere erat ſine lege pecus, paſſimque vagari
Incuſtoditos læta per arva boves.
Servabant junceta gregem,dum fallit amicæ
Tityrus amplexu , carminibuſque diem.
Dives eques cum plebe fuit : Rex omnia donans
Se præter, nullas ipſe coëgit opes.
Quod docuit Lucina parens , ſervavit ; aperta
Nata fuit ; manſit ſemper aperta manus.
Contemptum ſuperabat opum clementia ſumma,
Arte carens, nullo nata vel aucta metu.
Ira brevis ſemper, vindictæ nulla cupido
Detinuit : nunquam ſævus in hoſte fuit.
Nec niſi caſta Venus placuit : de virgine rapta,
De læſa potuit conjuge nemo queri.
Otia, curarum ſi quæ dabat otia moles,
Fallebat ſtudiis, ſacra Diana,tuis.
Nunc cane, nunc jaculo gaudebat perdere cervos,
Nunc leporum curſus lata per arva ſequi.
Sæpè levem medio captabat in aere prædam
Lætus, & hoc ſolo ſanguine tinxit humum.
Nocte redux , ſomno non indulgebat inerti,
Nec dabat ignavo languida membra toro.
Pallada, ſeceſſum quærens, Muſaſque colebat:
Et ſenſit faciles in ſua vota Deas.
Hac ope, Ieſſæi captus modulamine regis,
Intulit Hebreæ plectra Britanna lyræ.
Hac ope , quo teneros nati pater imbuit annos,
Protulit invidiæ ſtigmate majus opus.
Cætera quid memorem ſancti monimenta laboris?
Publica ſunt , & cum Brittone Roma legit.
His addi meruit pietas , & rara potentum
Gloria, defenſæ relligionis honos.

Hanc puer amplexus ſeros ſervavit in annos:
  Hæc expiranti cura ſuprema fuit.
Nil ſecum mortale agitans moribundus ad aſtra
  Suſtulit inſontes, & ſine labe manus.
Quique regis cœlum, cælo me ſuſcipe, dixit,
  Alme parens, animæ portus, & aura meæ.
Corporis exuvias terræ, tibi regna relinquo
  Carole, cum regnis ſacra paterna cape.
Dixit, & hoc ipſum, voces cum lingua negaret,
  Sæpe oculi, fertur ſæpe locuta manus.
Qui modo devotus regemque, patremque colebas
  Carole, fac regis, fac rata vota patris.
Hæc rata ſi dederis, cælo aſpirante, timenda
  Sunt tibi nulla foris, nulla pericla domi.
Cuncta regent junctis Themis & pax aurea dextris,
  Qui ſtatus, imperium patre tenente, fuit.
Et tibi quæ vitæ diſpenſant fila ſorores,
  Deducent longos & ſine nube dies.
Denique, magna Deûm ſoboles, te rege, parentem
  Definet ereptum terra Britanna queri.

Epigramma.

NIl Iove, nil Phœbo melius, lux utraque terris,
  Vtraque lux regnis ſemper amica fuit.
Te tamen invidit mundo lux utraque, Princeps
  Luce cadis Solis, lux Iovis abdit humo.
Res nova, nec ſæclis audita prioribus; ordo
  Naturæ, Princeps, te pereunte perit.

Aliud.

NOn miror regem ſi Martius abſtulit Anglis;
  Pacificis ſemper Mars inimicus erat.

Ad Regem Cal. Ianuarii 1623.

FEſta dies Iano eſt. Quæ Rex tibi dona paremus,
  Qui ſequimur Phœbum, Pieridaſque duces?
Munera ſunt regum, non uno tinctus aheno
  Coccus, & Oebalio murice lana rubens.
Quæſitæque procul majoris pondera gemmæ,

Quæ nitet artificis nobilitata manu.
Sunt quibus in pretio eſt catulus de gente Moloſſa
Lectus, & Æmonio de grege miſſus equus.
Et quæ mollis Arabs, & quæ fert decolor Indus,
Quicquid & ignoto mercis ab orbe venit.
Nil habet infælix Helicon juga præter,& umbras,
Et ſteriles lauros, Pierioſque lacus.
Hic ager eſt vatum; ſunt cenſus plectra, lyræque,
Et leve quod ſemper tinnit in aure melos.
Hæc dare fors poſſem : ſed ſpernit purpura nugas,
Nil profecturos ridet & aula ſonos.
Sed neque Pactoli mihi ſi fluat alveus auro,
Iunctaque Pactolo ſerviat unda Tagi;
Hæc ego fortunæ dare coner munera Regi,
Bina licet Iani per patris ora roges.
Sidera quis cælo, quis Soli lumina ſanus
Offerat, aut lectas in mare vectet aquas?
Qui Chalybes ferro, qui donat quercubus Idam,
Pomaque Phæacum mittit in arva, furit.
Quemque movet faſtus Pariæ dare marmora rupi,
Plus illo quæ dat, marmora mentis habent.
Haud ſecus in Regem populus dum prodigit aurũ,
Deſipit, & medicam quærere debet opem.
Aut ſibi ſi conſtat, nec opem mens poſtulat ullam,
Crimen ineſt facto, muneribuſque dolus.
Sic ſtruit inſidias vitreis piſcator in undis,
Spargit & armatas per loca cæca dapes.
Vel jecur alburni, vel olentis viſcera rhajæ
Porrigit, ut ſtultum cogat in æra pecus.
Sæpe lupo ranam mutat, conchilia mullis,
Et tenui ſcombros ducere novit aco.
Quemque redux primum Latias Optatus in undas
Intulit, in prædam te,ſcare, muſca trahit.
Quot tibi lux Iani nunc mittit dona, tot hamos,
Tot,Princeps, in te retia tenſa vides.
Dona petit, qui dat, vitulum qui miſerit,illum
Crede mihi ſecum dicere, redde bovem.
Abſit ut hoc unquam Ionſtonus crimine mentem
Polluat, aut ulla ludat ut arte Deos.

Quicquid opis noſtris olim promittere Muſis
  Te memini, hoc à te ſponte venire velim.

In Nautas ad nobiliſſ. virum Georgium Hayum Cancellarium Scotiæ.

HAye, Caledonii moderator juris & æqui,
  Qui miſeris promptam porrigis unus opem;
Si vacat, & vatum non averſare querelas,
  Hæc lege, quam poſco, parva breviſque mora eſt.
Debuit ipſe ſuis autor comes ire libellis,
  Proſternique tuos cernuus ante pedes:
Sed fugit infœlix hominum conſortia vates,
  Nec ſinit ingenuus, quo lubet, ire pudor.
Cauſa pudenda quidem, ſed juſta eſt cauſa pudoris;
  Nil ſupereſt illi, quo ſua membra tegat.
Plus Dea, Gargaphiæ juvenis quem vidit in undâ,
  Plus Charites, corpus quo tueantur, habent.
Sic puer ales erat, niveis cum matris in ulnis
  Impia crudeli cuſpide punxit apis.
Sic erat Æacidæ mater, ſic mater amoris,
  Cum pretium formæ de tribus una tulit.
Nec mage nuda fuit, facta eſt cum fabula cælo,
  Perque ſuas concha cum veheretur aquas.
Non ruber hortorum cuſtos, non ipſe Pyracmon
  Nudior, invicto cum parat arma Iovi.
Nec Laertiades Phæacum ejectus in oras,
  Nauſicaæ peteret cum vagus hoſpes opem.
Nudior hoc nemo ſuperas exivit in auras,
  Nudior hoc Stygias nemo ſubivit aquas.
Forſitan autorem quæris. nec criminis autor,
  Cauſa nec eſt tanti diſſimulanda mali.
Vulnera denudans medicum dum conſulit æger,
  Quo jaculo, quo ſit læſus ab hoſte, refert.
Orta ſolo gens eſt, vitam quæ degit in undis,
  Et regit errantes per vada cæca rates.
Pix tegit atra genas, manibus pix hæret aduncis,
  Quod reliquum eſt celat bardocucullus olens.
Dum ſubit antennas, funeſque perambulat audax,
  Cercopithecorum de grege monſtra putes.

Æris

Æris egens, animas gens mercenaria viles
Prodigit, in pelago ſub Iove ſemper agens.
Barbara gens tota eſt,&,quem colit,æmula ponti,
Nec magis hæc ſervat, quam maris unda fidem.
Hæc mihi cauſa mali eſt, hac eſt de gente querela,
Hæc ovat exuviis, proh pudor,aucta meis.
Huic ego commiſi,Tameſin viſurus,amictus
Quicquid erat nobis, impoſuique rati.
Nil ego naufragium præter fluctuſque timebam,
Sed nimis, ah fateor, mens mihi læva fuit.
Res ſine naufragio, ſine tempeſtatibus ullis
Pro dolor, in portu diſperiere meæ.
Ipſe ratis dominus, fas ſit mihi vera fateri:
Injecit piceas in bona noſtra manus.
Neſcio quo mentem mutarit carmine Colchis,
Cum mihi digna fide fæx mera viſa fuit.
Semiferæ poteram mores ſat noſcere gentis,
Qui toties una per mare vela dedi.
Tota picem redolet, pice tota rapacior omni eſt,
Nec magis eſt veſtis, quam piceata manus.
Invia qui primus deduxit in æquora pinum,
Primaque tractavit carbaſa, prædo fuit.
Vellera detraxit pecudi quæ vexerat Hellen,
Nil mare, nil ventos, nil Iovis arma timens.
Vtque nefas pateat, cælo cum puppe recepta eſt:
Vulſa pecus, nautas,ut reor,Orcus habet.
Magnus Ariſtippus, quæ ſit fiducia nautis
Debita, jacturâ ſat docet ipſe ſua.
Hic rate conducta patrias dum linqueret oras;
Exiguas ſecum forte ferebat opes.
In caput inſontis fera gens conſpirat,& auri
Sacra fames diris mergere juſſit aquis.
Detegit ille dolos, &, qui regis æquora, Nereu,
Affer opem, & pretium ſume ſalutis,ait.
Nec mora, quod metuit nociturum,projicit aurum:
Sic fugit inſidias, eripiturque neci.
Quid memorem facinus,Chiæ telluris in oris
Auſa quod in Bacchum turba marina fuit?
Hic puerum vinoque gravem,ſomnoque ſepultum

Repperit, & capto numine, vela dedit.
Nec modus eſt ſceleri; miſcet perjuria facto
Impia, captivum ludificatque Deum.
Fraude palam facta ſcelus eſt ſua pœna ſequuta,
Induit & vultus turba profana novos.
Terga nitent ſquammis; & quas modo puppe ſeca-
Liber ovans pinnis findere juſſit aquas. (bat,
Si mihi vel Superi, vel mens non læva fuiſſet,
Exemplis poteram cautior eſſe tribus.
Sed mihi læva fuit mens, & me,numine lævo,
Credere crudeli juſſit ovile lupo.
Debuerat ſaltem Methymnæ gloria vatis
Exemplo vatem præmonuiſſe ſuo.
Hunc, patrios dum forte petit gravis ære penates,
Deſtinat infandæ gens piceata neci.
Senſit ut inſidias, vectori parcite veſtro,
De grege Caſtalio pars,ait,una ſumus.
Quem colimus vates, Pythonis tincta cruore
Tela Deo, longas ſcitis & eſſe manus.
Forſan & ipſe pater Superum pro crimine pœnas
Exiget, & ſi quæ numina pontus habet.
Talibus urgebat prædonum pectora vates,
Sed rapiunt celeres, cum rate, verba Noti.
Cautibus æquoreis, gens,quas ſecat æquoris undis
Surdior oranti vimque, necemque parat.
Ille mori certus, mortem non deprecor,inquit
Vlterius, nec quod mox tegat oſſa, fretum.
Quæ moribundus olor quærit ſolatia, munus
Extremum hoc vates, per maris aſtra,peto.
Ante feris quam mergar aquis, fas ſumere veſtem,
Fas mihi ſit ſumpta plangere fata chely.
Annuit oranti fera gens: veſtemque lyramque
Sumit, & hanc timida percutit ille manu.
Nulla mora eſt, trepidans puppim genus omne na-
Cingit, & arrecta ſuſcipit aure ſonos. (tantum
Dum ſtupet atra cohors, ut erat veſtitus,Arion
Deſilit in pontum, plectra lyramque tenens.
Excipit hunc Delphin, & vaſta per æquora vectum
Fertur in optato depoſuiſſe ſolo,

Hic,

Hic, rate ſubmerſa,cælo nitet aureus, ignes
Vecturæ pretium juſſus habere novem.
Sed quid ego veterum faſtos, quid priſca reduco
Crimina? jam pœnas illa luere ſuas.
Me nova noxa movet,quam ne patiaris inultam,
Haye,Camœnarum te pia turba rogat.
O utinam aut mecum non hic contenderet hoſtis,
Aut ego pars Clario de grege nulla forem.
Eſt pudor,ah, populo vatem certare marino,
Inque tuo audiri nautica verba foro.
In laqueum potius meritis deberet iambis,
More Lycambæo, qui nocet,hoſtis agi.
Hoc quoque feciſſem, ſed quæ læſere Lycamben,
Ah, nequeunt hoſti tela nocere meo.
Legerat hic carmen generi crudele, miſerque
In laqueum, lecto carmine, colla dedit.
Gens legere hæc neſcit, nec lecto carmine tangi
Poſſe puto hos ſilices, & ſine mente pecus.
Ergo Caledoniæ populis qui jura miniſtras,
Tu mihi, Calliope quam nequit, affer opem.
Non ego reſtitui, quo ſum nudatus, amictum,
Lex repetundarum ſit licet illa, peto.
Abſit, ut hæc humeris unquam velamina noſtris
Aptemus, piceæ quæ tetigere manus.
Illa vel infandam ſuperant fœtore Mephitim,
Et quæ ſulphureum ſtagna bitumen olent.
Quod peto, ſupplicium eſt: ſatis hoc elementa mi-niſtrant;
Imperio ſubſunt ignis & unda tuo.
Quæ nocuit gens hac interdicatur, & illo,
Aut,quam ſulcat, aqua merge, vel ure rogo.
Ve laqueis elide gulas, ut in aere plebi
Ludibrium, nudo vertice paſcat aves.
Vel Diomedæis laceros præſepibus artus
Objice, vel rapidis viſcera rupta lupis.
Nec deſunt, Metium quæ diſcerpſere, quadrigæ,
Nec,qui membra Lini diripuere,canes.
Sunt ocreæ, quæ crura premant,& nervus, & un-cus,
Simia,ſus,ſerpens,ſcala, metalla,rotæ.
Si quod adhuc, poſt mille neces, ſupereſſe cadaver

Forte vides, tumulo ne patiare tegi.
Impia gens, vatem quæ denudavit amictu,
In nudo meruit nuda jacere ſolo.
Denique quot ſcelerum vindex Rhamnuſia pœnas,
Stringe, parens legum, quot tenet arma Themis.
Cum Iove tota licet Superum gens exerat iras,
Plus pecus hoc dices commeruiſſe mali.

Ad Senatum Mechlinienſem.

SAcra cohors, latè populis quæ jura miniſtras,
Arbitrio librans faſque, nefaſque tuo:
De tribus una mihi ſuperes: tibi nuncupo vota
Cernuus, afflicto, quam potes, affer opem.
Bis quater, ah memini, mutavit Cynthia vultus,
Nec modus eſt noſtris, meta nec ulla malis.
Non ita Tyrrheno vexatur in æquore remex,
Aſſiduo nec qui vomere verſat humum.
Mitius Æolides medio torquetur in Orco,
Mitior eſt Stygiæ carnificina rotæ.
Hactenus indulſi ſtudiis, dum fata faverent,
Ingenio ſenſi quæ magis apta meo.
Cura mihi, nec vana fuit, medicamina morbis
Quærere, quæ priſcus, quæ novus orbis habet.
Has mihi, ſuccurrens ægris mortalibus, artes
Pæoniæ primus tradidit autor opis.
Addidit & plectrum, quod nec mihi ſerior ætas
Abſtulit, Aonios edocuitque modos.
Sic ego ſecurum duxi ſine litibus ævum,
Nec fora carpebant, nec mihi prætor opes.
Nunc trahit in rixas, indignaque jurgia miles
Neſcio quis, ſcopulos inter & antra ſatus.
Dum peto quæ debet, quæ ſe debere fatetur,
Mille pati cogit tædia, mille moras.
Hinc procul Ardennæ nemoroſo in limite, rupes,
Propter aquas, ſcopulis ſurgit & arce minax.
Militis hic duri domus eſt; ſub principe ſacro,
(Quis putet) hic miles dicere jura ſolet.
Cætera, de numero miles ſi demitur unus,
Culta ſatis gens eſt, & pietatis amans.

His,

His, mea dum quæro, ſuccedo ſedibus hoſpes,
Siſtor & Hamptiacas creditor ante fores.
Quod juſtum eſt, quod ubique licet, res poſcere noſtras,
Hic quoque, dicebam, fas mihi forſan erit.
Fas & erat, ſed juſta virum dum debita poſco,
Sævus inacceſſa ſpirat ab arce minas.
Mens ſtat in ambiguo; fuga turpis, plena pericli
Eſt mora; carus honos, ſed mage cara ſalus.
Mentis inops tandẽ (quid enim manifeſta negemus?)
Subtraho me noxæ, corripioque fugam.
Sic Iovis armigerum penna trepidante columba,
Territa conſpectum ſic fugit agna lupum.
Dum ruo reſpectans ſcopulos & inhoſpita luſtra,
Impia, dicebam, teſqua valete diu.
Huc ego ſi redeo, ſaxis precor obruar illis,
More vel Icario, quas peto, mergar aquis.
Ante vel inviſas Superis Buſiridis aras,
Ante Lycaonias hoſpes adibo domos.
Ipſaque montanis habitata Cyclopibus antra,
Quæque tenet Scyron, tecta nefanda petam.
Hæc ego; ter tonitru circum cœlũ omne remugit,
Omen ineſt, dixi, ſunt rata vota Iovi.
Ex illo, ſuſpecta nimis, metuendaque tellus,
Nec pede preſſa, oculis nec mihi viſa fuit.
Re tamen amiſſa, terraſque polumque querelis
Impleo, nec rapidis ſunt data verba Notis.
Hinc procul Iva jacet, metuendæ proxima rupi,
Audiit hæc quæſtus, auxiliumque tulit.
Qui modo terrebat minitans, hîc dicere cauſam
Cogitur, & legum ſubdere colla jugo.
Vim locus & judex arcebant. miles ad artes
Vertitur, & technis implicat omne forum.
Non tot imaginibus luſit maris incola Proteus,
Nec procus, Herculeæ quem domuere manus.
Sed quid agit? facies hunc poſtquam vertit in omnes
Mens mala, decernit curia tota reum.
Hæc dare debuerat finem ſententia liti,
Cauſa ſed eſt rixæ principiumque novæ.
Nomine lucis ovans urbs eſt, Aſtræa tribunal

Hic ubi manſurum fixit, & alma Themis.
Litigium de lite ferens, huc provocat effrons,
Et ſe cenſuræ ſubtrahit Iva tuæ.
Sed Themidi gens ſacra dolum perſenſit & artes:
Nec mora, judicio fit reus ille novo.
Bis reus irati debebat tela vereri
Iudicis, & legum diſcere fræna pati.
Sed prohibet mens læva, novis nos litibus urgens,
Biſque triumphatus, tertia caſtra parat.
Curia reſtabas tu de tribus una, priores
Quæ regis, & patriæ jura ſuprema tenes.
Te coram infælix toties nova prælia miles
Tentat, & hyberno ſidere bella movet.
Non tamen eſt illi pretium victoria pugnæ:
Sat putat hac techna nectere poſſe moras.
Sic vitam in mediis expirans naufragus undis,
Certa licet mors ſit, pugnat, & obſtat aquis.
Quique gulam laqueo debet, cunctatur, & inſtans
Supplicium differt, quod prohibere nequit.
Iuſtitiæ devota cohors, ſpes unica nobis
Quæ ſuperes, prohibe, quod potes una, nefas.
Sat rixis, pugnæque datum, ſua tempora Phœbus
Poſcit, & Aonides, numina noſtra, Deæ.
Quodq; Deæ cum fratre petunt, hoc languida mor-
Turba rogat, ſacros ante voluta pedes. (bis
Iuſta petit; quicunque foro nos mancipat, ægros
Ille Machaonia barbarus arcet ope.
Majus & hoc auſus, medicam dum litibus artem
Implicat, auxilio queis foret illa, necat.
Quid memorē lacrymas, quas nunc abſente marito
Fundit in ignota flebilis uxor humo?
Per patriam rogat illa ſuam, patrioſque penates,
Quos dirimit veſtra quartus ab urbe lapis.
Bis tria maternis accedunt pignora votis,
Poſt oculis nuncquam forte videnda meis.
Si quis amor patriæ eſt, natis, gens ſacra, parentem,
Da reducem uxori cernere poſſe virum.
Aut ego ſi quidquam merui peregrinus & exul,
Redde viro uxorem, pignora redde patri.

Oſcula

Oſcula conjugibus, quoties dabis oſcula natis,
Dic, procul hinc, noſter, quos amat, hoſpes habet.
Quod tibi jucundum, Dîs arridentibus, illi
Dulce fuit quondam, nunc quoque dulce foret.
Si minus iſta movent, nec tanti noſtra videntur
Gaudia, me Domino; ſed citò, redde meo.
Me Domino citò redde meo, junctiſſima veſtris
Qui tenet invicta ſceptra Britanna manu.
Dum fora, dum lites exercent, debeor illi,
Pars ego Pæonii quantulacunque chori.
Ille meam, quæ te penes eſt, jam poſcit opellam,
Et queritur rauci jurgia lenta fori.
Quodque fidem ſuperat, precibus rex ſuſtinet uti,
Heſperiam pro me ſollicitatque Deam.
Annuit oranti Dea, quæ te protegit armis,
Iuſſit & illuſtres pondus habere preces.
Si Regis, ſi magna Deæ eſt, & ſacra poteſtas,
Vota tibi Regis ſint rata, juſſa Deæ.
Aſt ego quid ſtimulos demens currentibus addo,
Et volucri pennas, remigiumque Notis?
Iuſtitiæ tu ſponte litas, nec fraudibus ullis,
Nec pretio flecti, vel prece jura ſinis.
Quod petimus; ſperare licet, mens conſcia recti
Id jubet, & nullo fulta querela dolo.
Quin tua res agitur, pro te nos iſta ciemus
Prælia, jus patriæ perſequimurque tuæ.
Omnis in hoc nobis labor eſt, tua ſub juga miles
Vt veniat, leges accipiatque tuas.
Dum mihi luctatur, ſi fors tibi ſupplicat ille,
Techna ſubeſt votis, ludibriumque tegit,
Dum poſcit, ſequiturque, tuum fugit ille tribunal,
Et vafer externo quærit in orbe forum.
Nulla ſalus illi, vel ſpes, ſi dempſeris antrum,
Hic ubi vi partas fraude tuetur opes.
Hic ſcopulos inter ſua vibrat fulmina, judex
Hîc ſedet in cauſa, proh pudor, ipſe ſua.
Non ego judicibus renuam certare Gelonis,
Barbara nec Getici jura ſubire fori.
Nec Marii, aut Syllæ, Siculi nec recta tyranni

Defugio, lis hîc ſi dirimenda venit.
Ipſe mihi detur Scinis arbiter, ibo Corinthum
Protinus, Iſthmiacas ſternar & ante cruces.
Nil ego detracto, proceres; hoc deprecor unum,
Ne ſua Ionſtonum Cacus in antra trahat.

Elegia ad Reverendum & Ampliſſimum Virum D. Nicol. du Fief, Conſiliarium in ſuprema Curia Mechlinienſi, cum ſententia eſſet ferenda.

TEr tribus ignotum ſulcavi menſibus æquor,
Et maris infeſti tædia mille tuli.
Nunc mihi ſe tandem tot poſt faſtidia, tellus
Oſtendit, votis ſæpè petita meis.
Nil magè jucundum, ſed dum prope littora cerno,
Neſcio quis turbat pectora noſtra metus.
Æquoris in medio puppis ſecura pericli eſt,
Pandit & inſanis carbaſa tota Notis.
Littora naufragiis magè ſunt obnoxia, prudens
Suſpectum ſemper navita littus habet.
Æquoris immenſi victricem, & vela legentem
Vidimus in portu ſæpè perire ratem.
Fife, decus patriæ, fer opem, novus advena ſupplex
Quam petit, & timidæ dirige puppis iter.
Hic Helicen, alius Cynoſuram ſpectet, & ignes,
Hos præter ſi quos turba marina notat.
Nil mihi cum ſtellis, acies te noſtra tuetur,
Quo nihil in cæli clarius axe micat.
Orbe procul patrio peregrini littoris oram
Dum lego, tu Pollux, tu mihi Caſtor eris.
Te duce, quæ metui, caput objectabo periclis,
Velaque ſecurus per vada cæca feram.
Sin mihi quid forſan fatis obtingat iniquis,
Et quo non merui more perire ſinas:
His, ubi naufragium feci, fac condar in oris,
Et gerat hunc titulum qui teget oſſa lapis:
Dum fugit infælix Caci Ionſtonus ab antro,
Ad quam confugit, proh pudor, ara necat.

Ad eundem de Litis Prorogatione.

FIfe, quod, heu, nuper timui, nunc ſidera læva
Experior, vanus nec fuit ille timor. Litto-

Littora dum legimus, miſcetur murmure pontus,
Raptat & attonitam dira procella ratem.
Redditur Oceano, quem jam ſuperaverat, alnus,
Omnis & ex oculis terra petita fugit.
Numina quæ ſtatuunt, veneror, nec facta Deorum
Inſimulem, non ſi fiſſa dehiſcat humus.
Flere tamen fas eſt ſortis ludibria noſtræ,
Et quæ ſuſtinui, perpetiorque, queri.
Quæ tulit illæſo deflevit Cæſare damna
Inter inhumanos Naſo poeta Getas.
Non ego ſum Geticas fateor projectus in oras,
Plus tamen hîc cogor, quam tulit ille, pati.
Exul erat Naſo, caris orbatus amicis,
Paſſus & eſt vidui tædia longa thori;
Quodque magis miſerum, nec ſpes, nec finibus illis
Fas erat optato principis ore frui.
Hæc ego ſuſtinui, quamvis nec Cæſaris iram
Commerui, nec res viſa nefanda mihi eſt.
Atque utinam damnis ſors his contenta fuiſſet
Dura, nec aſperior pœna luenda foret.
Ludus erat, ſi, quæ patior, mala tædia confers,
Sarmatico quicquid Naſo ſub axe tulit.
Lucta Tomitani non eſt cum frigore cæli,
Nec metuo ſtolidus quæ tenet arma Getes.
Res mihi cum Rufo; res eſt cum milite, rixas
Qui ferus, & lites, ſed ſine fine, movet.
Hæc mala ſi ſpectet, damnabit Naſo libellos,
Et quod de Getico littore miſit opus.
Quæ tulit in Ponto, faſtidia parva vocabit,
Dicet & exilium lene fuiſſe ſuum.
Spes erat, Antiſtes, Themidi qui ſacra miniſtras,
His eluctari, te duce, poſſe malis.
Sed nova me rurſus tempeſtas jactat, & undis
Dat latus inſano victa labore ratis.
Te tamen è mediis dum ſpecto fluctibus, & mens
Et ſpes auxilii, quæ fuit ante, redit.
Dexter ades, Clariæ decus & tutela cohortis,
Hujus pars ego ſum quantulacunque gregis.

Sancta laboranti res eſt ſuccurrere vati,
Et cum patre novem ferre deabus opem.
Quinque bis in cælo Delphin pius explicat ignes,
Hæc pro ſervato præmia vate tulit.
Quæ tulit hic, ſi fas, opto tibi ſidera ſerò,
Tu tamen auxilio me cito, Fife, juva.

Elegia ad Reverendiſſimum & Ampliſſimum Virum D. Philippum Ionart, Conſiliarum in Curia Mechlinienſi.

OMnia nunc rident, aer, mare, ſidera, tellus,
Quicquid & immenſo Phœbus in orbe videt.
Solus ego, dum veris agit nova gaudia mundus,
Mœſtus in ignotâ plangere cogor humo.
Sol meat, & remeat, magnum dum circuit orbem,
Vnica me tellus, nec mea, ſemper habet.
Quoque magis doleam, lites ſine fine, modoque,
Neſcio quæ Nemeſis, ſed minus æqua, movet.
Iuſtitiæ qui fræna regis, Ionarte, clienti
Porrige, dum ſpirat, quam potes unus, opem.
Serius auxilium eſt, cum tecta dedere ruinam,
Cum ratis æquoreis hauſta dehiſcit aquis.
Hei mihi Ionſtoni nunc tecta labantia nutant,
Quæque vehit, rimas undique puppis agit.
Dum fora ſurda tenent, ſenſim res labitur omnis,
Inque dies nullo fine teruntur opes.
Sic ubi dira lues hæſit pulmonibus, ægrum
Paulatim lenta tabe perire vides.
His ego dum crucior, qui me premit, otia miles,
Proh pudor, in patria rupe quietus agit.
Hinc ferus inſultat, noſtro ſe ſanguine paſcens,
Et, tanquam geſta re benè, cantat Io.
Non ego Phœbæis ſubtraxi curribus ignem,
Quæ tamen hæc meruit culpa, nefanda luo.
Vt miſer in Scythica religatus rupe Prometheus,
Sic ego Caucaſeam paſcere cogor avem.
Tu niſi ſuccurras, perii miſer unguibus iſtis,
Qui regat, ingluvies non habet iſta modum.
Auſus in, heu, vinctum ſævire Promethea vultur

Herculea ſenſit ſpicula miſſa manu.
Tu novus Alcides ultrices prome ſagittas
Ocyus, & meritæ da fera monſtra neci.
Romanam Fabius cunctando reſtituit rem:
Hei mihi, cunctando res mea tota perit.

Ad Curiam Mechlinienſem Εὐχαριστικὸν.

VIcimus, & pelagi tandem ſubducta periclis,
Soſpes, Io, portum noſtra carina tenet.
Dî, quibus auſpicibus ſuperavimus æquora, veſtros
Vota ſoluturi ſternimur ante pedes.
Par animus votis, ſed quæ dare munera vatum
Gens ſolet, auguſtis ſunt minus apta tholis.
Nil præter numeros, & verba ſonantia, Phœbi
Quotquot, & Aonidum caſtra ſequuntur, habent.
Hæc tamen acceptæ pretium, & monimenta ſalutis
Munera, ſi fas eſt, quantulacunque fero.
Audiet imprudens, fors & temerarius autor,
Dona tamen gratæ pignora mentis erunt.
Quique dat hæc, animus veſtras devotus ad aras
Siſtitur, & pars eſt muneris ipſe ſui.
Ceſſit Abantiadæ monſtris erepta marinis
Andromede; pretium virgo ſalutis erat.
Sacra cohors, magnus quod de Cepheide Perſeus,
Hoc de Ionſtono te meruiſſe puta.
Hærebam ſcopulo vinclis oneratus, & hoſti
Guttura præbebam mox jugulanda truci.
Me tua ſervavit pietas; hæc una catenas
Dempſit, & in jugulum tela parata meum.
His ego pro meritis, cum deſint præmia factis
Digna, tuus dicar tempus in omne cliens.

Ad Reverendiſſ. Viros D. Nic. Du Fief, & D. Philip. Ionart. Conſiliarios Curiæ Mechlinienſis Ampliſſimos.

FIfe, Caledonii jus, & Ionarte clientis
Ambo ſimul forti ſuſtinuiſtis ope.
Amborum qui ſenſit opem, ſimul impiger ambos
Nunc adit, & grates, quas meruiſtis, agit.
Nitimur exemplis: ſacræ vetus incola rupis,

Terminus

Terminus Auſonio cum Iove templa tenet.
Et duo Tyndaridæ cum ſint, pia numina, fratres,
Vna tamen gemino ſternitur ara Deo.
Vos mihi Tyndaridæ, veſtro mihi numine tellus
Redditur, & quæ jam fugerat, alma ſalus.
His ego ſi meritis coner par reddere, demens,
Quod tulit Alcides, tollere nitar onus.
Omnia dum penſo, meritis dum confero tantis
Præmia, deficiunt, & leve pondus habent.
Queis litat Heroum gens fortunata, juvencos,
Ipſaque, dum libat, thura perire videt.
Pars abit in fumos, pars hæc vaneſcit in ignes,
Qui ſupereſt, venti fit nova præda, cinis.
Fine caret, de me pietas quod veſtra meretur,
Nec niſi cum cælo, ſideribuſque ruet.
Quas dare fortunas poteram, ſors abſtulit, & lis
Ter tribus in triplici menſibus acta foro.
Sed neque gemmiferi mihi ſi fluat alveus Indi,
Et Tagus, hinc vobis dona paranda puto.
Plebs ſitit hæc amens: animis cæleſtibus aurum
Sordet, & Eoæ deſpiciuntur opes.
Spes erat in Muſis, & jam placitura patronis
Sumpſerat Aoniam Calliopæa chelyn.
Phœbus at adverſus, Pariis quid rupibus, inquit,
Marmora, quid Pæſtum mittis inepte roſas?
Hos penes eſt, quicquid dat Caſtalis unda, nec ulli
Plenius ex iſto fonte bibuntur aquæ.
Pæonis ars ſupereſt, ſtudii genus utile; vobis
Sed procul iſtius ſit, precor, uſus opis.
Vivite fælices potius medicamine nullo,
Veſtra nec à dubiâ pendeat arte ſalus.
Quid faciam? nequeo quæ ſolvere debita, vivus
Agnoſcam, veſtro certus in ære mori.

In duos rabulas forenſes, Advocatum & Procuratorem, N. N. Dira.

MAgna minorq; feræ, quarum paris altera lites,
Altera diſpenſas, utraque digna mori;
Vos, precor, excuſſi feriant de nubibus ignes,

Dira

Dira vel æternis ora premantur aquis.
Vel fera præfocet latrantia guttura peſtis,
In cruce vel pendens utraque paſcat aves.
Inque rota fractos exponat ſolibus artus,
Detque necaturis terga ſecanda flagris.
Vel dape ſubtracta, diſtrictis dentibus, atram
Ingluviem ut paſcat, ſeque ſuoſque voret.
Crimina ſi confers pœnis, vincuntur ab illis
Ignis, aquæ, peſtis, crux, rota, flagra, fames.

Sphinx ad Carolum Principem.

EST genitor Phœbus, genitrix mihi Dædala tel-
Fœminea cecidi vix benê nata manu. (lus,
Nec mors una fuit, caput à cervice revulſum
Materiam flammis ruſtica turba dedit.
Qui mihi reſtabat, truncum gens impia vinclis
Preſſit, & injecto pondere merſit aquis.
Hinc trahor, æſtivis inſons ut ſolibus urar,
Membraque per campos intumulata jacent.
Hæc ubi ſuſtinui, duris gens ſæva flagellis
Excipit, & miſeræ tundit utrumque latus.
Mox velut Ixion, pœnas Iunonis amatæ
Qui luit, imponor dilanianda rotæ.
Hinc rapit, & fractos tortor novus alligat artus,
Et premit appenſis ponderibuſque trahit.
Nec modus eſt, aut meta malis; muliebribus armis
Impetor infælix, forficibuſque ſecor.
Non tot amor pectus figit juvenile ſagittis,
In mea quot ſtrictæ membra feruntur acus.
Mille modis tandem lacerum mihi corpus in undis
Atteritur, fibris excutiturque ſuis.
Mollius incudes media tunduntur in Ætna,
Dum parat invicto Mulciber arma Iovi.
Hos ego per caſus, per tot diſcrimina, Princeps
Strena tuis ſervor quantulacunque tholis.
Nemo minus, ſi me, ſi quæ dant candida penſas
Pectora, nemo dedit plus tibi, nemo dabit.

Apologia pro Thaumantia obſtetrice ad Senatum Abredonenſem.

SAcra cohors, oculis olim mihi charior ipſis,
Nunc ego te contra, quæ legis, arma paro
Sæpè recuſavi patriæ violare parentes,
Sæpe nefas duxi bella movere Deis.
Sed nequit pietas pietatis imagine vinci,
Sumere me patriæ tela coëgit amor.
Tros pius è ſtratis patriam cum cerneret uri,
Exiliit, trepida ſumpſit & arma manu.
Hei mihi, nunc patriæ metuo; nec vana timoris
Cauſſa, ſed eſt certam vix habitura fidem.
In patriæ jugulum quis conjuraſſe Senatum
Credat, & humanum tollere velle genus?
Te tamen alma cohors, quæ legum fręna gubernas,
Criminis iſtius quis neget eſſe ream?
Carcere Lucinæ famulam dum condis, & orbi,
Et patriæ exitium, perniciemque creas.
Hac ſine quis dias in luminis exeat oras?
Hac ſine quis patrios vagiat ante Lares?
Pelle ſimul Venerem, Veneris ſi ferre miniſtram
Non potes, Idaliæ gaudia pelle Deæ.
Quid juvat uberibus ſementem credere ſulcis,
Si nemo eſt, Cereris qui bona falce metat?
Quid juvat, aut pomos, aut lentas ponere vites,
Dulcia ſi nequeant poma, vel uva legi?
Sponte ſuâ, fateor, proles quandoque parenti
Excidit, & famulam nemo miniſtrat opem.
Sed quis in Oceano fortunam præferat arti,
Et mallet caſu quam ratione regi?
Non tot in Heſperio concurrunt æquore Syrtes,
Sæva puerperii quot mala nixus habet.
Languida nunc mater, nunc eſt ſine viribus infans,
Sæpè nocet moles; invia ſæpè via eſt.
Ah quoties exire parans præpoſtera proles,
Vertice quod decuit pellere, calce ferit?
Talis Agrippiadæ fertur genitura Neronis,
Ipſius Agrippæ talis origo fuit.

Sæpe parens ne fœta cadat, vel fœtus, anili
Cogitur obſtetrix ſumere tela manu.
Quæque nequit manibus, recludit viſcera ferro,
Servat &, incolumi matre, parentis onus.
Hac ope Romulidum princeps, & gloria, Cæſar,
Hac ope ſervatus Manlius ante fuit.
Quique Libyſſina primos de gente triumphos
Egit, & everſo nomen ab hoſte tulit.
Adde, quod ipſa Deûm gens obſtetricibus uſa eſt,
Sors hæc Latonæ parturientis erat.
Hæc tulit, ut perhibent, Phœbum, Phœbiq; ſororem;
Partus erat geminus, fœtus uterque Iovis.
Sponte ſoror ſtrepitus inter ſe monſtrat & arma,
Inque recens orta lux nova fulget humo.
Maſcula dum proles cunctatur, mille dolores
Fert genitrix, miſeris obruiturque malis.
Brachia nunc palmæ, nunc amplexatur olivæ,
Nunc Iovis implorat, qui vitiarat, opem.
Nata recens tandem parituræ diva parenti
Adſtitit obſtetrix, auxiliumque tulit.
Natales hos ante tuos, Lucina, Deorum
Ah nimis infælix, & miſer ortus erat.
Pallada quis neſcit, tacto quam vertice fertur
Iupiter è cerebro progenuiſſe ſuo?
Menſe patri decimo pulſabat tempora proles,
Cœperat & cerebri dilacerare ſinus:
Sæpè caput quaſſat, tentans expellere fœtum
Iupiter, & circum ſidera cuncta tremunt:
Sæpe puerperii mediis in nixibus æger
Deficiens optat Numina poſſe mori:
Omnia cum fruſtra rector terræque polique
Tentaſſet, fabri, proh pudor, uſus ope eſt.
Mulciber, è Sicula properans fornace, ſecurim
Impegit, medium diſſecuitque caput.
Hac ope, cum clypeo Tritonia Pallas & haſta
Dicitur è cerebro proſiluiſſe Iovis.
Hanc quanti feciſſet anum tum Iuppiter, altis
In tenebris quæ nunc ſemiſepulta jacet?
Hæc patris intacto traxiſſet vertice prolem
Illæſam;

Illæſam; tantæ eſt dexteritatis anus.
Quis numeret, quot opē tulerit manus iſta puellis,
Hic ubi Dea freto, Donaque miſcet aquas ?
Quæ mihi juncta thoro eſt cum nata ſufficit uxor ;
Vtraque ſervati pars fuit una gregis.
Penè decem conjunx Lunæ numeraverat orbes,
Et maturuerat jam grave ventris onus:
Nil ego non lætum ſperabam : florida prolem
Sponte videbatur depoſitura parens:
Sic caput autumno demittit Palladis arbos,
Pomaque tum nullo decutiente cadunt :
Sed mihi vana fuit ſpes omnis, & irrita vota;
Vota procelloſi ſpemque tulere Noti.
Nixibus in mediis mater defecit, & infans,
Et timui ne mors tolleret una duos,
Arte Machaonia lethum conabar & herbis
Pellere, quas medicæ præbuit autor opis.
Sed nihil arte, nihil juvit radicibus uti:
Augebant potius gramina noſtra malum.
Sola meis porrexit opem Thaumantia rebus ;
Sola laboranti Numinis inſtar erat.
Hæc mihi cum dulci ſervavit conjuge natam,
Primitias thalami deliciaſque mei.
Me quoque ſubduxit letho, qui funere prolis
Mœſtus & uxoris commoriturus eram.
Forſitan auxilium vetulæ ſenſiſtis & ipſi,
Quorum judicio nunc rea fertur anus.
Hujus opem teneræ ſaltem ſenſere puellæ,
Vos quibus obſtrinxit nupta ſororque Iovis.
Sæpe laborantes juvit Thaumantia ; notam
Omnibus illius ſuſpicor eſſe manum.
Pignora quis numeret, vel quos dedit ille nepotes ?
Promptius expediat quot parit Hybla favos.
Tota ſuos illi debet Reſpublica cives,
Munia qui pacis, qui fera bella gerunt.
Hanc poterat nondum ſpirantem perdere gentem,
Et vitæ digitis rumpere fila ſuis.
Expilare genis oculos, & frangere crura,
Et poterat talis diſſociare pedes.

Mille

Mille juvare modis potuit, totidemque nocere,
Doctior in toto nec fuit orbe manus.
Non erat hac Salpe, non ipſa peritior olim
Lais, Apollineæ gentis & artis honos.
Illius auxilio ſervaſſet Piſo maritam,
Cum cecidit triſti funere facta parens.
Cruda nec uxoris luxiſſet funera Cæſar,
Hic qui de caligæ nomine nomen habet.
Iulia nec moriens interturbaſſet honores
Conjugis, hanc ſi tum Roma tuliſſet anum.
Hanc tamen indulgens odiis & mollibus iris.
Neſcio qua patriæ Curia lege premit.
Impius Alcmæon, Nero portentoſus habetur.
Lædere qui matres ſuſtinuere ſuas.
Eſt Agamemnonius furiis agitatus Oreſtes,
Nempe quod in matrem ſævus & ille fuit.
Heu vereor turbæ ne vos accenſeat iſti
Scotia, dum confert facta vetuſta novis.
Abditur in tenebras, populum quæ lucis in auras
Extulit, & patriæ publica mater erat.
Vivite majorum lætis in vallibus umbræ,
Quæque reliquiſtis, molliter oſſa cubent.
Hæc mala ſi veſtro preſſiſſent tempore Majas,
Obrueret patrias quanta ruina domos!
Gens ubi Memneſidum, caput & tutela Senatus,
Rhetorfortiadum gens ubi ſacra foret?
Stirpe Coliſſonii, caruiſſent ſtirpe Culeni,
Vrbis, & Arctoæ gentis utrique decus.
Quid te commemorem Liddeli, dura ſororis
Captivæ quem nunc plangere fata reor?
Quid memorem patriæ Cargillos ſidera fratres,
Lumine qui replent orbis utrumque latus?
His comes eſt meritis par Wadderburnus utrique,
Nec ſi de patria migret, honore minor.
Carcere ſi lucis clauſiſſent priſca miniſtras
Sæcla, tot heroum nemo futurus erat.
Sed ruit in pejus cum mundo ſerior ætas,
Spretaque cum famulis nunc Prothyræa jacet.
Ah vereor, ne nunc ſumptis puer aliger armis
Avolet,

Avolet, & terras deſerat alma Venus.
Quæ, niſi certa mori, thalamos intrare mariti
Audeat, & femori ſuppoſuiſſe femur?
Dum furit, & noctu juvenis vagus ardet, & alget,
Si ſapit, oranti claudet amica fores.
Gaudia laſcivæ fugient conſueta puellæ,
Nec dabit ulla putres oſcula præter anus.
Oſcula ſi qua dabit, mores imitabitur urbis,
Quæ caput imperii nuper & orbis erat.
Matribus Auſoniis olim carpenta Senatus
Abſtulit, in medio juſſit & ire luto.
Senſit ut opprobrium gens implacabilis iræ,
Protinus ingratos dicitur ulta viros.
Quæque ſibi nondum maturi pignora ventris
Excutit, ut conjunx deſinat eſſe parens.
Pœnitet edicti Patres, patriæque timentes,
Matribus antiquum reſtituere decus.
Non minor Arctois facta eſt injuria Nymphis,
Nec cadet in veſtras mollior ira nurus.
Quæ paritura fuit, nunc, obſtetrice remota,
Excutiet, nullo crimine, ventris onus.
Forſan & armato concurrent agmine matres,
Marte petituræ quam rapuiſtis anum.
Triſte ſecurigeras bellum moviſſe puellas,
Inque ſuos perhibent arma tuliſſe viros.
Nec prius infandas poſuit gens ſæva ſecures,
Cæde maritorum quam rubuiſſet humus.
Bella gerit peltata cohors, dum jura mariti
Spernit, & imperium ferre virile nequit.
Sumere cogentur Nymphæ Doneides arma,
Vt ſibi depellant, pignoribuſque necem.
Quis ſtatus urbis erit, fora cum nuptæque, nuruſq;
Fœminea cingent, diripientque manu?
Arma dabit rabies; ſilices per roſtra videbis,
Inque Senatorum tecta volare faces.
Nata patris, conjux in guttura conjugis ibit;
Ibit in effœti lumina neptis avi.
Vnguibus hamatis ſoceri nurus obvia vultus
Impetet, & pugnis tundet inerme caput.
Hæc

Hæc metuenda veru prætorem tranſfiget, illa
Franget in adverſi conſulis ore colum.
Omnia turbabunt, vetula potiantur ut illa,
Qua ſine ſe tutam nulla puella putat.
Integra dum res eſt, dubium prævertite bellum,
Cedite conjugibus, quod ſine Marte petunt.
Non meruere thori ſociæ, quod ferre coacta eſt
Argolis Alcmene, crimine facta parens.
Noctibus hæc ſeptem, totidem cruciata diebus
Dicitur, Alcidem cum paritura foret.
Quam latura fuit, miſeræ ſubducere matri
Barbara Lucinam Iuno coegit opem.
Argolis hanc merito perſolvit adultera pœnam,
Noctibus auſa tribus detinuiſſe Iovem.
Fida manent vobis, proceres, connubia, nuptæ
Criminis exortes, & ſine labe nurus.
Hæ ditant & prole domos, & civibus urbem,
Sparta quibus poſſet, Roma vel ipſa regi.
Has facit, exultans meritis, Thaumantia matres;
Publica res hujus ſtatque caditque manu.
Criminis in ſpeciem, vetulæ petulantia linguæ
Objicitur, miſeris excipiturque modis.
Eſt vitium hoc, fateor, (quid enim lucere negemus
Aſtra?) ſed hoc vitio fœmina nulla caret.
Clava quod Alcidæ, quod Achilli Pelias haſta,
Hoc eſt fœmineo lingua petulca gregi.
Nec latus accingit nocituro fœmina ferro,
Nec gerit imbelli ſpicula ſæva manu.
Lingua vicem gladii præſtat, vice lingua ſagittę eſt;
Cominus obſtantes, eminus illa ferit.
Nec magis hæc frænum patitur, quam concita ti-
Nata vel in Libycis torva leæna jugis. (gris,
Inque dies ſumit linguæ petulantia vires,
Quoque magis vetula eſt, hoc mage garrit anus.
Tuſſe putri ſi quæ dentes ſimul exſpuit omnes,
Mordet adhuc, vetuli peſſima more canis.
Hac quoque parte ſui fas obſtetricibus uti eſt,
Si manus apta ſat eſt, crimine lingua vacat.
Quis, precor, objecit Phariis mendacia Majis,

Tot quibus infantes eripuere neci?
Crimen erat, fateor, vetulas illudere regi,
Crimen at hoc toto de grege nulla luit.
Quotquot erant, omnes raræ pietatis & artis
Luciferæ juſſit præmia ferre Deus.
Nube tegi voluit fallacis crimina linguæ,
Vos decet exemplum, quo præit ille, ſequi.
Non petit hæc, matres bona quæ meruere Canopi,
Quæ patitur, ſatis eſt, poſſe carere malis.
Luminis uſuram quæ dat mortalibus, illi
Fas ope ſit veſtra lumine poſſe frui.
Sin lucis vitæque parens in carceris umbra
Lege cadit, tumuli diſtichon iſtud erit:
Quæ jacet hic, vetulæ meruit fors lingua perire,
Dextera non meruit tam precioſa mori.

Apologia pro nautis Lethenſibus, ad Paulum Menneſium Equitem auratum, Præfectum Abredonenſem.

QVid tibi cum pelago, Menneſi? legibus æquis
Fulta quid in nautas urbs tua juris habet?
Sunt, quibus imperites, liquidi cũ montibus amnes:
Æquoris æquoreo jura relinque Deo.
Supplicium ſi quod meruit Neptunia proles,
Hic gerit ultrici tela triſulca manu.
Si tamen in pelagus jus eſt tibi, nautica pubes
Sat, decus & famam quo tueatur, habet.
Quod ſcelus objectas? Letheæ furta carinæ
Scilicet, & plenis hauſta falerna cadis.
Hæc cives delicta vocent: ſine crimine fur eſt,
Cæruleum quiſquis per mare vela regit.
Primus inexpertis auſus dare lintea ventis,
Seque maris dorſo credere, prædo fuit.
Aurea Phryxæi pecoris geſtamina Colcho
Abſtulit, Argivis impoſuitque tholis.
Rapta tamen nullas meruerunt vellera pœnas,
Prædo nec obſtrictus crimine Typhis erat.
Sed tulit hic laudes generoſi præmia facti,
Inter & heroas nobile nomen habet.
Quaque vehebatur, nunc cælum navigat Argo,

Explicat & novies quinque ſerena faces.
Artibus ingenuis quæ præſidet, innuba virgo,
Hæc latrocinii præmia ferre dedit.
Scilicet eſt Superis gens prædatoria curæ,
Furtorum ſocios credit & eſſe Deos.
Ipſe Deûm interpres fures Cyllenius inter
Emicat, & furti creditur eſſe parens.
Hoc ſatus Autolycus patrias non degener artes
Calluit, & piceas ſtrinxit ubique manus.
Nec ſocios duntaxat habet de plebe Deorum:
Quem colis, immenſi furta revolve Iovis.
Singula quis numeret? de multis ſufficit unus
Phryx puer, & Tyrio rapta puella ſeni.
Hanc pater æthereus nivei ſub imagine tauri
Abſtulit, hunc falſa diſſimulatus ave.
Nec puduit furti monimenta perennia cælo
Supremo digitis inſeruiſſe ſuis.
Explicat hîc volucris, puerum quæ ſuſtulit, ignes,
Nec procul hinc pueri, quem tulit, urna nitet.
Virginis hîc raptor bos ſeptem terga puellis
Subjicit, æthereas & nitet inter aquas.
Quin & Agenoreum quæ tangunt ſidera taurum,
In pretio Divis furta fuiſſe monent.
Hinc pecus, inde pio rutilat cum Caſtore Pollux;
Præda pecus, prædo frater uterque fuit.
Numen uterque maris naucleros artibus illis
Imbuit, ad mores inſtituitque ſuos.
Tunc quoque promeruit cælum Tirynthius heros,
Aurea cum cæſo poma dracone tulit.
Nec pudet hunc furti: quem compilaverat horti
Cuſtodem pedibus ſed premit uſque ſuis.
Tunc genus Iapeti fælix, tunc ſecla fuerunt
Aurea, nec potior paupere dives erat.
Vicini tondebat oves ſine crimine pauper,
Divitis immiſſa falce metebat agros.
Tum licuit certare dolis, & vivere rapto,
Furis honorificum nomen ubique fuit.
Furis inoffenſo gaudebat nomine ſervus,
Turgidus hoc ipſo nomine miles erat.

Non alio naſci debebant tempore nautæ,
Moribus antiquis qui rapuere merum.
Navita vel noſtro naſci ſi debuit ævo,
Alterius meruit jura ſubire fori.
Conſule Niliaci mores & jura Senatus,
Furta probat, furum proſpicit ille bonis.
Furibus ipſe ſacer reddebat jura Sacerdos,
Tantus erat lepidæ gentis, & artis honos.
Altera pars prædæ Domino, pars altera furi
Cedebat; quadrans hæc, ut opinor, erat.
Nullus in orbe locus Lacedæmone juſtior audit,
Te decet exemplum, quo præit illa, ſequi.
Martia gens paſſa eſt furtis aſſueſcere cives,
Furta tamen voluit dexteritate regi.
Non erat armatis locus hic prædonibus aptus,
Qualis Apollinea Brennus in æde fuit.
Hic tamen Autolyci meruiſſet dextera laudem,
Et quæ ſurrepto claruit igne manus.
Fors & Aventinus ſperaſſet præmia paſtor,
Qui catus averſos traxit in antra boves.
Nec qui judicibus coram diſparuit, illic
Eurybatis poterat non placuiſſe dolus.
Cui tua perniciem, Menneſi, roſtra minantur,
Pars eſt iſtius turba marina gregis.
Non vafer Autolycus, non illam vinceret Hermes,
Filius hic quamvis ſit Iovis, ille nepos.
Quid non ingenii, quid non tunc attulit artis
Dedaleæ, ſenſit cum ſua furta premi?
Non ita compoſitas vidit gens Troica technas,
Sublevit miſeræ cum vafer ora Sinon.
Ipſa quod, urbe tua procul, expilaverat, hoſtes
Dictitat armata diripuiſſe manu.
Neve putes hæc ficta dolo, tempuſque, locumque,
Verbaque prædonum triſtis, & ora refert.
Quodque refert, jurat; (tanta eſt fiducia gentis)
Nec pudor ora notat, nec quatit oſſa metus.
Hic quæ Romanos deceat conſtantia cives:
Hic & Spartanæ pectora gentis erant.
Quiſquis in hac furtum culpat, pœnamq; minatur,
Ingenii

Ingenii ſaltem laudet & artis opus.
Sed nec erat tanti furtum; quod per mare vexit
Gens rea, de poto tota querela mero eſt.
Quis putet eſſe nefas, domini ſi vinitor uvas,
Aut olitor guſtet, quas habet hortus, opes?
Vere novo menſis domini quod colligit, exors
Criminis hoc ipſo nectare vivit apis.
Quodque gerit dorſo miſerandæ ſortis aſellus,
Hoc ipſum nullo crimine prandet olus.
Fercula quæ curat tinctam fuligine gentem
Adſpice, prægustat, quas parat illa dapes.
Forſan & hoc, patriæ merx ne peregrina noceret,
Gens pia libandum cenſuit ante merum.
Si quid in hoc noxæ, ſi quid fortaſſe veneni
Hic fuit, hoc patriæ ſpernere juſſit amor.
Sic dux Cecropidum, patriam ne læderet, hauſto
Sanguine taurino maluit ante mori.
Forſan & hunc præter reliquus defecerat humor;
Nec maris in medio, quod biberetur, erat.
Quid faceret? nec ferre ſitim, nec gurgite ſalſo
Æquoris, halecum more, levare poteſt.
Nec meruit, quas jure luit pro crimine pœnas
Tantalus, in mediis quem ſitis urit aquis.
Sed nullam tunc finge ſitim: quis poſſet Iacchi
Vt cupiat, ſuccis abſtinuiſſe manus?
Neſcio qua rapiat liquor hic dulcedine mentes,
Officii memores nec ſinit eſſe ſui.
Sæpè mero priſci virtus immenſa Catonis
Dicitur ante ſuos incaluiſſe lares.
Quique ſibi terras olim ſubjecit & undas,
Bacche, tui Macedo victus amore fuit.
Ennius ipſe bibax, & erat vinoſus Homerus,
Tota licet præſto Caſtalis unda foret.
Quos ſitiunt belli proceres & pacis alumni,
Hos latices nautas cur tetigiſſe nefas?
Nulla, Caledonios inter, gens ſiccior illa eſt,
Nulla magis Bacchi dona bimatris amat.
Nautica gens ipſum quo primum tempore Bacchū
Vidit, adhuc puerum fertur amaſſe Deum.

Ille, mero ſomnoque gravis, ſtertebat in umbra,
Hic ubi Chia mari proxima ridet humus :
Conſpecto gaviſa Deo eſt Neptunia pubes,
Nec mora, ſublato numine , vela dedit.
Bacchus adhuc madidus rideri ſe ratus iras
Induit, & nautas cum rate merſit aquis.
Præmia ſed meruit pietas : hos piſcibus addit
Iuppiter, æquoreo præpoſuitque gregi.
Nunc quoque, muta licet, ſociis prædicere ventos,
More prius ſueto , præſcia turba ſolet.
Quique tenet cælum, non vexit Ariona Delphin,
Sed gregis iſtius pars, reor, una fuit.
Hæc tibi ſi nequeunt, Menneſi, flectere mentem,
Et rigor in nautas, qui fuit ante,manet :
Aſpice quas propriis permittis civibus artes,
Vrbs quibus , ut cupiat , nulla carere poteſt.
Dædala ſartorum gens eſt exercita furtis,
Furta ſed ingenii calliditate tegit.
Non Iovis hæc pallæ , digitis ſi tangeret uncis,
Parceret, aut peplo, magna Diana, tuo.
Textor olens tot furta parit, quot ſtamina nectit,
Tot molitor fraudes , quot mola grana terit.
Quis mercatores non addat furibus , idem
Cum tutelaris præſit utriſque Deus?
Nec tua, Phœbe, cohors minus eſt rea criminis hu-
Si quid in arte ſacra criminis eſſe poteſt. (jus,
Naſo Maronis opus , Maro compilavit Homerum,
Orphea Mæonides , forſitan ille Linum.
Hæc quoq; nos Cyrrha procul, & Permeſſide lym-
Quæ damus,alterius carmina forſan erant. (pha,
Aſpice Martigenam populum, gentemque togatam,
Exemplo nautas protegit illa ſuo.
Structa latrociniis ſunt altæ mœnia Romæ,
Romulus ipſe pater prædo, Remuſque fuit.
Dum ſtetit , ex rapto vixit Romana poteſtas,
Nec niſi prædonum turba Senatus erat.
Quas gerit in ſignis , mores imitata volucrum eſt
Romula gens, & quæ ſuxerat ora lupæ.
Fas erat imperio vicinas addere gentes,

Regnaque, quæ poterant Marte vel arte capi.
Nulla tamen labes fuit illis juncta rapinis,
Sacra ſed audivit Roma, Deûmque locus.
Nunc tua divexat gentem cenſura marinam,
Quam cernis tenui fonte levaſſe ſitim.
Omnia qui rapuit, menſis accumbere Divum
Cæſar, & autorem fertur habere Iovem.
Tu, pudet, heu, fures vocitas, moderamine miro,
Dolia qui miſeri pauca bibere meri.
Ter duo ſunt nautæ, duo tantum pota fuerunt
Dolia, contentus quiſque triente cadi eſt.
Nec cauſam mercator habet, vel caupo querendi,
Carius hoc reliquum vendat uterque merum.
Cara nimis cives Bacchi ſi forte querantur
Munera, potari parcius illa jube.
Hac ope diceris juvenumque, ſenumque ſaluti,
Et, quæ depereunt, conſuluiſſe bonis.
Præmia ſi nequeunt, veniam benefacta merentur:
Publica cum furto commoda juncta vides.

Apologia Piſcatoris.

MYſta meis bellum toties cur retibus infers?
Piſcari ſacra cur ego luce vetor?
Quo premor, edictum ſolos obſtringit Apellas:
Nos genus Iapeti libera turba ſumus.
Iuſta Dei lex eſt, agnoſco, ſed invida nulli
Creditur, hac cæli curia labe vacat.
Septima lux feſta eſt, ſed iners & inutile terris
Quis, niſi mentis inops, tempus id eſſe putet?
Hac Deus ipſe manum curavit ſydere tactam,
Nec comites ſpicis abſtinuiſſe vides.
Luce ſacra ſcelus eſt vel raſtro frangere glebas,
Cogere vel feſſos ſub juga panda boves.
His exerceri pluviæ ſecurus & auræ,
Et ſine jactura luce ſequente potes.
Hei mihi, quam nobis brevis eſt occaſio lucri!
Avolat hæc pennis ocyor, Eure, tuis.
Salmo meis hodie ſalit, & laſcivit in undis,
Cras fugiens ſupero figet in amne larem.

Cur mihi ſubduci patiar mea, mentis egenus?
Cur, ego quas pavi, glutiat alter oves?
Sponte ſua veniunt, & quærunt retia piſces;
Quis furor oblatas tangere nolle dapes?
Hoc quoque pondus habet, feſtis quod ſæpe diebus
Piſcibus uberius luxuriantur aquæ.
Lux ſacra cur offert prædam, ſi retia pandi
Non ſinit? hac homines ludificantur ope.
Sed nec opus piſcator obit, cum retia laxat;
Hoc apud antiquos nil niſi ludus erat.
Orbe pererrato ſylvas venator & auceps
Dum peragrant, nimius vexat utrumque labor.
Ars mea nil præter delectamenta miniſtrat,
Quemque vetant leges, cura labore caret.
Rupe ſedens alta vitreas ego fluminis undas,
Et nitidi ſpeculor ſquammea terga gregis.
Prædia ſunt lymphæ, ſalmones annua meſſis,
Hoc mihi vectigal penſitat alma Thetys.
Spes ſimul affulcit, lætum de rupe celeuſma
Intonat, arrecta vulgus id aure bibit.
Nec mora, nec requies, levis armamenta juventus
Expedit, & multo remige fervet aqua.
Retia pars ſinuat, ſpargit pars una lapillos,
Pars cava captivo cum grege lina trahit.
Lintribus ejectum mutum pecus inter arenas
Palpitat, & nudo ſub Iove captat aquas.
Hæc necat, enectum pars hæc eviſcerat, una
Tergore deſquammat, condit & una ſale.
Retia cum ceſſant, venamur arundine piſces,
Curvaque mendaci condimus æra dape.
Protinus in prædam cæcæ gens neſcia technæ
Involat, & nimia credulitate perit.
Pabula ſi deſunt; (quis enim tot millia paſcat?)
Æra ſolent pluma multicolore tegi.
Aſſilit illicio ſalmo tyrunculus, hamum
Mox vorat, & prædæ præda fit ipſe ſuæ.
Quid faciat? ſe mergit aquis, indultaque lina
Infelix lacero, qua fugit, ore trahit.
Nunc ruit in præceps, revolat nunc obvius amni,

Nunc miſer obliquo tramite verrit aquas.
Nunc ſe turbidulis rotat & luctatur in undis,
Nunc hiat, & ſerò guttura vana quatit.
Mille fatigatus meandris flumina tandem
Linquit, & in ſicco littore præda jacet.
Mox, ubi fert animus, vel funda verbero lymphas,
Vel jaculo nitidos figo ſub amne greges.
Nunc cava vimineis intrico flumina naſſis,
Scrupea nocturnâ nunc vada luſtro face.
Flumina nunc cæcis mihi vectigalia ciſtis
Depopulor, cryptas Helladis ora vocat.
Hæ, quoties piſces ſuperas nituntur in undas,
Nixibus obſiſtunt, impediuntque vias.
Nec ſatis eſt, crates ſtultum pecus intrat hiantes,
Conditur & cæco carcere muta cohors.
Talis equus, tacitos utero qui clauſit Achivos,
Et turris Danaes, & Labyrinthus erat.
Salmo frequens trepidat, ſtupet, angitur obice clauſus,
Et cancellatas æſtuat inter aquas.
Advolat interea juvenum manus, ocyor Euro
Cingit & attonitum multa carina pecus.
Excutit hic caveas, prædam vehit ille phaſelo,
Pars hæc captivos computat, illa necat.
Nec minus oblectat, ſocios cum ludimus arte,
Ora quibus linimus, præripimuſque dapes.
Imperat obſtantes tolli lux ſeptima clathros,
Liber ut in ſuperas ſalmo feratur aquas.
Exigit edictum pœnas; parere neceſſe eſt.
Panditur amnicolæ porta ſat ampla gregi.
Ne tamen hanc intret, caput hic merſamus equinũ,
Oſſaque brumali candidiora nive.
Huc ubi flectit iter, terretur ſquammea proles,
Et, velut objecto Gorgonis ore, fugit.
Dumque fugit Scyllam, ſævæ ſubit ora Charybdis,
Et perit infelix cratibus hauſta meis.
Mille voluptatum labor hic cumulatur acervo,
Et lenociniis, delitiiſque meris.
Si tamẽ hanc maculat ſcelus, aut levis error opellã,
Numina quæ placet, turba relicta domi eſt.

Nuncupat hic Superis pro nobis vota popellus,
Tu quoque pro populo ſegrege, myſta, litas.
Templa frequentantes pro me cum conjuge nati
Thura propinarunt plurima, plura dabunt.
Thure pio læſi miteſcunt numinis iræ,
Multaque propitios reddit acerra Deos.
Tu quoque cum Superis irarum deſine, myſta,
Stridula ſævitiæ fulmina pone tuæ.
Crede mihi, reliquos feriunt hæc ſpicula cives,
Perque meum foditur cætera turba latus.
Retia ſi pellas, patriâ quoque pelle Lyæi
Munera, debentur mercibus illa meis.
Has ego tranſmitto peregrinæ gentis in oras,
Multa redit vetulo puppis onuſta mero.
Patribus aſſurgam, nullius ſanguine tingam
Spicula, nullius ſollicitabo thorum.
Nullius invadam loculos, perjuria nemo
Objiciet, mentem nulla cupido trahet.
Sit mihi fas uni tantùm ſuccumbere culpæ,
Ah liceat feſto tendere lina die.
Parva mora eſt ſceleris; brevis illi ſufficit æſtas,
Scilicet eſt meſſis tempus id omne meæ.
Nec ſolidum depoſco diem: bis tollitur æſtu,
Bis mihi vicini detumet unda maris.
Dum cumulantur aquæ, fas non eſt retibus uti:
Sic ſacra lux tantum bis violanda mihi eſt.
Luce cadit toties vir juſtus & integer unâ,
Euripus quoties, quas vomit, haurit aquas.
Dic age, cur unus mihi de tot millibus error,
Culpaque duntaxat bis repetita nocet?
Sed nec in hoc culpa eſt, hac ſi me luce fatigo,
Quæ tibi cenſetur feſta, profeſta mihi eſt.
Hac Deus immenſi jecit fundamina mundi,
Primaque lux ſancti prima laboris erat.
Hac chaos, hac cœpit lux nondum ſole creato,
Hac lux à tenebris luce dirempta fuit.
Tempora ſi numeres, Deus illa luce quievit,
Quæ ſacra falcigero creditur eſſe Deo.
Hæc ſacra lux Phæbo eſt, qua tu mihi retia durus
Excutis,

Excutis,ignavos hic Deus eſſe vetat.
Nulla quies illi eſt: famuli nos fluminis undas,
Ille ſuos omni luce fatigat equos.
Diſcrepat hic nobis tenui diſcrimine , curam
Ille gerit mundi, res ego curo meas.
Crimen abeſt facto ; cui non eſt cura peculî ?
Quod ſcelus eſt , ſi ſum proximus ipſe mihi ?
Obſtat,ais,pietas; ſed qui venatur in undis,
Vtile quod non eſt, non putat eſſe pium.
Vulgus amicitias ,connubia, jura, clientes,
Ille Deos ipſos utilitate probat.
Quæ mihi jam mens eſt , ſacri fuit ordinis olim ;
Feſta dies illi quanta tributa tulit ?
Mos erat hac nobis prædam corradere,partem
In decimam ſanctas intulit ille manus.
Hoc ubi diſplicuit demenſum patribus, aucta
Sacra ſequeſtrato piſce culina fuit.
Numinis edictum ſacer ordo refixerat , uno
Sic renuente Deo fert Deus alter opem.
Sancta cohors ſolos hac preſſit lege colonos,
Et vetuit feſta mugere luce boves.
Illius imperio,multum ringente popello,
Sunt piſcatorum colla ſoluta jugo.
Quiſquis erat patrum tam rari muneris autor,
O precor illius molliter oſſa cubent.
Ah vereor ne meus Stygias jus dicat ad undas,
Si quis in his forſan piſcis oberrat aquis.
Hoc ſine quid potet levis & diſcincta juventus,
Quæ Bacchi laticem nocte dieque ſitit ?
Quid pia turba ſenum, Bacchi quæ ſanguine vivit ?
Quid faciant multæ garrulitatis anus ?
Quis colat Aonidas , Bacchi ſi dempſeris uſum?
Ah nimis inſipidæ ſunt Heliconis aquæ.
Lux ubi ſacra redit , madet hoc cum plebe Senatus
Ipſe, nec eſt, feſta luce madere , pudor.
Tu quoque vina Deo libas, nimiumque morantem,
Sæpe ſoles Baccho frangere, myſta,diem.
Quis bibat ingratos, quos præbet Scotia fumos?
Nil præter coctas illa miniſtrat aquas.

Hordea limoſæ miſcentur mucida lymphæ,
Lympha ſui nimis eſt prodiga, parca Ceres.
Has ego miſturas odi cane pejus & angue,
Tutius è Colcho miſſa venena bibas.
Hordea mandat equus, ſerventur piſcibus undæ,
Quiſquis ades, nobis funde falerna, puer.
Sed forſan nec bella mero, nec retibus infers,
Sabbata ſi ſervo, ſatque, ſuperque tibi eſt.
Numina deveneror, tua nec reſcindere juſſa
Fas mihi, ſed nimium dura, nec æqua jubes.
Si mihi luce ſacra labor interdicitur omnis,
Cur tibi ſacrata luce culina calet?
Cur teris ore dapes, & dentem dente fatigas?
Cur ſinis ancillam cædere cortis aves?
Cur penus excutitur? petaſo cur promitur inde,
Et de fumoſis Cæcuba vina cadis?
Iudice te nullis lucebunt ignibus ædes,
Nec de vicino fonte petentur aquæ.
Nemo vacillanti dextram protendere, nemo
De ſcrobe balantem tollere poſſit ovem.
Interdicta Venus foret, & tua ſabbata ſervans
Amplexus fugeret nupta novella viri.
Hærerent ſcopulis miſeri ſine remige nautæ,
Nec foret, auderet qui dare vela notis.
Et ſacra cum fulſit lux, carbonarius ignes
Inter, humo genitis obrueretur aquis.
Quid ſalis artifices memorem? niſi ferveat illis
Iugiter, ah ceſſat, nec reparatur opus.
Quæ vitra, quæ ferrū liquat impenetrabile fornix,
Vtraque ſopito vel ſemel igne, perit.
Hei mihi, cur feſta eſt lux piſcatoribus unis
Septima, quæ reliquis eſſe profeſta ſolet?
Stulta ſuperſtitio eſt numeris involvere mentes,
Hic nimium magicæ calculus artis habet.
Sabbata vel dele, vel differ in otia brumæ,
Cum querimur pigro flumina vincta gelu.
Tunc ego Cælicolum geminabo feſta, profeſtus
Nullus erit, bruma rem moderante, dies.
Lumine dum cæli fruar, & vitalibus undis,
Sculpta

Sculpta Dei digitis cætera juſſa ſequar.
Vni vota Deo faciam, nec ſculptile fingam,
Nec de cæleſti numine vana loquar.
Si tamen his flecti neſcis, parebo, ſed iſtum
Ah celebrare diem me ſine more meo.
Grex pius Iſacidum liquidas Babylonis ad undas
Mille dedit lachrymas, & pia vota Deo.
Sic ego propter aquas ſolenni luce litabo,
Audiet & noſtras utraque ripa preces.
Has prope dent Nymphę tumulũ, cũ flumina liqui,
Hoc gerat eloquium, qui teget oſſa lapis:
Hic recubat dominus vicini gurgitis, auras
Dum traheret, dominus non tamen ipſe ſui.
Non ſibi, ſed ſoboli vixit labor improbus omnis,
Nullaque lux vivo feſta, vel hora fuit.
Venturi ſecurus erat, cælique penates,
Infernaſque domos credidit eſſe pares.
Sunt cælo piſces, ſunt Orco flumina; prædæ
Materiem functo præbet uterque locus.

Apologia pro Baldo Dardanario.

EN ego jam dudum ſenio confectus inerti,
Et rude donatus rurſus ad arma trahor.
Inſtitor annonæ Baldus, cui tradidit artem
Dardanus, hanc noſtram, quam fero, poſcit opem.
Morſibus hic vulgi teritur, nec rodere famam
Dente ſat eſt, multis pruritin arma manus.
Plebis in auxilium Cererem vir providus urbi
Intulit, hæc odii prima favilla fuit.
Condus erat promuſque peni; nil fecerat ultra
Vir pius, inde tamen creditur eſſe reus.
Cluſius hic meruit, dicique Patulcius, aram
Et tutelares inter habere Deos.
Hunc ſi priſca virum cudiſſent ſæcla, nec orbi
Melia nota foret, nec Peruſina fames.
Cum dape ſubtracta natorum manderet artus,
Illius Solyme tuta fuiſſet ope.
Illius auſpiciis damni ſecura Saguntus
Spreviſſet frameas, Punica terra, tuas.

Munera ſi damnas Cereris , cur Bacchica laudas?
  Sunt conſanguinei Bacchus & alma Ceres.
Horrea ferre nequis veteri turgentia meſſe,
  Vina tamen Bruto Conſule nata bibis.
Cur veterem Bacchum, Cererem vis eſſe novellam,
  Cum Deus hic juvenis , Diva putetur anus ?
Sic inquis miſero ſubducit farra popello
  Baldus, & inducit , cum lubet , arte famem.
Se prope farra videns plebs eſurit, oraque paſſim
  Vana movens , dentem dente ſubinde terit.
Tantalus haud aliter rictu fugientia poma
  Prenſitat , aggeſtas & ſitit inter aquas.
Iure ſuis Baldus ſubducit civibus eſcas,
  Hoc argumento ſe probat eſſe pium.
Pulſa Caledoniis pridem jejunia regnis
  Vidimus, illius nunc revocantur ope.
Priſca redit pietas,& plebs adſternitur aris,
  Ingeminans , victu deficiente, preces.
Si perit interdum vulgus, ne contrahe frontem,
  Hæc nimium ſtrages utilitatis habet.
Vinea ſilveſcet, domini ni falce putetur,
  Et niſi depaſcas , luxuriabit ager.
Ars fuit hæc olim terris incognita , fruges
  Et cauponari, criminis inſtar erat.
Farra licebatur populus, vendente colono,
  Et penus in medio proſtitit omne foro.
Inſtitor hic populis,ſæcliſque prioribus, unus
  Artis & ingenii præripit omne decus.
Provida mens illi & labor improbus inter agreſtes,
  Plejade vix orta, non ſua rura metit.
Sic hiemis formica memor compilat ariſtas,
  Sic thyma , ſic cæli nectar acervat apis.
Non tamen externis hic frumentatur in oris,
  Obruat æquoreis ne pia farra vadis.
Sufficit incolumes illi vicinia merces,
  Nec leve vectigal proxima pendit humus.
Præſtinat hæc , inquis, tenera dum meſſis in herba (eſt,
  Quid vetat?exemplum præbuit ante Thales.
Hic nondum genitas fertur licitatus olivas,

Et

Et mercaturæ nobilis autor erat.
Si quid in hoc culpæ eſt, culpæ damnetur & ille,
Credita cui Pharii grana fuere ſoli.
Meſſibus hic ſeptem congeſſit in horrea fruges,
Annorum totidem depulit inde famem.
Hac ope, cum patriam premerent jejunia, lethum
Fratribus avertit, decrepitoque patri.
Hunc colit, & ſequitur Baldus; diſcrimē in uno eſt,
Hic rem curavit principis, ille ſuam.
Ruſtica gens illi longi ſpem mancipat anni,
Et meſſem dominus pignorat ante diem.
Sydera ſuſpectans æſtum præſagit & imbres,
Diſcit & hinc quanti ſit valitura Ceres.
More tuo, Siren, flet tempeſtate ſerena,
Aſſiduo tellus cum madet imbre, canit.
De pretio queritur plebs inſatiabilis, auro
Emungi ſeſe clamitat arte truci.
Hei mihi, nec cerni noſtris in finibus auri
Scrupulus, argenti drachma nec una poteſt.
Ære Ceres modico venundatur, inſtitor unum
Æs legit, Arctoæ vile numiſma plagæ.
Plus illo paleæ, plus ponderis ala cicadæ,
Aut apis, aut ſicci papilionis habet.
Has ubi quiſquilias corroſit Baldus, hirudo
Creditur, & patrii peſtis acerba ſoli.
Vtilis agricolis tamen eſt, nec inutilis urbi,
Dum ſimul, & ruris carpit & urbis opes.
Ruſticus in pinguem chorus ablegatur Iernen,
Finibus his ſuperat, qua caret ille, ſeges.
Hic, ſi fert animus, valido bove fodere terras
Fas erit, aut ſociæ paſcere gentis oves.
Civis inops, omni demiſſo in viſcera cenſu,
Martia Bellonæ cogitur arma ſequi.
Nunc juga Pyrenes, ipſas nunc ſubjugat Alpes,
Turgida nunc Rheni cornua Marte quatit.
Illius auſpiciis Batavus contundit Iberum,
Hoc duce, devicto Cæſare, Gallus ovat.
Sic ubi ſervavit ſocios, hoſteſque ſubegit,
Mille redit titulis auctus, & ære gravis.

Turba

Turba domi reſidens, belli quoque gnaviter artes
  Excolit, obduci nec ſinit arma ſitu.
Pro lare, pro ſacris olim pugnavimus aris,
  Nunc fera pro modico prælia farre vides.
Alter in alterius jugulum ruit, æſtimat hoſtes,
  Far quibus eſt, aut, hoc deficiente, pecus.
Dum premit eſuries, patriis armenta ſagittis
  Conficit, & ſtrictis enſibus arva metit.
Nec metus eſt pœnæ, quis enim referre putabit,
  Sive famis toleret tormina, ſive crucis?
Obſtat, ais, magni lex & decreta Senatus,
  Quæ cauponari farrea dona vetant.
Baldus amans legum eſt, ſed cum ſpes aurea lucri
  Emicat, ah, legum vincula ferre nequit.
Æmula lex telæ eſt, quam texit araneus, hærent
  Hic culices, poſito tranſit hirundo metu.
Talibus aucupiis inhians Marrana propago
  Nuper, ais, patriam linquere juſſa fuit.
Ah, quis avariciam gentis non cernit Iberæ?
  Artibus his proprias per ſcelus auxit opes.
Annonæ dum pellit Iber commercia, bello
  Occupat Eoas, Heſperiaſque plagas.
In caput hoc fruſtra vibrant ſua fulmina myſtæ:
  Non trepidat Baldus, nec timet arma Iovis.
Farre Deus modico placatur & ubere voto,
  Et gravis eſt illi dextra, ſed ira levis.
Mortis in amplexu ſat habet delicta fateri,
  Exemplo pendens in cruce latro præit.
Abjecto potius debebant fulmine patres
  Iſidis exemplum conſiliumque ſequi.
Triſtibus Harpyias Calais cum fratre ſagittis
  Cum peteret, cœpto reſtitit illa truci.
Parce tuis, inquit, jaculis Aquilonia proles,
  Inque Iovis noli ſtringere tela canes.
Numinis imperio poſuerunt ſpicula fratres,
  Alitibuſque ſacris abſtinuere manus.
Baldus ab Harpyis traxit genus, æmulus illis
  Vnguibus hamatis obvia quæque rapit.
Intulit Arcadicis chorus hic jejunia menſis,

Scotorum

Scotorum populis ſubtrahit ille dapes.
Inſula cincta mari tellus natalis utrique eſt,
Par eſt ingluvies , ſunt Iovis ambo canes.
Diſcrepat Harpyis Baldus, ſunt cælites illæ,
Hic catulus Stygii creditur eſſe Iovis.
Sed ſubit invidiam : mirari Scotica pubes
Deſine. virtutis creditur illa comes.
Sibilat hunc populus , Baldus ſibi plaudit, ovatque
Ipſe domi, populi dum populatur opes.
Ridet & hic diras inopum, contraria vota
Mercari minimo, ſi lubet, ære poteſt.
Nec timet, inviſi ne non poſt fata parentis
Tam male quæſito gaudeat ære nepos.
Iuſtus Ariſtides fuit,& ſine labe Pericles,
Hos tamen orbatos poſteritate vides.
Illius exemplo venturæ ſortis aruſpex
Vtere præſenti , linque futura Deo.

Querela Laſlei, qui invento theſauro carceri eſt mancipatus.

TRux Dea ; res hominum volucri quæ turbine verſas,
Quam me crudeli ludificata joco es !
Dives heri medium tangebam vertice cælum,
Hei mihi, nunc claudor carcere nudus opum.
Nullius excuſſi loculos, nullius in arcam
Injeci piceas , nocte ſilente, manus.
Aurea nec Superum detraxi pallia regi,
Nec mihi Pergamei barba revulſa Dei eſt.
Per Styga , per Superos , per conſcia ſidera juro,
Supplicium ſola pro pietate luo.
Mille ſimul clauſos deprendi carcere Reges,
Et valida vinctos compede mille Duces.
Argento pars hæc, auro pars illa rigebat,
Pars armata gravi Cypridis ære fuit.
Huic nimis informis macies tenuaverat artus,
Huic erat immunda calce peruſta cutis.
Omnibus ora ſitu ſqualłebant, pulvere crines,
Fœdabat Stygius cetera membra color.

Obſtupui viſis, & me quoque pallor habebat,
Nullus & in toto corpore ſanguis erat.
Mens prior ut rediit, ſacros detergere vultus,
Vinclaque captivis demere cura fuit.
Carceris eduxi tenebris Regeſque, Duceſque,
Et cælo juſſi liberiore frui.
Iure mihi ceſſit, magnis heroibus auri,
Quicquid & argenti, quicquid & æris erat.
Aurea libertas quovis redimenda metallo eſt,
Et pretium vindex poſcere jure poteſt.
Vincla quod Heſionæ dempſit Tirynthius, auro
Iam micat Arctoi non procul igne poli.
Aſtraque promeruit ſervata virgine Perſeus,
Aureus & cæli totus in axe nitet.
Cur ego deſpiciam, quod nemo deſpicit, aurum?
Ah paupertatem cur ego ſolus amem?
Obtulit Æneæ matri Paris aurea poma,
Muneris extemplo capta nitore Dea eſt.
Fertur & in mediis Danae gaviſa tenebris,
Auriſluo madidos vidit ut imbre ſinus.
Sacra fames auri eſt, & ineluctabilis,omnes
Illius ex æquo tangit, & urit amor.
Hoc docet auricomi prædo notiſſimus horti,
Et qui Phryxeæ terga totondit ovis.
Et Polydoreo qui tinxit ſanguine dextram,
Quique tuum fodit, magne Sychæe, latus.
Ah ego nullius pecus, aut pomaria læſi,
Nullius invaſi, numina teſtor, opes.
Quam mihi cum procerum cœtu plebs invidit ima,
Hæc imprudenti præda reperta mihi eſt.
Rudera ruſpanti crepuit mihi ſeria dextro
Hercule, res certe nullius illa fuit.
Hanc anus abdiderat fati præſaga futuri,
Deucalioneis ne raperetur aquis.
Aut, Styga cum peteret,Stygiis admoverat umbris,
Hic quia fors Erebi portitor æra petit.
Bella piis olim moturus rector Averni,
Vndique theſauros cogit, & abdit humi.
Forſitan hoc belli nervos concluſit in antro.
Totaque

Totaque res iſtic ſpeſque repoſta fuit.
Quis putet eſſe nefas, ſi Dis emungitur auro?
Impia ſi belli ſubruo fulcra trucis?
Fas mihi ſit, cives, ſpoliis gaudere repertis,
Non ego cum Stygio principe bella paro.
Sed neque fert animus mercari rura, vel hortos,
Proxima vel laribus jungere tecta meis.
Talia quiſquis emit, litem ſibi cudit; in illa
Ius clandeſtinus forſitan emptor habet.
Nec mihi vicinæ cogentur in horrea meſſes,
Mens populi diras relligioſa fugit.
Nec vectigales reddam mihi fluminis undas,
Odi ego vipereo ſanguine pejus aquas. (batur,
Merx mihi Bacchus erit, merx hæc mihi ſola pro-
Dummodo ſit fragrans, pura, picata, vetus.
Non tamen externas merx hæc mittetur in oras,
Sive tuas, Cimber, ſive Batave, tuas.
Nauta, ratis, pelagus, parili mihi jure timentur,
Ipſe mihi puppis, navita, gurges ero.
Mercibus ipſe meis fruar, & dum ſufficit aurum,
Bacche tuo ſemper rore levabo ſitim.
Perdius & pernox curas in pocula mergam,
Pinget & extantes uva falerna genas.
Nunc pede pulſabo terram, nunc ſidera voce,
Nunc ſtertam toto corpore fuſus humi.
Ludus erit, quæ cepit Iber, ſignare Lyæo
Mœnia, vel fuſo pingere caſtra mero.
Et memor officii ſemper pro Regis, & urbis,
Proque ſodalitii ſæpe ſalute bibam.
Sic ego dum vivam, fortunæ dotibus utar,
Torqueri loculis pignora nolo meis.
Sunt bona, ſi neſcis, irritamenta malorum,
Et poſſeſſori ſæpe moleſta ſuo.
Cuique ſuum tribuens, aſſem dum dividit hæres,
Dum numeris mentem diſtrahit, annus abit.
Hic ſibi ſemeſſem, dodrantem vendicat alter,
Beſſe cupit pars hæc, illa deunce frui.
His quoque, pupilli quibus eſt tutela miſelli
Credita, viſcatas cernimus eſſe manus.

Paſcere

Paſcere cauſidicos in cunis cogitur infans,
Vagit & in medio, pro dape, ſæpè foco.
Laſcivit locuples elato conjuge conjunx,
Inque novos thalamos frigida prurit anus.
Ære virum demens mercatur, & unguibus uncis
Vitricus abſtruſas depopulatur opes.
Hæc ego præveniam venturi præſcius; hæres
Ipſe mihi caupo, vel Polydamnus erit.

Ad Ponticum Medicum, ut uxorem ducat.

ERgo Machaoniæ lux, & pars optima gentis,
Canus adhuc neſcis, Pontice, quid ſit amor?
Tune potes ſuccis vitam producere, peſſum
Qui finis humanum, pro pudor, ire genus?
Crede mihi, mortale genus ſimul omne periret,
Si velit exemplo vivere quiſque tuo.
Nulla vides hodie, jactis poſt terga lapillis,
Nulla Promethæo corpora facta luto.
Sed neque Myrmidonum populos, nec ferrea cernis
Agmina, quæ Cadmi tempore fudit humus.
Nubila jam nullum pariunt, vel robora, nulli
Pignora dant cæſi terga ſepulta bovis.
Clam Iove concepit ſterilis Saturnia, tacto
Flore, ſed hoc ætas ultima flore caret.
Vt genus Iapeti repares, ars una relicta eſt:
Quicquid ubique vides, ſuſtinet una Venus.
Hac ſine terra feris, caritura volucribus aura eſt,
Piſcibus æquoreæ deſtituentur aquæ.
Hac ſine, quos colimus mortales, rara Deorum
Turba foret, quam nunc luxuriare vides.
Quis mare, quis terras regeret, Maneſq; profundos,
Conjuge Saturnus ni caluiſſet Ope?
Quis foret armorum præſes, niſi rector Olympi
Iſſet in amplexus, aurea Iuno, tuos?
Quis, niſi Latonæ niveis jacuiſſet in ulnis,
Aſtra per æthereis jam veheretur equis?
Nec foret interpres Superûm, niſi ſemper amator
Iupiter arſiſſet lumine, Maja, tuo.
Nec, niſi cepiſſet Semele formoſa Tonantem,

Tuta forent ullo Bacchica dona Deo.
Per Superos, Maneſque volat puer ales, & illa,
Quam fugis auſterus, regnat ubique Venus.
Qui tibi Pæoniæ vim totam tradidit artis,
A genio quantum diſſidet ille tuo?
Ille Cupidinea transfixus cuſpide Daphnen
Arſit, & hic primus nunc quoque durat amor.
Virginis exuviis Phœbus pharetramque, lyramque
Gaudet, & intonſas condecorare comas.
Te quoque, Leucothoe, nec ſat patienter, amavit,
Lacteolâ traheres cum tua penſa manu.
Palluit extemplo, te viſâ, luminis autor,
Vt ſolet, incurſu cum tegit ora ſoror.
Quique faces, & tela vibrat ſine fine, coactus
Eſt Deus Idaliæ tela, faceſque pati.
Servat adhuc tumulus veteris veſtigia flammæ,
Thuraque Phœbæa nunc pia fundit ope.
Perſida quid memorem, Clytienve, Rhodonve, vel illā,
Qua ſatus eſt, patrios qui malè rexit equos?
Ora Deus quoties vertit radiantia, factus
Cervus, & accipiter, trux leo, putris anus?
Cælituum de gente, Iovem ſi dempſeris unum,
Pronior in Veneris prælia nullus erat.
Te patris exemplum ſi non movet, aſpice natum,
Pæoniæ pœnas qui dedit artis avo.
Non ſemel hic blandis Hygiææ fixus ocellis
Tabuit, &, medicus qui fuit, æger erat.
Non ſemel Epionæ roſeas preſſere papillas,
Hippolytum ſibi quæ reſtituere manus.
Forſitan hic, à quo medicas Epidaurius artes
Accepit, calcar, quod magis urget, habet.
Semivir hic deformis erat, monſtrumq; bimembre,
Ore virum referens, cætera turpis equus.
Non tamen hic potuit teneras odiſſe puellas;
Sed quid amor, ſenſit, quid ſacer eſſet Hymen.
Credere quis poſſet? Paphiis nunc ignibus uſſit
Phillyra, ſemifero nupta puella viro.
Fertur & Ocyrhoes interrita mater equino
Formoſum femori ſuppoſuiſſe femur.

Exue vel medicum, vel lumina clara medentum
Prævia quam monſtrant, Pontice, carpe viam.
Sed neque, quæ tradis, ſtudiis Erycina Minervæ
Obſtat; Ariſtoteles ipſe maritus erat.
Nec vir erat tantum : dominæ quoque baſia carpſit,
Nec dare contentus baſia, thura dedit.
Socratis in gremio jacuit ſine crimine conjunx;
Iunxit Ariſtippo Laïs amica latus.
Sive Machaonias tractas, ſeu Pæonis artes,
Quam ferus odiſti, Cypria calcar erit.
Oſcula Briſeis quoties libavit Achilli,
Fortior in Troas Pelias haſta fuit.
Hector ab Andromache ſurgens animoſius hoſtes
Impulit, & vires auxit in arma Venus.
Frigora ne gelidæ tetricus prætexe ſenectæ,
Et quæ texerunt jam caput omne nives.
Frigidus eſt Boreas, ſenio Tithonis inerti
Fractus, utrumque tamen cuſpide fixit Amor.
Virgine Cecropia Boreæ caluere medullæ:
Ictus ab Aurora ſaucius alter erat.
Nec Cato dedidicit multum grandævus amare,
Romulea quamvis cenſor in urbe foret.
Viribus excellit juvenis; tamen æqua voluptas
Eſt ſenis, exiguo dum levat amne ſitim.
Plus quam muſca bibit ſtans ad præſepia taurus,
Non tamen epota plus ſatiatur aqua.
Commoda ſi quæris, te conjunx dote beabit,
Et dabit eſſe virum, forſan & eſſe patrem.
Sæpe pyrum vetulo carpi de ſtipite, labi
Cautibus è ſiccis flumina ſæpe vides.
Luſtra bis octo Cato recolens, Maſiniſſa Catone
Major adhuc, auxit prole virente domum.
Robore præcellens, Spartana lege, juventus
Improli vetulo ferre tenetur opem.
Sic freta cum fervent, adhibetur navita clavo,
Fortius indomitas qui rate findit aquas.
Sic ubi curta domi res urget, ſæpe colono
Pinguia conductus prædia taurus arat.
Et nunc verna fodit, nunc mercenarius hortum,

Sudorem dominus dum tolerare nequit.
Sat putat hic, natam dum cogat in horrea meſſem,
Dum legat, omne ſuus quod tulit hortus, olus.
Sæpè graves uvæ, domino ſtertente, premuntur,
Mulgetur, nullo crimine, ſæpè pecus.
Dum ſibi muſta fluant, dum preſſi copia lactis
Suppetat, in tuto res herus eſſe putat.
Conjugis uſuram cupido conceſſit amico
Ipſe Cato, morum cenſor, & urbis honos.
Sed tibi turpe foret nimium, ſic quærere prolem,
Iungere naturæ qui potes artis opus.
Quas tibi radices, quas non tibi tradidit herbas
Delius, in Grampî quas legis uſque jugis?
Hac ope reſtituit ſocero Medea juventam,
Squallida cum præſto jam Libitina foret.
Hac ope tu gelidæ tandem ſuccurre ſenectæ;
Teque tuis bulbis, graminibuſque juva.
Fors tibi non optas, patriæ ſed pignora debes,
Illa ſui civis, Pontice, poſcit opem.
Tune Caledonias emendicare puellas
Pignora finitima de regione velis?
Mos hic Amazoniæ potius decet agmina gentis,
Quoſque regit populos Penthesilea furens.
Æquior Auſoniæ lex eſt, quæ Cypridis hoſtes
Pellit, & uxorem ducere quemque jubet.
Exulat hac Cybele lepidis inimica puellis,
Et cava conſueti cymbala ferre Phryges.
Qui tulit hanc Latio, ſi ferret jura Metellus
Scotigenis, tibi jam pœna parata foret.
Imbelles nuper populos, Martemque peroſos,
Vidimus in bellum, Marte premente, rapi.
Haud ſecus, obtorto te lex æquiſſima collo
Abreptum Veneris cogeret arma ſequi.
Sponte ſubi potius juga, quæ te ſancta ſubire
Lex jubet, & patriæ jam pereuntis amor.
Civibus hanc, quamvis nunc venerit Heſperus, auge;
Siſque pater, quem nunc eſſe decebat avum.

Elegia

Elegia ad Reverendum Antiſtitem Patricium Forbeſium, Epiſcopum Abredonenſem, cum fratris obitum defleret.

POne modum lachrymis, Præſul, fraternaq; tandē
Funera plebejo deſine more queri.
Flere nefas, portum, ſuperato navita ponto,
Cum tenet, & nexis ornat apluſtra roſis.
Flere nefas, miles confecto Marte triumphum
Cum Capitolina victor in arce canit.
Quem gemis extinctum, ſubduxit fluctibus alnum
Frater, & in tuto gaudia lætus agit.
Hoſtibus edomitis exultat, & aurea cœli
Templa tenens, Chriſto cum duce, cantat Io.
Hic, diadema gerens rutilis inſigne pyropis,
Aureus ingentes eminet inter avos.
Adſcriptuſque choro Superûm, cælique miniſtris,
Conſpectu fruitur ſemper & ore Dei.
Et circumfuſis paſcuntur lumina gemmis,
Æthereumque ſonat ſemper in aure melos.
Sub pedibus Solemque videt, Lunamque moveri,
Et mundi famulas calcat ubique faces.
Deſpectatque cavo cæli ſub fornice nubes,
Oceanumque vagum, quamque reliquit humum.
Dum procul hoc ſpectat cæli novus incola punctū,
Ridet, & hic partas temnit, & odit opes.
Ridet in exiguo luctantes pulvere reges,
Et pro tantillo bella tot orta luto.
Plangere ſi cuiquam fas eſt, nos aptior illo
Materies planctus, mœſtitiæque ſumus.
Hunc quibus ereptum cernis, nos findimus undas,
Iactamurque freto, concutimurqne Notis.
Ah, quot in hoc cernis, quod verrimus, æquore ſyrtes?
Quot vada, quot paſſim naufraga ſaxa vides?
Promptius æſtivæ Cereris numerabis ariſtas,
Quaſque creat gelido bruma ſub axe nives.
Promptius expedies Corſæ telluris ericas,
Quas fletûs ſocias nunc, puto, Præſul, habes.
Mille modis morimur: nunc urit corpora febris;

Languida

Languida nunc ſævus viſcera tendit hydrops.
Sæpè caput vertigo rotat; tremor occupat artus;
Membra vides multis ſidere tacta mori.
Pectora nunc lacerat tuſſis; lapideſcere renes
Nunc querimur; torquet ſæpè podagra pedes.
Morborumque cohors omnis, creſcentibus annis,
Creſcit, & eſt morbus non levis, eſſe ſenem.
Nec minus infeſtat, vitæ dum carpimus auras,
Diva malis ſemper prodiga, parca bonis.
Quas hodie largitur opes, cras eripit, orbem
Dum rotat, & rerum verſat ubique vices.
Immunis ſors neutra mali eſt; res turpis egeſtas
Audit, & abjectos, ridiculoſque facit.
Divitias nunc flamma vorax, nunc impetus undæ,
Nunc piceata rapit, nunc violenta manus.
Et patris obſcœnus ſub olenti fornice gnatus,
Et laſciva viri prodigit uxor opes.
Si quid adhuc ſupereſt tot poſt diſpendia, lites
Dum trahimus, lævo ſidere, præda fori eſt.
Sed levis eſt gazæ, levis eſt jactura peculî,
Æris egens famæ dum tueare decus.
Livor in hanc dentes acuit crudelis & ungues,
Et dum ſerpit humi, nil niſi ſumma petit.
Hoc quoque tu quondam ſenſiſti, maxime Præſul,
Sed tua te pietas texit & alma fides.
His mala, ſi fas eſt, jungantur publica; luctûs
Trux argumentum, materieſque novi.
Orbe triumphato, patriæ nunc Bæticus hoſtis
Imminet, & terras Marte fretumque quatit.
Pone truces aquilæ Tarteſſia ſigna ſequuntur,
Iungit & Auſonio cum Iove Cæſar opem.
Quique fuit ſocius, nunc rupto fœdere, Gallus
Tingere Grampiaco tela cruore parat.
His potes & noſtrâ triſtari ſorte, tuaque,
Qui premimur tantis, obruimurque malis.
Cladibus his fratrem ſubductum cernis; in illo
Lætitiæ cauſas, optime Præſul, habes.

De pace inter Scotos & Gallos rupta. Elegia II.

NVnc ego crediderim freta vectigalibus undis,
Lumine ſidereas poſſe carere faces.
Crediderim gelidos in fontes poſſe relabi
Flumina, Phœbæas & remeare rotas.
Imaque ſupremo miſceri Tartara cælo,
Inque polo Stygium ſceptra tenere Iovem.
Nil non poſſe putem fieri jam: fœdere rupto,
Celtica Ferguſidûm ſanguine geſa rubent.
Scoticus in Celtæ jugulum diſtringitur enſis,
Et, quam defendit ſæpe, cruentat humum.
Si quid habent Vmbræ ſenſus, hæc flebit Achajus;
Magnus in Elyſio CAROLVS orbe gemet.
Quæ nunc rupta vident, ſanxere nepotibus olim
Fœdera, præconum verba fuiſſe ferunt.
Dum cadet Heſperius, dum Sol naſcetur Eous,
Aere dum medio cincta quieſcet humus;
Fœdere jungentur populi, quos Lilia cana,
Et quos ſanguineus ducit ad arma Leo.
Sol velut ante meat, medio ſtat in aëre tellus;
Hei mihi, cur gens eſt neutra, quod ante fuit?
Cur ſocius qui ſemper erat, nunc dicitur hoſtis,
Alter & alterius, pro pudor, enſe cadit?
Illa mali lux prima fuit, violare Britannas
Gallia, jus contra, qua fuit auſa rates.
Quâ Rea capta dolo eſt; fons omnis & area belli,
Et domini infælix inſula præda fui.
Hæc utinam, ſociis acuit quæ regibus iras,
Deucalionæis terra periſſet aquis.
Dira vel infauſtas ſorpſiſſet Scylla carinas,
Semina quæ tanti prima fuere mali.
Nemo Caledoniis hæc credat robora ſylvis
Orta, vel in Grampi cæſa fuiſſe jugis.
Saltibus è Stygiis hæc irritamina belli
Orcus, & Eumenidum miſit acerba cohors.
Scilicet invidit ſuperis Styx impia regnis
Fœdera canitie jam veneranda ſua.

Sæcula

Sæcula bis mundo fluxerunt quatuor, ex quo
    Fœderis accepit Celta, deditque fidem.
Nunc, pudet heu, quæ tum juravit, pacta revellit
    Gens levior foliis, mobiliorque Notis.
Ecquid agis? quæ te mutavit, Gallia, Circe?
    Theſſala quo mentem carmine flexit anus?
Concidit ante tuis Auſtro conterminus armis
    Maurus, & occiduo Sole peruſtus Iber.
Et Tarteſſiacis ſubjectus Belga lupatis,
    Vicinuſque Euro, Vangioneſque truces.
Ante tuas acies Tameſis metuebat, & Iſter,
    Impatienſque jugi Rhenus, & ipſe Tybris.
Et Phaëthontæas gens quæ circumcolit undas,
    Et Ligur, & Tuſcus, finitimique duces.
Teque tuis populis, & geſa minantia geſis
    Vidimus: horret adhuc mens meminiſſe nefas.
Martia Ferguſidum gens de tot millibus una
    Militiæ nuncquam fulmine tacta tuæ eſt.
Illa tuis ſemper, nullo diſcrimine, cœptis
    Favit, & una ſalus, unus & hoſtis erat.
Bella domi quoties pro te cum gente propinqua
    Miſcuit, in clades ingenioſa ſuas?
Externo quoties hoſtem quæſivit in orbe?
    Quot tibi Parrhaſio miſit ab axe duces?
Longa foret ſeries: de multis ſufficit unus,
    Hic qui Baugiacos ſanguine merſit agros.
Hic tibi Grampigenæ comitatus robore gentis
    Adfuit, externo cum premerere jugo.
Sola tibi Biturix domini parebat habenis;
    Cætera cum populis hoſtica terra fuit.
Luce ſacra, memini, ſociis, regnoque ruenti,
    Attulit & Regi regius hoſpes opem.
Lilia ſervavit lux hæc intacta, ruinam
    Lux tulit hæc geminis perniciemque roſis.
Agminis hoſtilis cecidit cum milite ductor,
    Quaque triumpharat ſæpe, momordit humum.
Nil ſua militibus virtus, nil profuit aſtus,
    Regia nil veſtis, nil diadema Duci.
Hos ubi fregiſſet, Regi, qui miſerat, ipſi

Reſtitit exigua gens animoſa manu.
Quodque fidem ſuperat, Celtis ut fida maneret,
Principis imperium ſprevit & arma ſui.
Captus hic inſidiis infans,popularibus ibat
Obvius, adverſo bella ſub hoſte gerens.
Ter patriæ invictas acies, velut hoſtis, obivit,
Nunc prece, nunc tentans ſollicitare minis.
Verba ſed edebat nil proficientia Princeps,
Vanaque difflavit vota minaſque Notus.
Quid, quod & hi,quorum nunc bella nepotibus inGallia, tum pro te ſuſtinuere mori? (fers,
Bina ſimul, memini, ceciderunt millia: clades,
Ne dubites, fecit Vernoliana fidem.
Quot ſibi te meritis gens hæc devinxerit olim,
Præmia teſtantur, quæ ſine lite tulit.
Præter opes, tituloſque, tuo ſub rege ſupremum
Nacta fuit belli, militiæque decus.
Adde, quod è ſocio, feciſti, Gallia, civem,
Scotigenâ quiſquis ſtirpe creatus erat.
Ipſaque fulmineis Scotorum credita dextris
Principis & Domini vita, ſaluſque tui eſt.
Illius Arctoæ ſolium rexere ſecures
Semper; & hic priſcus nunc quoque durat honos
Martia Muſarum ſi confers munera donis,
Gallia, Mars Muſis cedet, & arma togæ.
Regna, tubas inter, memini, tua fœda premebat
Barbaries, paſſim ſquallor & horror erat.
Nox erat & tenebræ, quales texiſſe feruntur
Niliacamque Pharon, Cimmerioſque lacus.
Scilicet arma timens ſtudiis inimica Minervæ,
Fugerat Aonidum, cum duce, tota cohors.
Vidit, & auxilio te juvit Scotia, tellus
Artibus ingenuis, ingeniiſque potens.
Hæc Aganippæum populum, gentemque togatam
Miſit, Apollineam quæ tibi ferret opem.
In tua tum primum vidiſti regna reverti
Numina, Caſtaliis quæ dominantur aquis.
Barbaries tum pulſa fuit, pulſæque tenebræ,
Lucis & Arctoæ fulſit ubique jubar.

Haud

Haud ſecus Eoo noctis Sol diſcutit umbras
Lumine, purpureum reſtituitque diem.
Barbara quod non es, Scotis hoc, Gallia, debes,
Cum quibus, ah, bellum nunc furioſa geris.
Debuerat ſaltem, tædis præfecta maritis,
Hoc amoliri pronuba Iuno nefas.
Hæc quoties ſocios vinxit Dea maxima Reges?
Priſca novus quoties fœdera ſanxit Hymen?
Nunc quoque, quā legit ſociam ſceptrique, thoriq;
Carolus, eſt Regis nata, ſororque tui.
Quem vocat illa virum, cur hoſtem Gallia dicis?
Cur petis hunc ferro, quem fovet illa ſinu?
Si quid adhuc iræ ſupereſt, hoc temperet hoſtis
Publicus, auriferæ cui famulantur aquæ.
Dum ſocios tu Marte petis, crudelis ad Albim
Fulminat, &, dempto fine, triumphat Iber.
Sub juga jam miſſos, Rheni cum principe, Bojos
Aſpicis, & Cattos, Saxonicoſque duces.
Quæque tuis olim fulta eſt victricibus armis,
Nunc ope ſubſtracta terra Batava tremit.
Ipſe ſuas Cimber, caſtris exutus, ad undas
Fugit, & extremi littus inerme freti.
Qui regis Arctoos populos, qui Celtica libras
Sceptra, gemens veſtram nunc petit orbis opem.
Iungite fraternas acies; ferat una per æquor
Aura Leonigeras, Ligeraſque rates.
Stertere fas non eſt, urbis cum mœnibus hoſtis
Imminet, & jugulum cominus enſe petit.
Imperii, Ludovice, tui circumſpice fines:
Cingit Iber quicquid ſub ditione tenes.
Nec ſceptris tu fide tribus, fortiſſime regum
Carole, nec, tria quæ ſceptra tuentur, aquis.
Iuſta metus cauſa eſt, Batavus ſi porrigat herbam,
Bætica vel fractus ſub juga Cimber eat.
Hi mare nunc ſulcant, quod tu mox puppe ſecabis,
Vna ſalus omnes, una ruina manet.

Ad Davidem Wedderburnum, Ludimagiſtrum Abredonenſem, Amicum veterem.

CErnis ut obrepens mihi, Wedderburne, ſenecta
Sparſerit indignas per caput omne nives.
Debile fit corpus, pulſis melioribus annis,
Nec vigor ingenii, qui fuit ante, mihi eſt.
Tempore mutato, mores mutantur & ipſi,
Nec capior ſtudiis, quæ placuere prius.
Ante leves riſus, & erant jocularia cordi,
Nunc me moroſum, difficilemque vides.
Prona fit in rixas mens, & proclivis in iras,
Et ſenio pejor cura ſenilis edit.
His ego, quæ poſſum, quæro medicamina morbis,
Et mala, quâ fas eſt, pellere nitor ope.
Sæpè quod exegi pridem, juvenile revolvo
Tempus, & in mentem tu mihi ſæpè redis.
Par, memini, cum noſter amor ſe prodidit, ætas,
Par genius nobis, ingeniumque fuit.
Vnus & ardor erat, Phœbi conſcendere collem,
Inque jugo ſummo ſiſtere poſſe pedem.
Te prior, infirmis ego nixus in ardua pennis,
Monſtrabam, memini, qua ſequerere, viam.
Nunc comes urgebam, blandis hortatibus inſtans;
Et feſtinanti non leve calcar eram.
Nunc animos rigidi ſumebam more magiſtri,
Et caſtigabam voce ſubinde moras.
Haud aliter nati, generoſo Dædalus auſu,
Aſtra per, & cæli nubila, rexit iter.
Sed mea Dædaleo pejor ſors improba fato,
Icaria potior ſors tua ſorte fuit.
In ſibi quæſitas penetravit Dædalus oras,
Me juga, quæ petii, Phœbus adire vetat.
Icarus hauſtus aquâ eſt; tu, quæ me pone petebas,
Montis Apollinei culmina ſumma tenes.
Nobilis ingenii raptus fælicibus alis,
Liquiſti veterem poſt tua terga ducem.
Sic Maro, ſic Flaccus, ſic vicit Naſo magiſtrum,
Quique canit Grajo Pergama capta dolo.

Hic

Hic quoque qui magno dextram formavit Apelli,
Victus Apellea creditur ipſe manu.
Clarus erat, quiſquis docuit mare findere Typhin,
Et verſare leves Automedonta rotas.
Debita ſed poſtquam venit tyronibus ætas,
Diſcipulo minor eſt factus uterque ſuo.
Non tamen impatiens indulſi triſtibus iris,
Nec mihi te dolui præripuiſſe decus.
Abſit, ut invideat juvenis Phocæus Oreſti,
Perithoum, Theſeu, vel tuus urat honos.
Abſit, ut Euryali rebus macreſcat opimis
Niſus, & offendant Caſtora fratris opes.
Livor iners animis non eſt cæleſtibus aptus;
Nec fuit hac noſter labe notatus amor.
Hunc, procul Idalio, teneris in mentibus ipſe
Accendit radiis Phœbus Apollo ſuis.
Non procul hinc mons eſt,feſſos quem pone jugales
Solvit in Heſperia Phœbus anhelus aquâ.
Tectus erat quondam ſylvis, nunc præter ericas
Gramina, nil ſcopulos inter & antra vides.
Hujus in aëreo lætantes vertice, Phæbo
Sæpè litabamus, Pierioque gregi.
Hunc ego Parnaſſum, juga tu Pimplæa vocabas;
Delphica nunc rupes, nunc Heliconis erat.
Sæpè petebamus vicinos collibus amnes,
Qui tibi natali non procul urbe fluunt.
Hic Aganippæam, dabat hic Permeſſidos undam;
Et quæcunque ſonans flumina Phocis habet.
Phœbus ubique fuit,ſpecus omnis Apollinis antrum,
Quælibet Aſcræum præbuit umbra nemus.
Lux ubi vel Phœbi micuit, vel ſidera cæli,
Sidera cum Phœbo dicere luſus erat.
Vere novo quoties pratorum mille colores,
Vt potuit, numeris pinxit uterque ſuis?
Exciti quoties volucrum modulamine plectra
Sumpſimus,alternos reddidimuſque ſonos?
Omnia ſubdebant ſtimulos juvenilibus auſis,
Quidlibet auſuris omnia calcar erant.
His ego deliciis tecum, ſine fæce, fruebar,

Vnaque præbebat gaudia mille dies.
Sed brevis, ah, nimium fuit, & fugitiva voluptas,
Sic roſa vaneſcit, ſic abit umbra levis.
Hæc ſacra dum patriis tecum colo lætus in oris,
Te ſimul, & patriam linquere cogor humum.
Quas ego non terras, quæ non vagus æquora preſſi?
Hæc licet ingenio ſint minus apta meo.
Bis mihi trajectæ vicinæ nubibus Alpes,
Tybris, & Eridani pota bis unda mihi eſt.
Præbuit hoſpitium bis binis Gallia luſtris:
Conjugis hæc titulum terra patriſque dedit.
Me Geta, me Batavus, me vidit Cimber, & Anglus,
Et quæ Teutonico terra ſub axe riget.
Non tot Dulichius pater eſt erroribus actus,
Dum peteret patrios per vada ſæva lares.
Quinta Caledoniæ me rurſus olympias oræ
Reddidit effœtum, diſſimilemque mei.
Numina jam decies & ter fecere parentem,
Pignora ſex ſuperant, cætera turba fuit.
Bis mihi quæſivi, nec ab una gente, maritam,
Bis conjunx, bis jam me reor eſſe ſenem.
Te quoque, qui patriæ voviſti tempora vitæ,
In patriæ video conſenuiſſe ſinu.
Scilicet hæc homines ſors urget, ut omnibus æquè
Obrepat tacito curva ſenecta pede.
Differri mors ipſa poteſt, & tetrica ſæpè
Suſtinet armatam Parca coacta manum.
Hei mihi, tempus edax nullo medicamine, nulla
Arte retardari dura ſenecta poteſt.
Nec tamen ætati deſunt ſolatia ſeræ,
Quæque ſenes patimur, ſunt mala juncta bonis.
Quam queror, ætatem confer juvenilibus annis,
Nil juvenis, quo ſe præ ſene jactet, habet.
Non legitur ſanctus juvenum de flore Senatus;
Turba Senatorum nil niſi turba ſenum eſt.
Mos & erat, capiti juvenes aſſurgere cano,
Illius & leges, imperiumque pati.
Vt tuba concinuit, juvenes coguntur in hoſtem
Ducere; fas ſenibus delituiſſe domi.

Bella

Bella gerunt juvenes, & gaudent hoſte perempto:
Bella ſenes memorant, & memorare juvat.
Si qua puella petit, juveni quod turpe negare eſt,
Hos excuſabunt tempora tecta nive.
Vina nocent juveni: mores imitata Catonis
Se reficit ſumpto ſicca ſenecta mero.
Si vel parca manus, juveni vel tetrica frons eſt,
Lingua vel effrænis, nemo decere putat.
Turpe ſeni non eſt lucrum captare, nec uti
Moribus auſteris, vel ſine fine loqui.
Si quid in his culpæ eſt, crimen transfertur in an-
Et, ſene laudato, ſola ſenecta rea eſt. (nos,
His ego me ſolor capulo vicinus, ut arte
Sit levius, quod ſors ferre coegit, onus.
Aptius at noſtræ, tu Wedderburne, ſenectæ
Conſulis, & quæ fert dura ſenecta, malis.
Dum mihi te ſiſto, dum, quos ſimul egimus annos,
Mente puto, mutor, nec mihi ſum, quod eram.
Æſona carminibus mutavit Colchis & herbis;
Hac juvenem, tremulo de ſene, fecit ope.
Colchidis in morem, veteri tu reddis amico,
Qui pede veloci præteriere, dies.
Tempora dum recolo tecum ſimul acta juventæ,
Me mihi reſtituens, ipſa juventa redit.
Colchida tu vincis: longo molimine Colchis
Quod ſemel auſa fuit, tu mihi ſæpe facis.

Ad D. Iohan. Scotum Scototarvatium, Equitem, Conſil. Regium, cum Poëmata Scotorum prælo ſubjiceret.

SCote, Caledonios prælo committe Poetas
Ocyus, & cœptum perfice fortis iter.
Lumen ut impertit gratis Sol aureus orbi,
Æthereaſque ſuo ſuſcitat igne faces;
Sic patriæ, patriiſque dabis, ſine fœnore, lucem
Sideribus, quæ nunc nube ſepulta latent.
Hac ope vitalem reddes popularibus auram,
Quos jam ſemeſos, ſemiputreſque vides.
Romuleum quiſquis civem ſervaverat, illi

Mos erat iligna cingere fronde comas.
Mille tuo numerans ſervatos munere cives
Scotia, ſerta tibi civica mille dabit.
Immortale decus meruit, qui morte nefandâ
Arcuit Andini nobile vatis opus.
Quid tua non meruit pietas, tot ſidera mergi
Quæ vetat, Arctoæ lumina rara plagæ?
Non ego Romulidum vati compono Poetas,
Grampia quos gelido terra ſub axe tulit.
Sidera ſidereis quiſquis conferre favillis
Audet, & aſtra duci, qui regit, ille furit.
Non tamen hi, quamvis Andinum pone ſequantur,
Agnoſcantque ducem, commeruere mori.
Vivit adhuc Naſo, Pelignæ gloria gentis,
Et fidicen, tellus quem Venuſina dedit.
Vivit, & in Latio celebratur Muſa Tibulli,
Et ſua cui magnum Leſbia nomen erat.
Quique per Æmathios cecinit fera prælia campos;
Inter & orcheſtræ lumina vivit avus.
Doctaque tum Perſî, tum ſunt peritura Lucretî
Carmina, luxato cum ruet axe polus.
Hos tamen altiloqui ſuperavit Muſa Maronis,
Mæonia quantum vincitur ille tuba.
Fas mihi ſit, noſtros hos inter ponere vates,
Inter & Heſperias plectra Borea lyras.
Eſt aliquid, fateor, quo nos ſuperamur ab illis:
Non meruere tamen dona minora premi.
Aſtra vides inter faculas lucere minutas,
Nec levis hinc cælo ſurgit, & inde nitor.
Aſpice, vere novo, flores cum dædala tellus
Explicat, & paſſim ſub pede ridet humus;
Nec color eſt unus, nec par eſt gratia florum,
Lumina quo paſcat, flos tamen omnis habet.
Aureus eſt priſcis nitor, & nativa venuſtas,
Et ſacra majeſtas, Romuleuſque vigor.
Vatibus in noſtris horum ſimulachra placebunt;
Sæpè fit exemplo pluris imago ſuo.
Si quid in his vitii eſt, patrias ne deſere Muſas,
Sed rege Phœbeâ plectra Britanna manu.

Arte

Arte modos, numeroſque juva; nunc tende remiſſa,
Nunc nimium tenſæ fila remitte lyræ.
Sumere fas limam, fas eſt eradere nævos,
Nec pudor, his numeros ſubſtituiſſe novos.
Quæ minus apta vides, indignaque vivere, chara
Sint licet autori, carmina dede neci.
Pabula da blattis, rapidis da pabula flammis,
Plena vel effuſis ſpongia mergat aquis.
Qui ſacra ſiccaſti Permiſſi flumina, tanto
Te melius fungi munere nemo poteſt.
Eſt tuus, eſt vatum labor aureus, inſeret aſtris
Fama tuos vates, te ſuper aſtra vehet.
Gramina, quæ foliis exudant mella, coluntur;
Sed, quæ mella legit, plus celebratur apis.

Ad eundem, ne Poemata Ionſtoni prælo committat.

SCote, quid, heu, merui? Veteris cur nomen amici
Sævus in opprobrium, ludibriumque trahis?
Quæ mihi rupe ſacrâ procul, & fœlicibus undis
Exciderant, cur nunc mittis in ora virûm?
Quæ mihi, quæ Muſis cecini, cur publica fiunt,
Nec mihi, nec Muſis grata futura meis?
Artifici malè ſit, ſacros qui primus in uſus
Tranſtulit audaci ferrea præla manu.
Iſta lacertoſos decet armamenta colonos
Quærere, qui duro membra labore terunt.
His, ubi maturis rubuerunt ſolibus uvæ,
His tua debebat, Pallas, oliva premi.
Apta minus Phœbi ſunt torcularia donis,
Apta Camœnarum ſunt minus illa ſacris.
Carmina, ſeceſſu quæ delectantur, in omnes,
Pro pudor, illorum diſtribuuntur ope.
Non ita vulgari ſua vult ſacra carminis autor,
Qui juga ſemotæ rupis, & antra colit.
Non ita proſtitui doctæ meruere ſorores,
Quas juvat intactâ virginitate frui.
Icaris ut turbam fuit averſata procorum,
Et Iovis illotas arcuit ara manus;

Sic pia gens vatum vitat commercia vulgi,
Et prohibet ſacris, liminibuſque ſuis.
Scilicet hæc oculis vitiat gens improba lippis,
Vt ſolet inſpectos pupula triſtis agros.
Vtque dapes Phinei volucres, ſic aurea Phœbi
Munera contactu polluit illa ſuo.
Talia famoſi metuant contagia vates,
Quos mecum vinctos ſub tua præla trahis.
Me potius cenſura movet paritura pudorem;
Sola Poetarum lima timenda mihi eſt.
Cætera quam poſcunt, fugiunt mea carmina lucem,
Et cupit æternâ nocte Camœna tegi.
Ennius Auſoniæ cecinit fera prælia gentis,
Carminà cum domino ſed periere ſuo.
Sæpè celebrantur Linus, & Rhodopeius Orpheus,
Sed quæ liquerunt carmina nulla vides.
Fas mihi ſorte frui, ducibus quæ contigit iſtis;
Fas mihi ſit nævos occuluiſſe meos.
Ne, mihi quod dudum juvenilibus excidit annis,
Intempeſtiva ſedulitate lege.
Vere novo nemo maturas colligit uvas,
Ante nec autumnum dulcia poma cadunt.
Flava metenda ſeges, virides fuge meſſor ariſtas,
Nec nova purpureæ germina velle roſæ.
Quæ domino nunc rapta ſuo vulgantur, in annum
Debebant decimum, ſi paterere, premi.
Non ego debueram ſaltem tot lumina vatum
Inter, & heroüm nomina tanta legi.
Turpe tubas inter tenues inflare cicutas,
Turpiter auditur ſtrix, ubi cantat olor.
Nec benè Santonico miſcetur purpura panno,
Nec decet urticas implicuiſſe roſis.
Ah vereor, ne vatis amor præſtinguat ocellos,
Et tegat errores, extenuetque meos.
Crimina Phocæi juvenis non vidit Oreſtes;
Cæcus ad Æacidæ ſtupra Patroclus erat.
Nec pius Æneas fidum culpavit Achatem,
Caſtora nec Pollux, Perithoumve comes.
Si potes, hoſtiles animos pauliſper, & arma
Indue,

Indue, cenſorem qualia ferre decet.
Atra videbuntur, nigroque ſimillima corvo,
Quæ nive nunc Geticâ candidiora putas.
Si tamen inceptum, non exorabilis, urges,
Et quæ non merui, præla ſubire jubes:
Vlterius pugnare nefas: quo juſſeris ibo,
Et leget errores orbis uterque meos.
Hac ope, quos mecum vinxiſti, Scote, Poetis,
Et patriæ dicar conſuluiſſe meæ.
Temperat alba nigris, miſcetque coloribus umbras,
Quiſquis Apellæâ quærit ab arte decus.
Purius aſtrorum micat inter Luna favillas,
Purius in tenebris lumina cuncta nitent.
Pulcher erat comitem Therſitem nactus Vlyſſes;
Pulchra Vetuſtinæ Gellia juncta fuit.
Lumina ſic patriæ noſtrâ de fæce nitorem,
Et decus à ſocii labe perenne trahent.
Nil ego, dum patriæ poſſim ſervire, recuſem,
Scote, nihil renuam, dum tua juſſa ſequar.
Nil ego formido, quicquid Fortuna minetur:
Noſtra patrocinio tuta Camœna tuo eſt.

Nicares Gariomarræ.

QVam legis, Aloicis Nicares tibi miſit ab oris:
Perlege; parendum, Gariomarra, viro eſt.
Non mihi te, conjunx, Ledææ more puellæ,
Hoſpitis amplexum præpoſuiſſe queror.
Vis manifeſta fuit; ſic Dejanira marito
Dicitur Herculeâ rapta fuiſſe manu.
Taliter Iſchomachen fratres rapuere bimembres,
Pectora funeſto cum caluere mero.
Taliter Æneadæ prædam fecere Sabinas,
Talis & Hermiones fœda rapina fuit.
Te mihi junxit Hymen: ſunt facti ſydera teſtes,
Quæque Lycaoniis ſubjacet ora rotis.
Hic ego, te viſa, calui; luxere jugales
Hic mihi Parraſio non procul igne faces.
Tum mihi te, Nymphas inter regina Boreas,
Spes erat æternum conjuge poſſe frui.

Sed cito me luſum miſer, & contraria ſenſi
Numina; tu thalamo rapta repente meo es.
Conjuge Perithous bellum ſuſcepit ademptâ,
Raptorumque fero ſanguine merſit humum.
Nec tulit opprobrium raptæ conſortis Oreſtes,
Sed furor, & juſtus movit ad arma dolor.
Mater & Hermiones, thalamos quæ ſponte mariti
Deſeruit, belli triſtis origo fuit.
Nec prius extincta eſt Menelai nobilis ira,
Quàm foret arx Priami, totaque Troja cinis.
Quam, pudet heu, patior, par eſt injuria raptûs,
Nec mihi pro læſo mollior ira thoro.
Sed fruſtra moveor; vindictæ vana cupido eſt,
Iraque, quem contra militet, hoſte caret.
Cum Domino quis bella gerat, patriæque parente?
Quis caput & jugulum Principis enſe petat?
Hei mihi, ſi fas eſt afflicto vera fateri,
Hos titulos, qui me læſit, adulter habet.
Rapta ſuo bilem movit Briſeis Achilli,
Armaque pro thalamis ſumere juſſit amor.
Marte ſed ulciſci regem, qui læſerat, heros
Noluit, invictas continuitque manus.
Sat fuit huic, querulas, pro telis, fundere voces;
Et, procul à caſtris, imbre rigare genas.
Illius exemplo nos Martia ponimus arma,
Quæ, niſi pro patria, ſtringere jura vetant.
Spicula ſunt lachrymæ, ſuſpiria longa ſariſſæ,
Pila graves gemitus, Pelias haſta preces.
Ius mihi, pro clypeo; patriæ, pro cuſpide, leges;
Quas Themis in medio ventilat æqua foro.
His ego cum Domino cernam fælicius armis,
Quàm mihi ſi Siculus det ſua tela faber.
Iuris in opprobrium, tituli quæruntur ab annis,
Queis licuit regi te, ſine lite, frui.
Sæva diu, fateor, mihi ſe Fortuna novercam
Præbuit, inceptis non ſatis æqua meis.
Falx aliena, diu nimium, mihi meſſuit agros;
Et, cui non decuit, præda fuere lares.
Nil tamen aut culpæ peccandi deterit uſus,

Au

Aut quod fas non eſt, incipit eſſe morâ.
Nec, quæ dente fero conſumunt cætera, legum
In titulos quidquam tempora juris habent.
Pectine nocturno ſtolidos quæ luſit amantes,
Orba diu vixit Penelopæa viro.
Non tamen amiſit vir conjugalia jura,
Sed manſit thalami quæ fuit ante fides.
Purpura te forſan, conjunx, & regia tangunt
Sceptra, ſalutari regis & uxor aves.
Fælix Æacides, regi quem prætulit uxor,
Argolicas fleret cum miſer ante rates.
Hæc, Agamemnonii quoties ſtrinxere lacerti,
Flevit, & aſſertor, dixit, Achille, veni.
Exue me ſceptris, &, quod circumfluit, oſtro:
Sat mihi Pelide conjuge poſſe frui.
Iuſta querela fuit: fælices purpura tædas
Non facit, alterius cùm violatur amor.
Turpiter invictis jacuit Mavortis in ulnis
Cypria, loripedem neſcia ferre virum.
Conjuge poſthabito, regali Poppia lecto
Turpiter excepta eſt, Cæſareoque ſinu.
Caſtus amor meus eſt, & crimine liber ab omni;
Qui face ſolenni te mihi vinxit Hymen.
Eſt mihi jus in te, Tygranâ quod manat ab ipſo,
Cujus in imperio tu prius uxor eras.
Hoc Themis, hoc, ſolido factis adamante tabellis,
Inſculpſit digitis Anna perenna ſuis.
Quinq; ter hoc, memini, procerum convellere livor,
Sanctaque tentavit ſolvere vincla thori.
Sed levior foliis fuit hæc cenſura caducis,
Arida quæ vacuum per nemus Eurus agit.
Reſcidit hanc pridem Rex ipſe, piuſque Senatus,
Et jus connubii ſanxit uterque mei.
Sed quod uterque tulit, nullo delebile ſæclo,
Nogrodus edicto pondus ineſſe negat.
Albaque commutans nigris, lucemque tenebris,
Veraque figmentis, faſque, nefaſque, tegit.
Iuſque datum ſceleri eſt; & jam Nogrodina ſecundis
Acta Notis, portum pene carina tenet.

Nil

Nil tamen his tangor : propè cernit Tantalus undas
Siccus , & eſuriens ſe propè poma videt.
Hoſtibus inſtantes , & Io cantare parati,
Sæpè duces turpi terga dedere fugæ .
Sæpè feram vidi , ſævo quam dente Moloſſus
Strinxerat , ereptam, ſorte favente, neci.
Et ſua, non rarò, corvos ſpes luſit hiantes,
Fugit & ex ipſis faucibus agna lupi.
Barbara ſi non ſunt, quæ findimus æquora,priſcæ
Si quid habet fidei , quæ regit illa cohors ;
Quem ſubit infælix , portu mergetur in ipſo
Naufraga cum domino trabs Nogrodina ſuo.
Quod ſecat hæc , nuper ſulcavit Ponthelis æquor,
Stultitiæ pœnas ſed dedit ille ſuæ.
Oceano, ventiſque diu jactatus, & aſtris
Adverſis , tenui cum rate , ſorptus aqua eſt.
His quoque, cum Dolago , Sthinoon mergetur in (undis,
Prædaque ventoſi fiet uterque freti.
Tunc ego te , liber tot corrivalibus, unus,
Sint modò Dî faciles, Gariomarra, fruar.

Gariomarra Nicari.

Regia quas poterat conjunx ſpreviſſe tabellas,
Perlegit ficti Gariomarra viri.
Fictus Hymen certè , quem jactas, ficta rapina,
Conjuge de rapta ficta querela tua eſt.
Abſit, ut Arctoas inter regina puellas,
Me famulo nuptam, mancipioque putem.
Eſt mihi vir , cui tu quondam ſervire ſolebas,
Sceptraque fulmineâ geſtat avita manu.
Huic me connubio ſociavit Tygrana , cujus
Mollibus imperiis ſubdita Nympha fui.
Atque utinam , quam tu thalami pro teſte citaſti,
Viſa ſibi poſſet Parrhaſis urſa loqui.
Non ego rapta viro, nec mœchum ſponte ſequuta
Crederer , aut ſceptris poſtpoſuiſſe fidem.
Lenta fori dudum cepiſſent jurgia finem,
Nullaque de noſtro conjuge rixa foret.
Quamque mihi quondam ſtruxiſti , techna pateret,
Primaque regali retia tenſa thoro.
Viribus

Viribus inferior tentaſti, perfide, vinclum
Solvere furtivo connubiale dolo.
Hoc quoque ſe tecum maculavit turba clientum
Crimine, promiſſis ludificata tuis.
Hæc ſcelus eſt confeſſa ſuum, veniamque rogavit,
Principis auguſtos ante voluta pedes.
Tu, quod in his pœnā meruit, pro crimine pugnas,
Et tegis admiſſum, qua potes arte, nefas.
Quæ Domino nuper poſuiſti retia novit
Tota Caledonio terra ſub axe jacens.
Nil, memini, nudos poſcebas præter honores,
Et titulos; tecti ſed latuere doli.
Hâc vafer in Domini thalamos irrepere technâ
Sperabas, &, cum conjuge, dote frui.
Obſtitit inſidiis generoſo Ponthelis auſu,
Tutatus poſito regia jura metu.
Sed freta ſulcavit miſer infælicibus aſtris,
Et tenuem venti deſtituere ratem.
Facta Deûm veneror, nec me mea damna morantur;
Fas tamen eſt Regem, ſceptraque læſa queri.
Cum patris in jugulum diſtringi cerneret enſem
Mutus Atys, muto lingua ſoluta fuit.
Tu, jugulo parcens, connubia Principis ambis,
Pro pudor, & domini quæris avarus opes.
Exemploque tuo Dolagus jam tollere criſtas
Cœpit, & uxorem me ſibi jactat ovans.
Non alio Sthinoon percuſſus pectora thyrſo,
Conſortem thalami ſe putat eſſe mei.
Supplicium meruit facinus, patriæque parenti
Fas erat autoris cæde piare nefas.
Regia ſed juſtas clementia molliit iras,
Et res arbitrio credita tota fori eſt.
Hic decus, & thalami regalis jura tuetur
Nogrodus, antiquæ nobilitatis eques.
Hâc pugil hic tecum, Nicares, luctatur arenâ,
Nec, quibus oppetiit Ponthelis, arma timet.
Scilicet eſt patrius pugnæ, palmæque Senatus
Arbiter, in cujus ſpem locat ille fide.
Nec ſpes vana tenet: quis enim, niſi mentis egenus

Tot

Tot proceres regem prodere velle putet?
Prima Caledoniæ fuit olim gloria gentis,
Pro patriâ, & patriæ poſſe parente mori.
Abſit, ut in dominum nunc conſpiraſſe putemus;
Iuraque Grampiaci proſtituiſſe fori.
Ante putem, verſo Donam pede, volvere lymphas,
Et latus occidui poſſe ſubire freti.
Benachiæ citius ſcandens faſtigia rupis
Vrius à Donæ gurgite flectet iter.
Incaſſum lachrymas vafer, & ſuſpiria fundis;
Et precibus mixtas, inſidiiſque minas.
Hæc ſacer heroum, quos tentas, flectere cœtus
Deſpicit, & ſi quæ forſitan arma paras.
Lynceus hic cauſam ſpectans, ad cætera cæcus
Arbiter, utque decet, truncus utraque manu eſt.
Huic eques, & procerũ, ſine munere, ſupplicat ordo,
Suntque pares illi Craſſus, & Irus inops.
His ego judicibus thalami ſecura jugalis
Vincula, fortunas his ego credo meas.

Ad Illuſtrem Comitem de Pembroch, de ſuo in aulam reditu.

ME mea, Pembrochi, ſemper vaga, rurſus in aulã
Sors trahit, & dubium per mare vela fero.
Quæ ſeco, longa nimis ſunt, & metuenda periclis
Æquora, nec tenui ſollicitanda trabe.
Æſtuat hic vortex, ſocios qui ſorpſit Vlyſſis,
Quæ vorat ejectas dira Charybdis aquas.
Hîc brevia, & Syrtes, hîc Acroceraunia cernis;
Et quot habet ſævos rauca Malea ſinus.
Aſpicis Aceſtis ſcopulos, & gentis Achivæ
Auſa triumphales frangere ſaxa rates.
Sunt quoque Sirenum cautes, quibus inſcia puppis
Hæret, & has inter dulce perire putat.
Ah, quot in hoc pelago jactatur fluctibus alnus!
Quot rapitur ventis, dum freta vaſta ſecat!
In ſcopulos nunc Eurus atrox, nunc Africus urget;
Turbine nunc Aquilo, nunc Notus imbre quatit.
Inter & Æolios videas fera prælia fratres,

Nec

Nec ſcit cui domino pareat unda maris.
Sæpe ratem, votis aſpirans aura Favonî
Dum ciet, adverſam nubifer Eurus agit.
Sæpè favens cœpto puppem dum provehit Auſter,
Sævus Hyperboreo ventus ab axe ruit.
Sæpè vides, dum vela legens ſubit oſtia pinus,
Rurſus in Oceanum, nube premente, rapi.
Ah quot in hoc pereunt, quod ſindimus, æquore, pup- (pes,
Sidere cùm lævo vela ſiniſtra ferunt!
Non tot in Ionio merguntur lintea ponto,
Non tot ab Heſperiis Syrtibus hauſta vides.
Cùm vehat innumeras, quam verrimus, unda carinas,
Vix portum de tot millibus una ſubit.
Heu, freta naufragiis nimis opportuna ſecamus:
Tot nuſquam premitur naufraga turba malis.
Si quis ab Hadriacis, fractâ rate, pallidus undis
Exit, in auxilium turba propinqua ruit.
Hic ſibi detractos humeris imponit amictus:
Hic fovet accenſo frigida membra foco.
Porrigit ille dapes, fert alter munera Bacchi,
Quamque poteſt, præſtat quiſque miſertus opem.
Nos fugit ejectos, ipſis nos ridet in undis
Barbara gens, noſtris exhilarata malis.
Cladibus, heu, noſtris oculi paſcuntur inertes,
Noſque notant digito fœmina virque ſuo.
Quodque magis miſerum, portu qui ſorte fruuntur,
Fabula nos illis, ludibriumque ſumus.
Non tamen eſt illis, portus tetigiſſe cupitos,
Gloria, nec nobis, non tetigiſſe, pudor.
Sæpè freto cùm merſa jacet prætoria puppis,
Vela legens, portum parva carina ſubit.
Scandere Bellerophon fruſtra tentavit Olympum;
Aſtra tamen tetigit Bellerophontis equus.
Regia progenies pontum dum trajicit Helle,
Nomina cui moriens contulit, hauſta freto eſt.
Quæ tamen hanc vexit, ſuperato bellua ponto,
Colchidis optatum littus, & arva tenet.
Crede mihi, ſobolem nobis ovis iſta reliquit,
Aurea quæ geſtat vellera, mente pecus.

Mollibus

Mollibus hæc Zephyris, pulvillos inter, & oſtrum
Navigat, & portum ſemiſopita ſubit.
His mare cum ventis ridet, fœlicibus auris,
Et, plus quam par eſt, æſtus & aſtra favent.
Nos mare, nos venti, nos æſtus vexat, & aſtra,
Semper & optati littoris ora fugit.
Non tot Mæonides mala paſſum finxit Vlyſſem,
Per freta dum Priami victor ab urbe redit.
Nec generis lux illa tui, Sidneia narrat
Muſa Pyroclæam plura tuliſſe ratem.
Maxime Pembrochi, rerum tutela mearum,
Per tibi ceſſurum dirige vela fretum.
Non ego Ledæos juvenes in vota vocabo,
Nec vaga cum vili ſydera plebe ſequar.
Tu mihi Pollucis præſtas, & Caſtoris ignes,
Et quæ Graja ratis, quæ Tyrus aſtra notat.
Tu mihi Neptuni frontem, tu nigra ſerenas
Æquora, quæ votis non ſatis æqua queror.
Anchora tu, quoties vento quaſſatur iniquo,
Tu, quoties ventus deficit, aura rati es.
Fluctibus indomitis ubi fervent æquora, puppim,
Typhis ut Æmonius, per vada cæca regis.
Denique, naufragiis cum paſſim tecta nigreſcent
Cærula, tranquillus tu mihi portus eris.
Vt mihi, Mecænas, poſſis præſtare, quod opto,
Det tibi Rex pelagi ſummus, & alma Thetis.
Vt præſtare velis hoc, quod potes, aurea virtus,
Quaque præis reliquis, mens generoſa dabit.

Ad Illuſtrem D. Gulielmum Alexandrum, Sterlini Comitem, Vicecomitem de Canada, & Secretarium Regium.

TRiſtis, Alexandrum quę primum traxit in aulā,
Lux erat, infauſtos inter habenda dies.
Tum, ferrugineæ merſum caliginis umbrâ
Crediderim Phœbi delituiſſe jubar.
Crediderim, Phœbi comites, fugiſſe puellas
Hinc procul, & fractas deſeruiſſe lyras.
Scilicet hac vatum princeps & gloria Phœbo

Æternum

Æternum dixit Virginibuſque Vale.
Regia divinum ſuſpendit ad atria plectrum,
Nec fuit ex illo tempore tacta chelys.
Cum Tameſin primum vidit Menſtræus, & aulam,
Secretâ Domini cœpit & aure frui:
Longinquos utinam profugus tunc iſſet in oras,
Barbariæ quæ plus, & feritatis habent.
Eſt locus hîc Muſis. Scythici ſub cardine cœli
Caſtalium Naſo ſollicitavit ebur.
Barbara ſit Rhodope quamvis,& inhoſpita Thrace,
Hæ tamen Orphæa perſonuere lyrâ.
Vna Philetæis inimica ſororibus aula eſt:
Neſcio quo mentes faſcinat illa modo.
Mille veneficiis excantat regia vates
Improba, Circæam dixeris eſſe domum.
Hæc Ithaci ſociis, magico ſtridore, loquelam
Abſtulit, illa ſacris vatibus ora premit.
Fas erat æternum reliquos muteſcere, Phœbi
Quotquot, & Aonidum templa canora colunt.
Vox ſacra Menſtræi eſt, non hæc prævertere fata
Debuit, aut, domino non moriente, mori.
Non prius Iliados lymphis vocalibus author
Abſtinuit, Lethes quam foret hauſta palus.
Nec pater ante Maro ſiluit, quàm regna Silentum
Et Stygis obſcuras umbra ſubiſſet aquas.
Pindaricuſque ſenex liquit cum pectine lucem,
Vnaque nox vitæ meta, lyræque fuit.
Orphea quis neſcit? caput à cervice revulſum
Huic erat, & merſum fluctibus, Hebre, tuis:
Priſca tamen manſit vox, & mirantibus undis,
Antiquum patrio fudit in amne melos.
Quæque feras olim traxit, comes addita voci
Barbitos, in mediis ſponte ſonabat aquis.
Enthea Menſtræi vox floreſcentibus annis
Deficit, &, domino non pereunte, perit.
Auratum ſic ſæpè jubar Sol arduus umbrâ
Implicat, & medio perdit in axe diem.
Tempore ſic verno vidi marceſcere flores,
Prataque, neſcio quo ſidere tacta, mori.

Muſarum, Phœbique prius, Menſtræ, ſacerdos,
Nunc amor Arctoi, deliciumque Iovis;
Hei mihi, Menſtræo quantùm mutatus ab illo es,
Nobilis orcheſtræ qui decus omne tulit!
Sidnæo qui digna dedit, qui carmine molli
Helladis æquavit, Romulidumque lyras.
Quique Caledonio Ieſſæos pectine nervos
Impulit, & ſacræ dulce Sionis ebur.
En Muſæ, ſolituſque fugit præcordia Phœbus;
Nec memor os cantus, nec manus apta lyræ eſt.
Te modò ſeceſſus nemorum, te blanda juvabant
Otia: nunc aulæ murmur, & urbis amas.
Carmine poſthabito, pudet heu, ſine lege tabellas
Scribis, & ingenio verba minora tuo.
Dumque vacas patriæ, dum ſufficis omnibus unus,
Mille fatigantur menſque, manuſque modis.
Mens caret alternâ requie, manus æmula menti eſt,
Hora miniſterio nec vacat ulla tuo.
Mane ſalutatum veniunt juveneſque, ſeneſque,
Vrbſque tuas omnis ſiſtitur ante fores.
Palladis hæc famulas, & amicas vatibus horas
Turba rapit, reliquum vendicat aula diem.
Nunc ad Hyperboreos Regis mandata Britannos,
Nunc populi ad Regem vota, preceſque refers.
Sæpè tuos poſcit nox intempeſta labores,
Et dare te ſomno publica cura vetat.
Vt vetus exercet, nova ſic te Scotia curis
Diſtrahit, ignoto quæ plaga ſole tepet.
Hæc tibi ſervit humus, te dignum, & principe munus,
Teque pharetratus nuncupat Indus herum.
Hanc opibus, populiſque novis, hanc inſtruis armis:
Accipit & leges barbara terra tuas.
Hic delubra Deo ſurgunt, & civibus urbes,
Hic mare navigiis, frugibus arva reples.
Hæ tibi ſunt artes: urget nova cura priorem
Semper, & antiquam ſollicitudo recens.
Non ita luctatur, fauces qui tentat Abydi,
Vis fera ventorum cum ſine lege furit.
Non ita torquetur qui volvit in ardua ſaxum,

Nec

Nec qui Tartareâ volvitur ipſe rotâ.
Sic tibi te, Muſiſque tuis, vatumque choreis
Vrbs, &, quæ mentem faſcinat, aula rapit.
Error in hoc fors eſt, & ſum temerarius autor,
Nititur & vano fortè querela metu.
Vrbibus in mediis vitam pars maxima vatum
Duxit, erat multis Principis aula domus.
Mantua quem genuit, caneret cum Martia vates
Prælia, Martigenûm civis in urbe fuit.
Vixit in hac Naſo, teneros cum luſit amores,
Scripſit & hic Flaccus, Bilbilicuſque ſenex.
Sacra Caledoniæ Siren, Buchananus in aula
Conſenuit, ſtrepitus inter, & arma virûm.
Hic tamen Arctoas hymnis cœleſtibus aures
Imbuit, & ſacris templa Britanna modis.
Hic Cyrrham Iordanis aquis, Helicona Sioni
Iunxit, & Hebrææ Romula plectra lyræ.
His comes accedens da, quæ fugis, otia Muſis:
Phocidis ad fontes, & tua ſacra redi.
Abjice, quæ nullo ſcribuntur Apolline, ceras,
Verbaque Theſpiadum non benè nota choro.
Quod patriæ donas, da partem temporis Orbi,
Totaque Menſtræum ſub Iove terra legat.
Nil patriæ, fateor, non debes, plus tamen in te
Iuris, & imperii maximus Orbis habet.

Προπεμπτικὸν ad Illuſtriſſ. Principem Ludovicum, Comit. Palatinum, Ducem Bavariæ, &c.

ARcturi jam ſidus adeſt; & portitor Helles
Mox tua Phœbęis terga prementur equis.
Lætior Eois proles Hyperionis undis
Emicat, & luces lentius ire jubet.
Frigora miteſcunt Zephyris: marè temperat iras:
Solvit & hybernas mollior aura nives.
Arboribuſque comæ redeunt, & gramina campis:
Pictaque diſſimili prata colore nitent.
Et volucrum lætis reſonat concentibus æther,
Et pecus in viridi ludere geſtit humo.
Omnia nunc vernant, Heu quam brevis iſta voluptas!

Cras

Cras ſument vultus terra poluſque novos.
Quo fruimur læti veris veſtigia nulla,
Nulla Cheremoni gratia ruris erit.
Nate Deo, Ludovice, puer quem ſuſcipit orbis,
Ipſe cui Rhenus ſervit & unda Nicri;
Omnia cras tecum migrabunt gaudia: tecum
Primitias anni deliciaſque feres.
Lux & ocelle hominum, te diſcedente, colores
Mille trahens ſecum, ver parat ire comes.
Quique nites flores inter pulcherrimus omnes,
Tota cohors florum, te duce, carpet iter.
Te crocus & violæ, te lilia noſtra ſequentur:
Sedaniaſque leget Teutonis ora roſas.
Ipſæ etiam egreſſæ ſylvis & prole relictâ,
Te circum denſæ jam glomerantur aves.
Vt, quacunque feras greſſus, comitentur euntem,
Cantibus & fallant tædia longa viæ.
Sedanium, Ludovice, decus, ſua gaudia Moſæ
Cur rapis, & noto ſubtrahis ora polo?
Te puerum teneris urbs hæc eduxit ab annis:
Hæc eadem tellus hoſpita fratris erat.
Sis memor illius: non te nutricia gazas
Poſcit, Erythræis quas legit Indus aquis.
Ipſa ſuis contenta bonis, hoc poſtulat unum,
Poſſe Palatini principis ore frui.
Suſcipe vota puer. Non te hic vixiſſe pigebit,
Cæſaribus quamvis ſis oriundus avis.
Vrbs mole exigua eſt, famam ſed terminat aſtris:
Nec belli ſtudiis, quam pietate, minor.
Hanc circum niveis volitans victoria pennis
Ambit, & auratis gloria vecta rotis.
Hanc regit imperio Mavors, & protegit armis
Bullonios inter gloria prima duces.
Martia fulmineæ cujus ſe Gallia dextræ
Debet, & eſt toties quo duce fractus Iber.
Ille mares animos virtute & fortibus auſis
Inſtruit, exemplo dum præit ipſe ſuo.
Nec deſunt Phœbi comites, tua cura, Camœnæ;
Nec quæ Pieridum temperat unda ſitim.

Ipſ

Ipſe, cui Muſæ, cui plectrum cedat Apollo,
Imbuit Aoniis ora Tilenus aquis.
Artibus his puerum Chiron perfecit Achillem,
Et docuit fortes plectra movere manus.
His feſſum ſtudiis vocat ad certamina circus,
Hic ubi Moſa ſuis mœnia lambit aquis.
Hic tecum Turræus ovat, patris æmula proles,
Et quatit indomitos pulverulentus equos.
Nunc greſſus glomerare docet, nunc ſurgere in au-
Quadrupedem, exiguo nunc rotat orbe puer. (ras
Quod ſi forte juvat ſtudia exercere Dianæ,
Proxima quas optas dat tibi ſylva feras.
Hic cervos ambire plagis, & figere damas,
Hic potes in torvos cominus ire ſues.
Saltibus egreſſus mediis in vallibus amnem
Aſpice, qui læto flumine ditat agros.
Prata vagis hilarantur aquis. Hic floribus halat
Semper & innato murice ridet humus.
Hic Maria exercet choreas, Turreïa proles,
Quam tibi maternus ſanguine junxit avus.
Et Charites mixtæ comites per prata vagantur;
Crebraque purpureus ſpicula vibrat Amor.
Qua Dea fert greſſum, tellus expirat amomum:
Et Venus Idalia gramina pingit acu.
Fundit humus violas, teneros ubi figit ocellos,
Explicat & vernas luxurioſa roſas.
Ambigeres, rapiatne roſis, tribuatne ruborem,
Quæ nitet in niveis purpura nata genis.
Aſt ego Phœbæos fruſtra ſufflamino currus:
Præcipites fruſtra ſiſtere conor equos.
Tu puer ire paras, fruiturus Caſtore Pollux:
Statque celer mœſtas Cyllarus ante fores.
Invitat te fratris amor, Nymphæque ſorores,
Et genitrix primas inter habenda Deas.
Nympha Caledonio ſata rege, puerpera fratri
Facta iterum, cunctas rumpit Eliza moras.
Aureoluſque ex fratre nepos, cui Cæſaris ara
Debita, ſi qua polo ſideribuſque fides.
Tanta ſuis nequeunt fruſtrari Numina votis,

I puer & patriæ te citò redde tuæ.
Te patriæ cito redde tuæ : ſed Numina nobis
Tam cito reſtituant quàm rapuere cito.

De naſo Naſonis cujuſdam naſutiſſimi.

COnditur hoc tumulo naſorum maximus, orbem
Flere decet ; nil non hoc pereunte , perit.
Hic poterat vel more tubæ fera bella ciere,
Scindere vel patriam vomeris inſtar humum.
Non alium fornax optaſſet Lemnia follem ;
Nec magis incudi malleus aptus erat.
Hoc exantlari poterat ſiphone carina ;
Hoc poterat clavo per vada cæca regi.
Hæc Libycas in bella feras armare proboſcis,
Hæc poterant Pharios roſtra decere boves.
Non hoc Alciden , cœli qui ſuſtinet axem,
Non hoc Atlantem dedecuiſſet onus.
Vaſta minus Rodii geſſerunt roſtra coloſſi,
Vel moles ſi quæ major in orbe fuit.
Pes tripodi , radius cœli menſoribus aptus,
Paſtori poterat naſus hic eſſe pedum.
Piſtillo hoc poterat ſalſamentarius uti ;
Spongia , quæ menſas tergere poſſet, erat.
Naſus hic admotas potuit ſuccendere tædas,
Eminus extinctas vidi animare faces.
Arcuit hic Solis radios , & præbuit umbram,
Hoc dominus pluvio tutus ab imbre fuit.
Victa mero quoties tradebat lumina ſomno,
Huic pulvinari colla ferenda dedit.
Roſtra quod eſſe ſolent æratis puppibus , illi,
Quod ſua ſunt cochleæ cornua , naſus erat.
Hoc iter in tenebris ſibi prætentabat eunti,
Hoc duce ſecuram carpſit ubique viam.
Hoc prohibente nefas, irritamenta malorum,
Nullius admiſit baſia, nulla dedit.
Hic ubi rore madens ſpirabat , pocula nemo,
Audebat poſitas tangere nemo dapes.
Buccina Tritonis quæ convocat æquora,talis,
Talis & Alcidæ clava trinodis erat.

Hic

Hic geminam poterat naſus præbere cloacam,
Romulidûm populo quæ ſatis ampla foret.
Hunc averſari teneræ ſuevere puellæ,
Helleſpontiaci ceu rubra membra Dei.
Mollior hic plumâ fuit, & rubicundior oſtro,
Floridior prato, ſplendidiorque vitro.
Nubibus humidior bibulis, & olentior hirco;
Mobilior caudâ, blande catelle, tuâ.
Non tot vere novo turgent in palmite gemmæ,
Rorida tot guttas vix, reor, iris habet.
Nemo tot exeſo latebras in pumice, cellas
Nemo tot Hyblæo vidit ineſſe favo.
Celtiber hæc poterat coluiſſe cuniculus antra,
Hic poterat cæcos figere talpa lares.
Nil naſo, nil par Naſoni protulit orbis,
Omnia naſus erat, Naſo ſed ipſe nihil.

Ad Cancellarium, de furoribus Brontotyphæis.

Ergone, te vivo, ſacri te principe cœtus,
Haye, premi leges, juſtitiamque ſines?
Divitis ingluviem paſcet ſine vindice pauper?
Et tenuis, turbæ præda potentis, erit?
Quæque novem ſequitur dominas, gens ſemper inermis,
Cingere cogetur, quem timet, enſe latus?
Adſpice Ionſtonum: totus jam ferreus ille eſt,
Horridus aſpectu, diſſimiliſque ſui.
Nuper Apollinea velabat tempora lauru,
Nunc, pudet heu, durâ caſſide preſſa coma eſt.
Dextra gerit gladium, quæ nuper plectra tenebat,
Lævaque fert clypeum, quæ tulit ante lyram.
Quæque tenet ferrum, manus eſt circundata ferro,
Mopſopii jures eſſe Myronis opus.
Nec ſat id eſt; vatis jam ſpecta crura, pedeſque,
Cruribus æratis, æripidemque vides.
Colla gravat, pectuſque chalybs impervius; hamis
Mille laborato tegmine terga rigent.
Squammea nec magis eſt gens, quæ maris æquora pinnis

Findit, & in Libycis vipera nata rubis.
Os, oculique patent tantum; ſunt cætera ferrum,
Æraque; vix illi forma relicta viri eſt.
Talis, Priamiden contra cum ſtaret, Achilles:
Talis, in Æaciden cum ruit, Hector erat.
Se quoties ſpectat vates, ſe ridet, & odit,
Et timet, &, tanquam preſſus ab hoſte, fugit.
Et fugit ærato trepidus de pectore Phœbus,
Quotquot & Aonius numina collis habet.
Forſan in hæc dubites quis me miracula rerum
Verterit, & qua ſim læſus ab arte roges.
Non Mycale, non me trux excantavit Erichtho,
Docta nec aſtrorum vertere Dipſas iter.
Nec quæ Dulichio ſocios mutavit Vlyſſi,
Nec fera, quæ juvenem de ſene fecit, anus.
In nova Brontotyphus me vertit monſtra, Poetæ
Ille latus ferro cinxit, & ære caput.
Montibus in mediis domus eſt mihi, penè ſub Arcto,
Parva quidem, domino ſed ſatis ampla ſuo.
Eſt ager exiguus, ſolas qui fundit avenas,
Aptaque lanigero fert alimenta gregi:
Hic poſui, fixique larem: poſt mille labores,
Spes erat hic molli poſſe quiete frui.
Spes erat & patriæ laudes, in rupe remota,
Pangere, Grampigenas & celebrare duces.
Inter & hos, palmam reliquis qui præripit, Hayum,
Autorem generis, principiumque tui.
Aucta mihi ſpes eſt, domino quod rege fruebar,
Et quod pars aulæ quantulacunque fui.
Sed caput inviſum Superis, patriæque, ſuiſque,
Et mihi, Brontotyphus ſpem vetat eſſe ratam.
Pauperis hic tuguri prædo mihi tecta, laremque
Abſtulit, & gazæ quicquid agreſtis erat.
Crevit amor prædæ; me dulcibus exuit arvis,
Raptaque captivis prædia bobus arat.
Nec modus eſt ſceleris, cœpti nec meta furoris,
Funera nunc domini ſpirat, & arma quatit.
Arma dedit rabies, trux quæ Polyphemus, & ingens,
Sidera qui fulcit, ferre recuſet Atlas.

Septem

Septem terga boum , clypei ſeptemplicis orbes,
Læva regit , telum dextra trabale tenet.
Enormi tegit enſe latus, comes additur enſi
Pugio, ceu cuſpis non ſatis una foret.
Flammivomoſque tubos , & tela Typhoea demens
His jugat, & glandes fulmineoſque globos.
Vertice fert chalybem, ferro qui durior omni eſt,
Ære manus , geminos aſperat ære pedes.
Quod reliquũ eſt lorica gravis, quæ deſpicit enſes,
Protegit , Ætnæi munus, opuſque fabri.
Hanc ſuperinduitur nunc pelle Libyſtidis urſæ,
Nunc bovis , aut corio , bubale ſæve, tuo.
Talibus incinctus per non ſua rura vagatur,
Stringit & in jugulum tela parata meum.
His agitat trepidumq; pecus,pecoriſque magiſtros,
Inter & attonitos ventilat æra boves.
Sic ruit Eumenidum flammis ſtimulatus Oreſtes,
Penthea ſic egit, ſic Athamanta furor.
Sic Telamoniades ſociis infenſus Achivis,
Rura per & ſylvas, in pecus arma tulit.
Seque ratus Danais , & magno pectus Vlyſſi
Figere, vervecum ſanguine tinxit humum.
Hanc ego vim contra, triplici nunc pectora ferro
Implico, curvari pondere membra vides.
Naſo Getas inter vitam traduxit inermes:
Vnaque tunc elegos fundere cura fuit.
Finibus in patriis tectum me cernis aheno,
Quaque puer repſi , terra timenda mihi eſt.
Pro lare , pro cenſu , pro vita cernere vates
Cogitur, armorum militiæque rudis.
Affer opem , ſancti caput & tutela Senatûs,
Haye, ſub Arctoo qui Iove jura regis.
Exue me ferro : turpe eſt pugnare poetam,
Turpe nimis poſitâ ſumere tela chely.
Arma virûm Clariis fas eſt cantare puellis,
Grex tamen hic mecum , quæ canit, arma timet.
Heu, quoties memini tranſactæ tempora vitæ,
Ingemo , nec fictis ora rigantur aquis.
Sole ſub ignoto vixi ter meſſibus octo,

Et melior vitæ pars fuit illa meæ.
Sub Iove ſecurus cantabam Phyllidis ignes,
Et, quibus incalui non ſemel ipſe, faces.
Tunc Saravictonias, & quas Biomea querelas
Fudit, & Æoliden dicere, luſus erat.
Sæpè, metu poſito, nemorum ſecreta pererrans
Vellebam medica gramina nota manu.
His ego, nec fruſtra, conabar pellere morbos:
Sæpè meam tellus hoſpita ſenſit opem.
Tum mihi nec clypei, nec ahenæ caſſidis uſus,
Nec jaculi hoſtilis, nec metus hoſtis erat.
Redde, quod amiſi, fac mollibus otia Muſis,
Et reduci patriâ da ſine Marte frui.
Eſt aliquid, vatem ſibi devinxiſſe, Britanni
Plus tamen eſt famulum demeruiſſe Iovis.
Adſpice canitiem: bello minus apta gerendo,
Donari meruit noſtra ſenecta rude.
Sunt mihi, quæ ſenium magis ornent, Pæonis artes,
Sed ferus hanc populis invidet hoſtis opem.
Per quaſcunque feror, nunc ignipotentibus armis
Vndique, nunc jaculis obſidet ille vias.
Audet in Actæa quicquid tellure Procuſtes,
Quicquid in Iſthmiaca trux Scinis auſus humo (eſt.
Nec ſecus Autolycus ſacris graſſatus in antris
Fertur, in Actæis cum tulit arma jugis.
Haye, latrocinii jam quas decet exige pœnas,
Quodque jubent leges, ſiſte furoris iter.
Ante luit facinus Latiis prædator in oris,
Qui vafer averſos traxit in antra boves.
Non ego de bobus, de raptis conqueror arvis,
De lare, ſub dio, quo ſine, nudus ago.
Sub Iove nunc hyemant teneri cum conjuge nati,
Spes laris Icarius torruit ante canis.
Ah vereor, ne jam notas vertatur ad artes
Hoſtis, & involvat faſque, nefaſque dolis.
Mille gerit vultus: non tot maris incola Proteus
Verſus in effigies, non Achelous erat.
Cum lubet, hic modicum doctus componere civē,
Sternitur auguſtos judicis ante pedes.

Facta

Facta infecta negat; celſi nunc ætheris ignes
  Cum Iove teſtatur, nunc Acherontis aquas.
Nunc ſtudet eloquio, nunc tentat judicis æqui,
  Dum pretio neſcit, flectere corda prece.
Nec ſemel implevit ſacras ululatibus aures,
  Et, memini, lachrymas in cava roſtra tulit.
Miſcuit his gemitus; quantum mutatus ab illo,
  Qui procul hinc oculis ſpirat & ore neces!
Deme fidem lachrymis, toties deluſus, & orbi,
  Magne heros, generis da documenta tui.
Sis novus Alcides, & quam geris utere clava;
  Eripe me furiis, & nova monſtra doma.
Eſt ſacra gens Phœbi, ſacrum decet eſſe miniſtrum
  Regis, utrique ſuam, nam potes, affer opem.

Ad Thomam Nicolſonum, Iuriſconſultorum Principem.

ACcipe, quam vovit ibi, Nicolſone, ſalutem,
  Meque tua pariter, ſi potes, arte juva.
Mutua pollicitos memini nos munia vitæ,
  Alterius quoties alter egeret ope.
Solve fidem: fatis ego te prior ictus iniquis
  Multa pati cogor, multa nefanda tuli.
Eſt mihi, nuper erat certè, malè pinguis agellus,
  Parvaque gramineo ceſpite tecta domus.
Satque ſuperque ſua ſe paupertate tueri
  Hæc medios inter poſſet & ille Getas.
Non tamen hunc texit, non hanc defendit egeſtas:
  Raptus ager, parvo cum lare rapta caſa eſt.
Quæ mihi reſtabat, vitæ quoque prædo minatur;
  Nec niſi de jugulo jam mihi cura meo eſt.
Tu, cæli dum luce fruor, ſuccurre clienti,
  Et pactam medico, dum licet, affer opem.
Nil opus hic ferro, te cinge forenſibus armis,
  Quæ patruus nuper, quæ pater ante tulit.
Non tibi Neſtoreæ Neleia flumina linguæ,
  Nec Laertiadæ fortia verba precor.
Non ego te Tullî, non te Demoſthenis opto,
  Aut, Atlantiades quo ſolet, ore loqui.
Strinxit in Enceladum, vaſtique Typhoëos ora

Iupiter in Siculis tela recocta focis.
In caput ignivomi tu Brontotyphoëos ultor,
Quæ geris, eloquii fulmina prome tui.
His, quibus obſtupuit toties Bodotria, vires
Disjicis hoſtiles, & fora tota quatis.
Te Themis irato, quas non habet, induit iras,
Hæc tecum ridet, condolet, odit, amat.
Qui tonat ad Boream, te coram concidet hoſtis,
Fabula Grampiaci, ludibriumque fori.
Nec tibi Brontotyphum, miſtas qui turbine flammas
Faucibus eructat, vincere turpe puta.
Filius Alcmenæ ſimul & Calydonius heros
Cæde triumpharunt; hic ſuis, ille bovis.
Perſea ſideribus donavit Gorgo; trophæi
Bellerophontæi cauſa Chimæra fuit.
Quique ſuis tumidum ſtravit Pythona ſagittis,
Victor adhuc celebrans Pythia cantat Io.
Plus hic laudis erit, monſtro ſtabulantur in iſto,
Bos ferus, hirtus aper, Gorgo, Chimæra, draco.
Mille feras hoc pectus alit, totidemque triumphos
Vnius excidium ſeſquicyclopis habet.

Apologia pro Daulio Scoto Iudæomaſtige.

QVid ſequar aut fugiam? Virtus ſcelus eſſe pu-
Virtutum titulis crimina ſæpè tument. (tatur,
Daulius, Hebræis os quod ſublevit apellis,
Quod pecus hoc mulſit, creditur eſſe reus.
Rodere quos audet, neſcit plebecula, neſcit
Mentis inops mores, ingeniumque viri.
Non ſitis hunc auri ſacræ dare verba Sioni,
Et mulgere tuas, Iuda, coëgit oves.
Cauſa fuit pietas omnis furtique, dolique,
Nititur exemplo crimen utrumque ſacro.
Cum Deus Iſacidas Phariis eduxit ab oris,
Niliacas ſecum ſumere juſſit opes.
Nulla mora eſt, populum ludit gens ſacra profanũ,
Hoſpitis & ſpoliis hoſpes onuſtus abit.
Iuſta rapina fuit; duro cum principe pœnas
Has luit Hebræo ſanguine tincta Pharos.

Quod

Quod fera tum Memphis, nunc gens recutita me-
Figere ſupremi Numinis auſa latus. (retur,
Fas erat hos oculis necis expilare miniſtros,
Demere fas reliquam, quæ tegit oſſa, cutem.
Hoc quoque, nam memini, veterum reſponſa mi-
Fata Palæſtini vaticinata ſoli. (nantur,
Implevit Dauli pietas oracula vatum,
Sed levior culpa vindicis ira fuit.
Perdere quos poterat, gazis duntaxat & auro
Exuit, exuviis gens Erythræa tuis.
Adde quod hæc Scotæ decuit vindicta nepotes,
Grampia qui gelido ſaxa ſub axe colunt.
Hæc ſexus regina ſui, de gente Canopi,
Et Peluſiaci filia regis erat.
Sed ducis Hebræi fugiens, & Numinis iras,
Venit in hanc, nomen cui dedit, exul humum.
Scotia, væ pigro nimium vicina Bootæ,
Quas coleret terras, imperiumque dedit.
Quæ profugæ ſedeſque dedit, ſceptrumq; puellæ,
Emicat ex illa nunc pius ultor humo.
Finibus in Geticis pro virgine Daulius iras
Induit, & pœnas hoſtis apella luit.
Sicca tamen vindicta fuit; ſine cæde triumphans
Nullius infecit ſanguine victor humum.
Cæde litaturus patriæ fuit ille parenti,
Sed patriæ vetuit ſtringere tela ſalus.
Glubere nil illam Solymæ juviſſet ovile,
Nullus & effuſi ſanguinis uſus erat.
Marte potens, ſed terra minus fœcunda, Sionis
Tonderi potius juſſit inerme pecus.
Paruit, & patriis vindex pius intulit oris
Aurea de ſacro vellera tracta grege.
Hoſpitis auſa ſui cum ſpectavere, feruntur
Dacus, & immanes obſtupuiſſe Getæ.
Ardua, crede mihi, nummis emungere verpos
Res fuit, & multæ dexteritatis opus.
Hæc oculata nimis gens eſt, nec doctior ulla,
Nectere ſeu malit, ſive cavere dolos.
Huic tamen aſſertor patriæ præſtrinxit ocellos

 Daulius,

Daulius, & bis ſex præda fuere tribus.
Non ſine flagitio gens fallitur inſcia fraudis;
Crimen abeſt quoties luditur arte dolus.
Arte perire ſua meruit, qui primus in ære
Mugitum docuit more ciere bovis.
Nemo lupo foveam, vel retia tendere vulpi,
Accipitrem viſco fallere nemo vetat.
Sæpè quod enſe ferox miles nequit, expedit aſtu,
Nec plus ingenio dextera laudis habet.
Præſtitit arte Sinon, & equi fabricator Epeus,
Arma quod Æmonii non potuere ducis.
Quis Telamoniaden? ſocium quis neſcit Vlyſſem?
Promptior inſidiis hic fuit, ille manu.
Hunc tamen antetulit juveni Telamone creato
Græcia, defuncti cum ducis arma dedit. (technis
Quid, quod & ipſa cohors Superûm ſine crimine
Gaudet, & arcana quærit ab arte decus?
Retia fert Cypris, quibus intricantur amantes,
Et gerit Idalius ſpicula cæca puer.
Te, vafer Ixion, nubes Iunonia: ſaxo
Conjugis ingluviem ludificata Rhea eſt.
Martis & in gremio Venus irretita, mariti
Inſidiis, cælo fabula facta fuit.
Quid Iove vel majus, vel ſanctius aſpicit orbis?
Non tamen hunc blandi dedecuere doli.
Aureus in dominæ gremium nunc decidit imber,
Cornua nunc torvi ſumpſit & ora bovis.
Vir ſuus Alcmenæ, Ganymedi fulminis ales,
Factus & eſt, Ledam cum vitiaret, olor.
Quoſlibet in vultus abiens, homineſque, Deoſque
Luſit, & exemplum juſſit utroſque ſequi.
Non minor eſt, ſi cuncta putas, ſolertia Daulî,
Quam Iovis, ille ſua, ſed minus, arte nocet.
Cura fuit, ſtudiumque Iovis, violare puellas,
Sanctaque legitimi ſolvere vincla thori,
Caſtius aucupium Daulî eſt; nil ille fugaces
Præter opes, terra de locuplete petit.
Arbore de plena fas eſt decerpere pomum,
Vellere fas ſpicam, cum gravat arva ſeges.

De Tarteſſiacis aurum, de fluctibus Indis
Rara poteſt, nullo crimine, gemma legi.
Nec vetat Euganeis quiſquam de collibus uvam
Carpere, vel Pæſti de regione roſam.
Sed malè Dî leges perdant, & ferrea legum
Vincula, quæque Meum jura Tuumque docent.
Publica res olim fuit omnis, terque beatos,
Quæ mea res eſſet, quæ tua, fugit avos.
Colchida cum peteret pubes Argiva, quis eſſet
Phryxeæ dominus, nemo rogavit, ovis.
Exuit Heſperidum pomis fælicibus hortum
Filius Alcmenæ, magnanimique Iovis.
Non tamen excuſſit tetricus, quid in illa puellæ
Aut pater, aut patruus juris haberet Atlas.
Aurea, Romuleo quamvis prohibente Senatu,
Munera digna peti, digna fuere rapi.
Nunc, pudet heu, cum præda vocat, jus ante Quiri-
Conſuliturque tuus, Iuſtiniane, tripus. (tum,
Sæpè quod urget amor prædæ, contraria voto
Lex vetat, & lex hæc quod vetat, illa jubet.
Quid jubeant, quid jura vetent, dum quæritur, an-
Labitur, & prædæ ſpeſque, fameſque perit. (nus
Quodque magis miſerum, dum, quod ſitit, ungitur
Curia, cum præda res tua ſæpè perit. (auro
Tranſiit has legum Dauli ſolertia Syrtes,
Nec quo quæſivit jure parentur opes.
Sed neque Dauliacis jus & fas abfuit auſis,
Abramidæ nec, quod jure querantur, habent.
Nil niſi fortunas quæſivit Daulius, illi
Quas inimica bonis cæca negarat anus.
Cuilibet hoſtilem fas eſt invadere terram,
Hoſtis opes belli carpere jure potes.
Si quis in hoc error fuit, aurum ſydere lævo
Vir pius in patriam cum tulit, error erat.
Illa viri meritis oppedit, & invida muſſat,
Neſcio quid, Getico ſi quis ab axe redit.
His, ait, Iſacidum vindex mittetur ab oris,
Qui malè quæſitas reddere coget opes.
Improba tunc fiet poſitis cornicula plumis

Fabula pennigero ludibriumque gregi.
Talibus invidiam civi creat, heu, ſua tellus,
Sævior Hircanis, Sarmaticiſque jugis.
Scotica terra nimis vicina Lycaonis aſtro eſt;
Hujus amat mores, ingeniumque ſequi.
Nate Deâ, qui furta regis, fraudeſque, clienti,
Ne repetundarum lex premat, affer opem.
Sin luit, & laqueo ſtringit Rhamnuſia fauces,
Te rogat, ingratâ ne tumuletur humo.

Ad Robertum Baronium.

ADſpice, Gadiacis quod miſi triſtis ab undis,
Baroni, plenum ruſticitatis opus.
Vrbe procul, parvus, nec ſat fœcundus agellus
Eſt mihi, ſaxoſis aſper ubique jugis.
Hic ego, qui Muſis olim Phœboque litavi,
Devotus Cereri prædia bobus aro.
Curvus humum ſpectans, interdum ponè juvencos
Sector, & impreſſo vomere findo ſolum.
Interdum ſtimulo, nec rarò vocibus utor,
Et ſtupidum numeros diſcere cogo pecus.
Nunc ſubigo raſtris, nunc terram crate fatigo,
Horrida nunc duro ſeſqua bidente domo.
Hîc manus exoſſat lapidoſa novalia, lymphis
Hîc rigat inductis, hîc ſcrobe ſiccat humum.
Sæpè flagellatæ laſſant mihi brachia fruges,
Ambo fatigantur ſæpè ligone pedes.
Ipſe lutum nudus furcâ verſare tricorni
Cogor, & immundo ſpargere rura fimo.
Vere novo videas mandantem ſemina ſulcis:
Arva ſub Arcturi ſidere falce meto.
Pars meſſis torrenda focis, frangendaque ſaxo eſt,
Pars mihi fluminëis merſa domatur aquis.
Æſtibus in mediis, hyemis memor, ignibus apta
Pabula ſuffoſſa quærere cogor humo.
Viſcera dum rimor terræ, propè conſpicor umbras,
Ignotum nec me Manibus eſſe reor.
Ingeminant curæ, ceu tempeſtate coortâ
Cum prior urgetur fluctibus unda novis.

Vix

Vix intempeſta clauduntur lumina nocte,
Excitor, ut cecinit nuncia lucis avis.
Pellibus hirſutis humeros involvo, pedeſque:
Rapa famem pellit, fluminis unda ſitim.
Mille modis pereo; nil infælicius, uno
Me miſerabilius nil gravis Orcus habet.
Me mea nunc genitrix, & quæ dedit ubera nutrix,
Horreret, vultu terreor ipſe meo.
Non ego ſum, quod eram, fœdantur pulvere cani,
Ora ſitu turpi, crura pedeſque luto.
Obſtipum caput eſt, & adunco ſuetus aratro
Semper humi figo lumina, more bovis.
Hirta ſed & frons eſt, hirſutaque tempora, ſetis
Pectora ſylveſcunt, hiſpida barba riget.
Calloſas, tritaſque manus agreſtibus armis,
Duratam cernis ſole geluque cutem.
Sum miſer, & videor Libycis ſtrigoſior arvis,
Siccior ipſe meis ſqualidiorque jugis.
Ah pereat, Gadi quicunque ſalacibus undis
Emolliri hominum corpora poſſe putat.
Saxeus ut Pyliis evaſit paſtor in oris,
Quem tetigit torto virga dracone virens:
Vtque Meduſæi perculſum lumine monſtri
Phinea cum ſociis diriguiſſe ferunt:
Sic mihi jam pridem lymphis obduruit iſtis
Corpus, in hac factus ſum regione ſilex.
In nova qui cecinit mutatas corpora formas,
His poterat formæ jungere damna meæ.
Sed levis hæc forſan poſſet jactura videri,
Ni ſimul ingenii juncta ruina foret.
Bruta mihi mens eſt, & corporis æmula, qualis
Scilicet agreſtem ruricolamque decet.
Sunt rigidi mores, & quos colo, montibus apti,
Mundicies illis, cultus & omnis abeſt.
Conſueti fugere ſales, fugere lepores,
Indolis & quicquid nobilioris erat.
Cura mihi in vitulos, pudet heu, traducitur omnis,
Nec niſi de bobus, vomeribuſque loquor.
Dumque loquor, riſum vel veſpillonibus ipſis

Excutio linguæ ruſticitate meæ.
Dedidici Latias ſub iniquo ſidere voces,
Dedidici Clariæ fila movere lyræ.
Si quid adhuc ſupereſt priſci ſermonis, amurca eſt,
Et ſordes, quas gens tractat agreſtis, olet.
Si dubitas, noſtri lapſus expende libelli,
Hi facient dictis, me reticente, fidem.
Perlege, ſi fas eſt, &, ſi vacat, elue nævos,
Arbitrio ſtabunt noſtra cadentque tuo.
Dumque palimpſeſtum teris infælicis amici,
Thure litans votis tu tua junge meis.
Non peto vel meſſes Arabum, vel farris acervos,
Arva vel ut findant pinguia mille boves.
Orbis ab extremi ſeptis, & Gadibus ipſis,
Vomere ſepoſito, poſſe redire, ſat eſt.

Ad Cæliam.

DVm Gariochæos peragras, mea Cælia, tractus,
Ruraque brumali ſemper amicta nive:
Ah fuge Gadiacas, ceu ſaxa Capharea, lymphas,
Ceu quodcunque timet nautica turba mali.
Fer greſſus quocunque jubent bona numina, tantum
Ne niveos iſto gurgite tinge pedes.
Quantumvis ſitias, roſeis ne tange labellis,
In quavis potius ſiſte palude ſitim.
Ipſaque ne ſpectent, geminis tege lumina palmis,
Perque tuos oculos, te rogo, perque meos.
Crede mihi, toti notus jam Gadius orbi eſt,
Ignotum Stygiis nec reor eſſe vadis.
Ætheris immenſi gemino ſub cardine Lernam
Huic ſimilem nuſquam terra vel Orcus habet.
Non hic in ſilicem duratos congelat artus,
Quo titulo Ciconum nobilitantur aquæ:
Membra nec emollit, nec ſexum duplicat, undæ
Quod fuit ingenium, Salmaci Nympha, tuæ;
Sed neque quas audet Sybaris fuſcare, puellis
Invida purpureas inquinat unda genas:
Nec ſoboli nocet hæc Aphrodiſi more, parentis
Nec potis eſt vitam tellere more Lyci:

Sævior

Sævior his dura populatur viſcera tabe
  Gadius, Idalio torret & igne jecur.
Hoc ſimul incaluit virgo, traxitque venenum,
  Non amat infælix, ſed ſine more furit.
Mitius incendi ſe ſenſit Nympha ſub undis,
  Quæ pars facta fuit dimidiumque viri.
Mitius exarſit, quæ ſcripto prodidit effrons
  Pectoris inceſti Creſſa puella faces.
Paſiphae minus eſt, minus uſta Semiramis, armos
  Hæc in equi demens cum ruit, illa bovis.
Gadiacis confer, quas jactat Cypria flammas,
  Quæque ſolet Cyprius tela vibrare puer;
Vel picti, vel ſunt exſtincti Cypridis ignes,
  Quæque puer vibrat cuſpide tela carent.
Abſit ut has diras, quibus urit Gadius, undas
  Ignibus æthereis incaluiſſe putem.
Sed neque crediderim miſceri ſulphura lymphis,
  Vel quod humus juxta forte bitumen habet.
Si qua fides vati, nec me malus abripit error,
  Certè aliquod lymphis, nec leve, virus ineſt.
Virus ineſt, vel equi naſcentis fronte revulſum,
  Vel quod ſtillat equæ, dum furit, inguen hians.
Vel Phlegetontæi permiſcens gurgitis undas
  Arte Cyteïna Theſſala læſit anus.
Creditur hic amnis Tyriis à Gadibus ortus,
  Et Gaditani fortè propago freti eſt.
Æmulus Alphæi ſubter mare verſus ad Arcton
  Egit inexpertas per loca cæca vias.
Nomina conveniunt, & quos hic lubricus amnis
  Alluit, illius crimina gentis amant.
In furias, ignemque ruunt, diſcrimine nullo,
  Nec datur his proles certa, paterve locis.
Fallitur, Idaliæ qui quærit in æquore cunas
  Squammigeros inter cruſtigeroſque greges.
Fallitur, hanc quiſquis credit conſidere Cypri,
  Hic ubi nil cryptas præter & æra vides.
Si Gariocha tibi, ſi notus Gadius, ortum
  Numinis hic, dices, vendicat, illa larem.
Quot juga Bennachii juxta criſpantur ericis,

Tot

Tot parit hic Veneri, tot fovet illa lupas:
Capripedes Satyros, cornutaque numina Faunos,
Suſpicor obſcœnas hic agitare choros.
Inter Hamadryadas comites, Nymphaſq; petulcas,
In Venerem poto ſuſpicor amne rapi.
Ipſum ego Narciſſum, quibus eſt extinctus, amoris
Crediderim ex iſto fonte bibiſſe faces.
Dum potes, infames fuge tu, fuge Cœlia, lymphas,
Eripe te philtris inſidiantis aquæ.
Blanditias juvenum facile eſt ridere puellis,
Vis quoque depelli, ſi lubet, arte poteſt.
Icaris illecebris procerum, precibuſque petita eſt,
Has tamen eluſit caſta puella dolo.
Vi Daphnen petiit fugientem ſævus Apollo,
Vim tamen evaſit virgo pudica prece.
Arduus at nimium labor eſt pugnare venenis,
Nec facile hic medicas applicuiſſe manus.
Vicit Alexander populos victricibus armis,
Dicitur Alcides perdomuiſſe feras.
Orbe tamen domito, funeſti tabe veneni
(Credere quis poſſet?) victus uterque fuit.
Triſtibus exemplis medicatas ocyus undas
Linquere, maturam carpere diſce fugam.
Ah nimis hîc atrox & ineluctabile virus
Sentiet, has ſi quæ fœmina tangat aquas.
Icaris huc veniat, Rhodope vel Thaïs abibit,
Mille modis reducem fallere docta virum.
Ipſa Diana ſinus hic ſolvet more Diones,
Et Gaditanis ludet, ut illa, modis.

Ad Medicos Regios.

GEntis Apollineæ proceres, qui principis aulæ
Adfixi medica conſenuiſtis ope;
Cur mihi veſtra cohors, quam nullo crimine læſi,
Semper obeſt, votis ſemper iniqua meis?
Rex mihi conceſſit pater, & patris æmulus hæres,
Dicerer ut veſtri pars aliquanta gregis.
Dives eram titulis, cenſum ſperare jubebar,
Veſtrûm aliquis ſtygia cum raperetur aqua.

Exſpecto

Exſpecto dum Parca colum defeſſa labore
  Depleat, hamato fila vel ungue ſecet.
Exſpecto dum tempus edax vos dente laceſſat,
  Vel, quam cuncta timent ſub Iove, falce metat.
Dum volvat Fortuna rotam, quam cæca gubernat,
  Et rerum inſtabili verſet in orbe vices.
Sed neq; Parca rapax, nec edax mihi profuit ætas,
  Nec Dea, quæ dubio ſub pede cuncta rotat.
Nec Lacheſis: ſine fine, fluit ſine viribus ævum.
  Mobilis antiquo nec Dea more ruit.
Vos nova decurſis cunctando ſæcula ſæclis
  Nectitis, & ſemper cruda ſenecta viret.
Dura cadit tandem vitiata teredine quercus,
  Et cariem cedrus ſponte ſitumque trahit.
Cernimus annoſis fixos cornicibus annos,
  Et ſua longævus tempora cervus habet.
Quid durabilius ſaxo? quid firmius ære?
  Longa tamen ſaxum vincit & æra dies.
Quodque fidem ſuperat, cœlum quas explicat, ipſas
  Vidimus exſtincta luce perire faces.
Nec modus eſt vitæ vobis, nec terminus ævi,
  Cura nec eſt legis, quam Deus ipſe tulit.
Clauſit olympiadum bis ſeptem limite vitam,
  Ille hominum vegetis luſtra bis octo dedit.
Longius egreſſi vos ævo jungitis ævum,
  Et trahit æternas pigra ſenecta moras.
Non hæc Tamiſii pariunt miracula bulbi,
  Aut in Grampiacis gramina lecta jugis.
Vos ego crediderim magicis juveneſcere ſuccis,
  Queis fuit in ſocero Theſſalis uſa nurus.
Hoc reor elixos, vetulum quod coxit, aheno,
  Aut de Circæis hauſta venena cadis.
Siccinè Naturæ leges eluditis arte?
  Et ſemper miſeros, proh dolor, eſſe juvat?
Vita quid eſt hominũ, fervens niſi fluctibus æquor,
  Quod quatit imbellem nocte dieque ratem? (dis
Ah quot in hoc ſurgunt ſcopuli? quot cæca ſub un-
  Saxa latent? dubius quot vada pontus habet?
Fluctibus Æolii miſcentes ſidera fratres

Frontibus

Frontibus adverſis quam fera bella cient?
Qui velit hîc merſas numero comprendere puppes,
Expediat quod hyems fundat adulta nives.
Quis furor, hîc rapidis ſemper dare lintea ventis,
Et laceram portu condere nolle ratem?
Voſne latet quo vela ferent? quæ terra petenda?
Anchora quo vobis ſit jacienda ſinu?
Non vos Iliacos rapta pro pellice muros
Tenditis, undoſi per vada cæca freti.
Sed neque Phryxæo petitur pro vellere Colchos,
Nobilis Æſonidæ qui furor ante fuit.
Quæritur Elyſium, per quas jam finditis undas,
Terra, cui vaſtus par nihil orbis habet.
Hic ver perpetuum eſt, ſemperque virentia prata,
Et Zephyri molles, & ſine nube dies.
Hic mulcent volucres numeris cæleſtibus auras;
Floribus omnigenis ſub pede fragrat humus.
Quælibet ambroſiam fert radix, roſcida ſudat
Mella Iovis quercus, nectar ubique fluit.
Hic chorus heroum, quos tantum ſuſpicit orbis,
Errat & in pratis florea ſerta legit.
Pæonii per rura duces herboſa vagantur,
Inter & hos Coî nobilis umbra ſenis.
Ocyus his ſocii terris advertite puppes,
Et ſubeant portus carbaſa feſſa ſuos.
Laudibus Elyſii lectis, Cato luminis auras
Lætus, & inviſam ſponte reliquit humum.
Se quoque præcipitem de rupe Cleombrotus altâ
Miſit, ut hic, quod vos territat, umbra feret.
Non tamen ut veſter grex in ſe ſæviat opto,
Vtque ſibi jugulum barbarus enſe petat.
Deſinat inviſis tantum radicibus uti,
His quibus hîc lentas protrahit uſque moras.
Linquite naturam ſibi tantum, fata ſequuti,
Nec ſemper tetricas cogite nere Deas.
Vota nec hæredum, nec ſpes eludite Regis,
Faſque mea tandem ſit mihi ſorte frui.
Regna Iovis Stygii Pollux pro fratre petivit,
Vos decet exemplum, fratre rogante, ſequi.

Vel

Vel date quæ petimus, vel vobis invida vitæ
  Ipſe meâ cogar fila ſecare manu.

Ad Robertum Baronium, Theologiæ Doctorem, de obitu filioli.

NVnc Abredonæis, Baroni, triſtis in oris
  Diceris, heu, nati funera flere tui.
Non ego flere veto: nec enim te barbara Thracum
  Teſqua, nec Hircanæ progenuere tigres.
Flere licet patri natum, natoque parentem,
  Et quem quiſquis amat; fletus & ipſe juvat.
Qui coquit, & lenta conſumit tabe medullas,
  Miteſcit lachrymis, eluiturque dolor.
Sed modus eſt rebus, ſtata ſunt momenta doloris,
  Nec decet æterno rore madere genas.
Davidis exemplo mentem compone, ſagittis
  Tu quibus urgeris, fixus & ille fuit.
Lucibus hic. ſeptem morituri funera nati
  Flevit, & eſt lachrymis purpura tincta piis.
Fletibus indulgens vigiles in pulvere noctes
  Traxit, & oblatas reſpuit ore dapes.
Aſt ubi jam functum didicit; ſenſitque, madentum
  Auxilia, & patrias nil valuiſſe preces:
Surgit humo & pingui ſibi tingens Pallade vultus,
  Adferri Cereris dona merumque jubet.
Tempus erat luctus, inquit, dum viveret infans,
  Et flecti poſſet Numinis ira prece.
Nunc ubi mors telo feriit, quid macerer ultra?
  Littora futilibus cur ego bobus arem?
Hunc ego pone ſequar genitor pernicibus alis,
  Ille fugit nulla reſtituendus ope.
Lumina, Baroni, lachrymis dum triſtibus imples,
  Hunc Regem & vatem ſit tibi cura ſequi.
Prolis ab exequiis jam Luna retexuit orbem,
  Crede, cicatricem ducere vulnus amat.
Exemplo ſed & ipſe tuo tibi diſce mederi,
  Rapta cui proles non ſemel ante fuit.
Ah cadit, ah fateor, tibi qui fuit unicus hæres,
  Speſque domus propero funere merſa jacet.

Sed

Sed ſuperat, ſuperetque, precor, tibi florida conjunx,
Tuque juventutis flore virente nites.
Ver dabit extinctos infauſto ſidere flores,
Quaſque fovet, violas Dædala fundet humus.
Vivit & hic, vetulo prolem qui pactus Abramo,
Fœcundam læto ſemine fecit anum.
Quod pater Iſacidum coluit, tu Numen adoras,
Sacra miniſterio lucet & ara tuo.
Adde, quod ereptus mundo lactentibus annis
Puſio, quem defles, vix tibi notus erat.
Hoc latuit certè, puerum quæ fata manerent,
Quo genio, quibus & moribus ille foret.
Non ſemper patrias aſſurgit natus in artes,
Eſtque pii proles peſſima ſæpè patris.
Annales evolve tuos. Quid ſanctius Eli
Præſule, quid natis pejus in orbe fuit?
Davide ſunt geniti plures, patris æmulus unus
Duntaxat, patrio dignus honore frui.
Vxor & Abramidæ eſt fratres enixa gemellos,
Indolis at patriæ degener alter erat.
Sed ſimilem tibi finge tui, pater optime, natum,
Materies luctus non tamen apta ſat eſt.
Tu ne doles, natus ſuperato gurgite ponti
Quod tempeſtive vela ſecunda legat?
Te ne parens urit, quod ſit de carcere ductus?
Debita quod pactum ſolverit ante diem?
Num tibi cor angit, quod ter fœlicibus armis
Morte triumphatâ tam citò victor ovat?
Victor ovat certè gremio ſuſceptus Abrami
Filius, & cæli culmina ſumma tenet.
Sidereas hic ille domos, hic ſuſpicit urbem,
Dignatus ſolio quam Deus ipſe ſuo eſt.
Vrbs auro quadrata micat, ſunt aurea paſſim
Compita, divina vermiculata manu.
Surgit Erythræis murorum machina gemmis,
Baccarum nivea limina luce nitent.
In medio ſolium eſt, color eſt argenteus illi,
Hic pater æthereus dicere jura ſolet.
Hinc ſecum vitamque ferens, certamque ſalutem
Æmula

Æmula cryſtallo nectaris unda fluit.
Hinc atque hinc pomis rutilat fælicibus arbos,
Sufficit ambroſias hæc panacæa dapes.
Nec jubar auratum Sol his expandit in oris,
Tincta nec argenti lumine Luna nitet.
Lucet ubique Deus, ſunt Numinis omnia plena,
Et ſine nube fluunt, & ſine nocte dies.
Quem pater ereptum quereris terriſque, tibique,
Paſcitur his infans perfruiturque bonis.
Rupta ſibi gaudet mortalis ſtamina vitæ,
Et, quæ tu damnas, fata benigna vocat.
Mente Deum pura, jam pulſa nube, tuetur,
Deſpiciens miſeram, quam modo liquit, humum.
Sponte volat, quocunque lubet, cælumq; pererrat,
Aligeros inter linigeroſque choros.
Nunc gregis ætherei præbet concentibus aures,
Nunc puer infanti concipit ore melos.
Forſitan & pro te cæli novus incola myſtam
Nunc agit, & ſupplex numinis orat opem.
Mens illi ſecura mali eſt, dolor exulat omnis,
Nube carent omni gaudia, ſine quies.
Aſt ego quid tumidum doceo mare findere Typhin,
Ducere vel volucres Automedonta rotas?
Laus tua, Baroni, eſt ſolando pellere curas,
Flectere qui mentes, quo lubet, arte potes.
Ipſe ego, nam memini, & veteris ſtat gratia facti,
Ipſe tuam ſenſi nec ſemel æger opem.
Tu mihi flexanima mulſiſti pectora voce,
Cum gemerem thalami pignora rapta mei.
Hac ego Sicanios chalybem qui ſuſtinet ignes,
Ipſaque molliri marmora poſſe putem.
Te verbis ſolare tuis, nec quære quod extra eſt,
Vel nemo, vel, te quod juvet, unus habes.

Pantlemanis querela ad Senatum adverſus Bucaulum.

ALma cohors, Latium quæ majeſtate Senatum
Vincis, & ingentes ponè relinquis avos;
Si vacat, & ſeris ſupereſt ſua queſtibus auris,

Forſitan

Forſitan hæc animo commiſerante leges.
Scribimus è vinclis, & amari carceris umbra,
Hic ubi clamoſo curia juncta foro eſt.
Scilicet afflicto toties hoc defuit unum,
Me miſerabilior ne quis in orbe foret.
Quæ mala Pantlemon tulerit, Bennachia rupes
Scit ſatis, & patrio proxima ſylva lari.
Infortunatos & lambens Gadius agros,
Qui domini jam flet fata ſiniſtra ſui.
Vidi ego Bucaulum tribadi dare philtra novercæ,
Et ſpuriis patriam luxuriare domum.
Mixta etiam vidi tritis aconita cicutis,
Et data decrepito toxica ſæva patri.
Vivus hic intumuit, correptaque tabe veneni
Oſſibus abſceſſit flaccida tota cutis.
Vix patre ſublato clam nupſit adultera mœcho,
Scilicet ut tegeret tæda marita nefas.
Quique fuit patriæ damnatus legibus, oris
Turpis in externis eſt celebratus Hymen.
His face præluxit Furiarum maxima, flamen
Vappa levis, templum cæca taberna fuit.
Legibus eluſis occepit nupta vocari,
Mœcha prius, conjunx, qui modo mœchus erat.
Leno patris thalamis ſucceſſit, adultera fundis,
Et fruitur cenſus jam lupa beſſe mei.
Mox litem de lite ferens Bucaulus, avitas
Quæ mihi reſtabant, eſt populatus opes.
Et mea me cæſo ſibi jam deſponderat arva,
Spe non exigua prædia tota vorans.
Sed levis agrorum, levis eſt jactura peculî,
Ni foret & famæ juncta ruina meæ.
Hanc quoque jam pridem novus allatravit Anubis
Quem fidei nactum plus ſatis eſſe queror.
Sic aqua, ſic ignis fuit interdictus, & exlex
Non ſemel audivi, nec ſemel exul eram.
His jecur intumuit, (nec enim manifeſta negabo)
Et cinxi, mihi quod jam nocet, enſe latus.
Fas erat in jugulum paricidæ ſtringere ferrum,
Par & adulterio debita pœna fuit.

Patri

Patris ob exitium, furiis incenſus Oreſtes
  Iure Clytemneſtræ ſanguine tinxit humum.
Conjuge pro rapta Menelai nobilis ira
  Laomidonteas ſubruit igne domos.
His tamen abſtinui, proceres, dictoque Senatus,
  Legibus & patriis obſequioſus eram.
Sat fuit armari ferro, bellumque minari,
  Et quatere injecto corda inimica metu.
Signa ſemel pugnæ dedimus, nil fecimus ultrà,
  Noſtraque nullius ſanguine tela rubent.
Nec mihi Bucauli violatas ignibus ædes,
  Nec deſolatos invenietis agros.
Nullius effodi cineres, de virgine raptâ
  Nulla, vel illicito juſta querela toro eſt.
Demite terrores Bucauli in pectore fixos,
  Quod ſupereſt propriâ futilitate ruet.
Non tamen excuſo factum juvenile, nec æquas
  Stultitiæ pœnas ferre recuſo meæ.
Acta nec inſimulo patrum; de fraudibus hoſtis
  Fas tamen & læſo Regis honore queri.
Quidquid erat culpæ Lethæis merſerat undis
  Carolus, & veniæ eſt publica facta fides.
Regia ſed ridens vafer hic diplomata, noſtrum
  In caput arma, velut Rege jubente, parat.
Nec mora, plebejam, qua tunc ego forte latebam,
  Milite nocturno cingit & igne caſam.
Pro pudor! infamis proſcriptaque legibus olim,
  Et rea pars hujus magna cohortis erat.
Nemo vel obſeſſis profert mandata Senatus,
  Vel comites ſeſe dedere meve jubet.
Fit via vi, pars hæc ferro, pars ignibus ædes,
  Glandibus ignitis pars furiata petit.
Concidit interea miſſo per viſcera plumbo
  Fœmina, lymphato victima facta gregi.
Tum mihi diſcuſſus ſopor eſt, quo forte premebar,
  Iamque feras ſenſi lambere crura faces.
Ædibus exiliens, en hic Panthlemona, dixi,
  Qui toties vobis cauſa timoris erat.
Si lubet, & fas eſt, captivum ducite, vinclis

En

En exarmatas porrigit ille manus.
Aut, ſi fert animus, jugulum recludite telis,
Virgineo quæ jam tincta cruore rubent.
Haud mora, proſcripti civem, ſine lege furentes,
Abducunt, miſeris excipiuntque modis.
Arx vicina fuit, liber modo, mancipor illi.
Hoſtibus opprobrium, ludibriumque meis.
Erutus hinc dominam captivus ducor in urbem,
Hic ubi nunc vinctum compede carcer habet.
Pœna mea eſt proceres, ſed vos injuria tangit,
Sceptraque Grampigenæ non temeranda Iovis,
Callidus impoſtor violavit juſſa Senatus,
Eſtque per hunc Regis ludificata fides.
Siſtite judicio caput hoc ignobile, cujus
Crimine majeſtas regia læſa fuit.
Actorem conferte reo: dum jura manebunt,
Hoc ego non metuam non moriente mori.

Eudemiæ umbra Eudemio.

QVas legis, Eudemi, ductas ferrugine, campis
Miſit ab Elyſiis conjugis umbra notas.
Si quid agam rogites, ego mœrens inter ovantes
Humecto lachrymis florida prata meis.
Cætera turba ſilet, querulis ego vocibus utor,
Quas mihi truncatas reddit inane chaos.
Non tamen aut lachrymis, querulis aut vocibus æ-
Hoc, ego quod ſum poſt funera paſſa, nefas. (quo
Vix benè compoſitos cineres circumdedit armis
Ah nimis illuſtres turba ſequuta duces:
Nec mora, recludit tumulum, cinereſque repoſtos
Eruit æratâ gens truculenta manu.
Deque triumphato cecinit Pæana ſepulchro,
Manibus inſultans exuviiſque meis.
Nox erat & tenebræ: teſtis ne talibus auſis
Sol foret, Heſperio merſerat amne rotas.
Prandia ſic olim fugiens infanda Thyeſtæ
Sidereos retro territus egit equos.
Se quoque tum, memini, ſubtraxit Cynthia terris,
Namque verecundus texerat ora pudor.

Quiſquis erat certè tam fœdi criminis author,
Nullius meruit ſideris igne frui.
Abſit,ut hunc credam Scotis majoribus ortum,
Aut trahere à priſca nobilitate genus.
Sed fera vel genuit Rhodope,vel Caucaſus horrens,
Proxima vel Geticis Sarmatis ora jugis.
Sed neque Sauromatum populi , nec Iazides ipſi,
Nec tam ſæva feri pectora Thraces habent.
His licet in vivos levibus ſævire ſagittis,
Corpora functorum cuſpide nemo ferit.
His ego debueram cineres miſcere ſupremos,
Inter & immanes oſſa locare Getas.
Non ego nunc quererer ſuffoſſam turpiter urnam,
Læſaque ſupplicio publica jura meo.
Qui ſcelus admiſit , domini ſe jure tuetur,
Vendicat & genti noſtra ſepulchra ſuæ.
Mos fuit hic, fateor, Iudæos inter apellas,
Regia dum Solymæ ſtaret & alta Sion.
Cuique ſuus tumulum domino præbebat agellus,
Et ſi quæ laribus juncta caverna fuit.
Gentibus at reliquis , quibus eſt reverentia juris,
Terra ſepulturæ publica ſemper erat.
Conditur Euxinis vates Pelignus in oris,
Auſones & Samio buſta dedere ſeni.
Memphis habet Magni cineres , nec fulmina belli
Scipiadas, Decios nec ſua terra tegit.
Itala quot Pœnos, Italo quot ſemine cretos
Civibus adſcriptos Punica velat humus ?
Et, vates ſi vera canunt, tumulatus in una
Europæ atque Aſiæ creditur urbe cinis.
Illuſtres procerum, quos hic locus excipit,umbræ,
Num mihi vos puduit conſeruiſſe latus?
Ah, memini , vobis non hic pudor obſtitit olim,
Et minus in vivis mens truculenta fuit.
Oſcula vos teneris juvit libare puellis,
Lacteaque in tepido colla fovere ſinu.
Nulla fuit non grata, virens dum floruit ætas,
Dedecuit veſtros fœmina nulla thoros.
Nunc ubi vos domuit, fecit mors frigida duros,

Et nimium juncta ruſticitate truces.
Fœmineos fugitis, tanquam mala pharmaca, tactus,
Mortua nec finitis vos propè membra tegi.
Non ego ſum, fateor, proavis illuſtribus orta,
Nec domus auratas explicat alta trabes.
Vrbe ſed in patria natali ceſpite civis,
Conſulis & conjunx digna favore fuit.
Sed neque paupertas potis eſt arcere ſepulchro,
Si qua fides vati, pauper ubique jacet.
Maxima mors minimis exæquat, & infima ſummis,
Et dominos famulis, mancipiiſque ſuis.
Quis mihi diſtinguat Crœſi Codrique favillas,
Oſſa vel Eumæi Dulichiique ducis?
Sed neque Pompei nota eſt vel Cæſaris urna,
Vel cinis Antoni, vel Cleopatra, tuus.
Non ego nobilium tumulos, aut marmora curo,
Saxaque Phidiaca nobilitata manu.
Altius erectas proſternunt fulmina moles,
Longa vel evertit depopulatque dies.
Marmora pyramidum, monumentaq; regis Hetruſci,
Ipſaque Mauſoli buſta ſepulta vides.
Hic ubi majorum cineres contingere poſſum,
Sat mihi vulgari ceſpite poſſe tegi.
Abſit, ut aut noſtro certent de pulvere cives,
Aut ego diſſidii dicar origo trucis.
Ante precor pelago mergar, qui gentibus olim
Ritus Hyperboreis, Lotophagiſque fuit.
Aut quod odoriferos perhibent feciſſe Sabæos,
Obruat obſcœno barbara turba fimo.
Hircanique mihi diſcerpant membra moloſſi,
Aut aliquis Scythico viſcera more voret.
Non ego detracto, civis ne civibus obſim,
Mille pati pœnas, mille perire modis.
Deprecor hoc unum, poſt ultima funera, conjunx
Ne tua relliquiis ſint procul oſſa meis.

De Vulturno.

O Mihi ſi lapſos repararet Iupiter annos,
Et foret in venis, qui fuit ante, vigor!

Dî ſibi

Di ſibi ſervarent armamentaria cæli,
Telaque Vulturnum quæ metuiſſe velim.
Riderem trifidâ minitantes cuſpide flammas,
Et telum triplici quod freta dente quatit.
Quamq; gerit frameam Mars, & Cyllenius harpē,
Et quam bellipotens Ægida Pallas habet.
Quaſque ſuo cœli fidicen pro vate ſagittas
Strinxit in Argolicas Dulichiaſque rates.
Herculeæ nec opem dignarer poſcere clavæ,
Effera ſint quamvis monſtra domanda mihi.
Sat foret Aonii gregis implorare puellas,
Quas colui juvenis, deveneror que ſenex.
Hæ mihi digna darent Vulturni crimine tela,
Nec caneret vatem qui violavit Io.
Quem latet Archilochi nequam ſocer? ictus iambis
Hic trabe de celſa triſte pependit onus.
Sic Epheſi vates pictores dicitur ultus,
Qui ſibi diſſecta diſperiere gula.
Sic quoque Naſoni pœnas dedit improbus Ibis,
Et didicit fortes vatibus eſſe manus.
Hi quota Vulturni pars ſunt, crudelior omni
Vulture qui noſtros depopulatur opes?
Hic ubi Bennachius viridi criſpatus erica
Surgit, & æſtivas tollit in aſtra nives;
Parva mihi domus eſt, cubitis vix altior octo,
Eſt ſuper impoſitis penè ſepulta jugis.
Tres patet hic cœli ſpatium non amplius ulnas,
Horaque brumalem terminat una diem.
Lubricus hanc infra famulas mihi concitat undas
Gadius, Vriacas mox ſubiturus aquas.
Nō procul hinc gelidos Helices porrectus ad ignes,
Eſt modicus nobis & malè pinguis ager.
Creditus agricolæ eſt: nam nec me raſtra decebant,
Apta nec ad ſtivam noſtra ſenecta fuit.
Hac ope cultus ager tenui pro meſſe quotannis
Pendebat domino parva tributa ſuo.
Mollibus & victum natis, vetuloque parenti
Præbuit, & matri, quam modo cernis anum.
Riſi ego Niliacas mea cernens prædia meſſes,

Et quaſcunque metit decolor Indus opes.
Nec mihi ſum viſus Perſarum regibus impar,
Gaudia nec cuiquam ſors ſua plura tulit.
Nunc ego diſparibus numeros modulabar avenis,
Hæc quibus infælix luxuriatur humus.
Nunc Ferguſiadum conabar tollere regum
Geſta Maronæa Mæoniaque tuba.
Nec rarò ſtudium domino minus utile linquens,
Vellebam medicâ gramina nota manu.
Sic ego ſolabar triſtem procul urbe ſenectam,
Inter & agreſtes vivere dulce fuit.
Vidit & invidit mihi me Vulturnus, & ungues
Intulit infælix in bona noſtra truces.
Hunc mihi, curarum qui me modo mole levabat,
Abſtulit agricolam, ruricolaſque boves.
Sic expilatum mihi deſolabit agellum,
Sævior Harpyis vulturibuſque feris.
Quæque miniſtrabat victum, viduata colono,
Nunc tribulos præter nil mihi reddit humus.
Ipſe Camœnarum ſtudiis, Phœboque relicto,
Ruſtica nunc curvus cogor aratra ſequi.
Vomere pro calamo, pro chartâ collibus utor,
Et conſueta manus ſcribere, ſulcat humum.
Carmina dedidici, pro cantu ſibilus omni eſt,
Quem perhibent feſſos exhilarare boves.
Artis Apollineæ quoties ſolatia quæro,
Avocor, indignis impediorque modis.
Vel tellus ſpargenda fimo eſt, vel crate domanda,
Vel purganda manu, vel fodienda pede.
Nunc calor æſtivus, nunc urunt frigora brumæ,
Et nunc ſementi, nunc ego meſſe premor.
Area dum fervet, laſſat mihi pertica dextram,
Et tritura ſenem quotidiana quatit.
Quæque pecus, dominumq; tegat, fabricanda quotannis
Eſt mihi de junco ceſpitibuſque domus.
Bucerios nunc ipſe greges ad pabula duco,
Nunc baculo nixus paſcere cogor oves.
Ipſe meas didici, pudet heu, tondere bidentes,
Fluminis ablutas ante ſalubris aquæ.

Sic

Sic mihi continuis diſtringi pectora curis,
Fractaque non uno membra labore vides.
Torqueor haud aliter, quàm qui plectuntur in Cr-
Et pœnas, illi quas meruere, luo. (co,
Non ego confodi jugulum patruelibus, almæ
Pignora nec Cereri noſtra voranda dedi.
Nec Iovis ambivi thalamos juveniliter, Iſthmi
Nec latrociniis ſunt freta tecta meis.
Si quid erat culpæ, Vulturni laudibus olim
Quod mea turpavi carmina, culpa fuit.
Delphice da veniam. Culicem Maro verſibus ornat,
Ranaque Mæoniâ nobilitata tuba eſt.
Hic quoque laudatur, pugno quem ſtravit Achilles,
Quique truci falſum torruit igne bovem.
Nec ſua calvitio deſunt præconia turpi,
Nec caret elogio curva ſenecta ſuo.
Sed nec iners olim fuit illaudatus aſellus,
Nec quartana nocens, nec paraſitus edax.
Vrimur urticis, inflantur viſcera rapis,
Magnus utraſque tamen præco ſub aſtra tulit.
Ipſaque, Ionſtonus quam nunc cane pejus & angue
Odit, habet laudes ruſtica vita ſuas.
His ego deluſus titulis illuſtribus, amens
Ornavi meritum peſſima quæque virum.
Ille ſuis gazis tumet, immetataque rura
Iactat, & ingentes ambitioſus avos.
Pauperis at certè eſt aliena vivere quadra,
Et deprædari, quas habet alter, opes.
Et genus ejurat, rapto qui vivit, & ortu
Sit licet illuſtri, pectora plebis habet.
Iuſſit & hunc tundi merito lex Flavia plagis,
Obſtrictus plagii crimine quiſquis erat.
Ah ego cur Claria didici ſub rupe puellas
Inter Apollineæ fila movere lyræ?
Ora Caballina quid juvit tingere lympha,
Aut Aganippæa cingere fronde comam?
Cur trivi virides ſtudiis imbellibus annos,
Quæ nec ſunt juveni pulchra, nec apta ſeni?
Debueram potius pugnas & prælia Martis,

Caſtraque Bellonæ ſanguinolenta ſequi.
Bellica debueram pro plectro ſumere tela,
Enſe latus cingens & caput ære cavo.
Non ego nunc rapti deflerem damna coloni,
Nec ſtimulare meos cogerer ipſe boves.
Quam tribulis ſquallere vides, lappiſque, rubiſque,
Sanguine Vulturni jam rubuiſſet humus.
Fas prædatoris jugulum recludere ferro,
Fas erat ignita figere glande jecur.
Ille meo vitam ſenio nunc debet inermi
Raptor, & Aſcræo, qui fugit arma, gregi.
Et tamen elatus, domito velut orbe, triumphat
De ſene decrepito, virgineoque choro.
Ejura titulos poſthac Vulturne priores,
Et domus illuſtres quos tua jactat avos.
Nec pudor ingenuus, nec honor, nec nobile pectus,
Gutta nec heroi ſanguinis ulla tibi eſt.
Mos erat heroum, venerari nomina vatum,
Et patrocinio digna putare ſuo.
Charus Alexandro fuit olim magnus Homerus,
Et Mecænati Cæſaribuſque Maro.
Fovit & Archilochum magni collega Cononis,
Naſonem proceres & coluere Getæ.
Quantus honos ſacris habitus ſit vatibus, orbi
Aurea Bilbilici monſtrat imago ſenis.
Quaſque tulit faſces ter conſul Sillius, aurum
Nobilis & Statî quod meruere comæ.
Euripidique calix datus, & ſeſtertia Baſſo,
Et quæ Steſichoro templa ſacrata legis.
Et mauſolæum quo conditur Ennius, illi
Contiguus, Libyæ quo duce paſſa jugum eſt.
Nec minor eſt medicæ, quam ſector, gloria gentis,
Præmia nec procerum deteriora tulit.
Principe Democides curato, ut creditur, aureis
Donatus phialis, compedibuſque fuit.
Quæque Cleonæus meruit renuente noverca,
Sunt eadem Coo ſacra tributa ſeni.
Sed tibi quid noſtras memoro pueriliter artes,
Diſciplinarum qui rude pectus habes?

Tu

Tu Phœbum, & comites odiſti peſſime Muſas,
Et quoſcunque juvat Phocidis antra ſequi.
Te mage, dum rudit, ſtupidus delectat aſellus,
Aut mola flumineas dum ſtrepit inter aquas.
His tibi pro meritis mala tot, Vulturne, precamur,
Quot meritus, quo tu pejor es, Ibis erat.
Et mala cum tuleris quot habet mare, terra, poluſq;,
Cum Styge, pro tumulo diſtichon iſtud habe:
Putreat hic, Muſis, cui peronatus arator,
Et mola Pæonia charior arte fuit.

De Barlao Batavo.

O Daret Icarias utinam mihi Iupiter alas,
Vel quibus accinctus Dædalus ipſe fuit!
Vel leve remigium, quo vectus creditur Argi,
Gorgonis & domitor, natus uterque Iovis.
Vel, quibus eſt ſonipes ſublatus in ardua, pennas,
Vel quibus eſt Phrygius vectus in aſtra puer.
Protinus Oceanum ſupra, campoſque liquentes,
Hinc celer æthereas carperet ala vias.
Antevolanſque Notos Batavis me ſiſteret oris,
Quas procul à noſtris ſedibus eſſe queror.
Hic ſacra Barlæi ſpectarem cominus ora,
Vatis & auguſtos ſternerer ante pedes.
Forſitan aſpectu me dignaretur & ille,
Qui radiis hebetat ſidera priſca ſuis.
Forſan & amplexum præberet & oſcula dextræ,
Cedere cui poſſet Cynthius ipſe chelyn.
Penderem tacitus Batavæ Sirenis ab ore,
Et biberem patula quos daret aure ſonos.
Heinſiadæ numeros, & magni pondera Baudi,
Et Genius Grotî noſter acumen amat.
Omnia Barlæo conceſſit Iupiter uni,
Illius & par eſt barbitos una tribus.
Dulcior hoc nemo eſt, nemo nervoſior, acri
Vel magis Aſcræum pectine pulſat ebur.
Gens quot habet Batavûm, vates exoſculor omnes,
Et colo; Barlæi plus tamen urit amor.
Neſcio quo philtro mentem mihi faſcinat ille,

Meque Cytiena, quo lubet, arte rapit.
Sic paleas electra leves, ſic ferrea magnes
Pondera, magnetem ſic Cynoſura trahit.
Entheus ut Batavis vates jubar extulit undis,
Cynthius,& comites obſtupuere Deæ.
Tum primum Cyrræ Vahalis vada lympida, Rheni
Cornua Permeſſo præripuere decus.
Tum didicit Latio cum Tibride Græcia, Grajas
Et Latias Batavum vincere poſſe lyras.
Erubuit vates Batavas qui vellicat aures,
Dum putat has, cum ſit barbarus ipſe, rudes.
Hos ego, nota loquor, natales ante, ſequebar
Numina Caſtaliis quæ dominantur aquis.
Dulce fuit nunc arma Ducum,nunc dicere ſylvas,
Quæque pharetratus ſpicula vibrat Amor.
Flumina nunc propter, viridi nunc fuſus in umbrâ
Cantabam medicâ gramina vulſa manu.
Spes & erat,vatis titulum, plauſumque mereri,
Vel veniam, merces quæ ſatis ampla mihi eſt.
Vt tuba Barlæi cecinit, ceu tacta pudore,
Barbitos & Muſæ conticuere meæ.
Non bene Tarpejæ cuſtos interſtrepit arcis,
Ad vaga Mæandri dum vada cantat olor.
Nec locus eſt corvo, voces dum flectit acanthis,
Nec benè Biſtoniæ bubo jugatur avi.
Turpiter & raucis ſtrident arbuſta cicadis,
Dum matutinum tollit alauda melos.
Ah pudet in lucem noſtros miſiſſe libellos,
Et populo, chartas proſtituiſſe rudes.
Quæ male fælici ſubjeci carmina prælo,
Debuerant potius perpete nocte premi.
Extinguit Batavus Ionſtoni lumina vates,
Solus & immenſo victor in orbe nitet.
Haud ſecus Eois Sol cum ſe tollit ab undis,
Sidereas roſeo diſſipat ore faces.
Nil ego de veterum titulis delibo,Poetas
Nec decet antiquos poſtpoſuiſſe novis.
Hic tamen aut vatum proceres æquare canendo,
Aut de Pieria nemo cohorte poteſt.

Arma

Arma virum quoties canit & fera prælia, jures
Altius Andinam non ceciniſſe tubam.
Naſo leves elegos, excultos Muſa Tibulli,
Quæ gereret Flaccus plectra, lyramque dedit.
Nunc trucis Archilochi dentatos ſtringit iambos,
Bilbilico nunc dat carmina tincta ſale.
Nunc ego crediderim, mutato corpore, mentem
Conceſſam Samio, quæ fuit ante Phrygis.
Iuppiter indulſit Barlæo, vatibus olim
Quidquid in antiquis mentis & artis erat.

Querela Sophiæ Hayæ, Dominæ de Melgeine, de morte mariti.

ERgo quod incuſem ſublato conjuge flammas
Nil niſi fatales terra vel Orcus habet?
De quo ſupplicium ſumat Rhamnuſia, nemo
Tam deteſtandi criminis author erit?
Non latet, Iliacas flamma qui ſubruit arces,
Nec quæ ſuccendit Pythia templa manus.
Nec qui Clyciaden facibus circumdedit atris,
Cujus & eſt donis facta Creuſa cinis.
Quique mare & terras incendit, & ætheris orbes,
Notior auriga quis Phaëthonte fuit?
Solus in obſcuro eſt, noſtros qui læſit amores,
Et mihi delicias abſtulit igne meas.
Quæque Caledoniæ florem torrere juventæ
Suſtinuit, certo nomine vappa caret.
Et tamen eſt certus, quamvis malè cognitus, author
Qui ſcelus admiſit, ſuppoſuitque faces.
Abſit ut hos cœlo dejectos ſuſpicer ignes,
Autores ſcelerum vel rear eſſe Deos.
Nec, licet eructet non rarò ſulphura tellus,
Audebat tantum Scotica terra nefas.
Caſus abeſt certè, vel ſi cui cæca videtur
Sors rea, quam damnat, cæcior ipſe Dea eſt.
Saxea turris erat, murorum ſaxea moles,
Sub pede juncta rudi frigida ſaxa manu.
Saxeus hic tenui conſtratus robore fornix
Dicitur ilignum ſuſtinuiſſe thorum.

Cernere erat gelido poſitam ſub fornice cellam,
Antraque, neſcio quo, pervia facta dolo.
Nil hic invenias tantos quod ſuſcitet ignes,
Omnis & hic apto fomite flamma caret.
Et tamen hinc ortas ſenſerunt ſidera flammas,
Nec Phaëtontæas plus metuere rotas.
Nox erat, & conjunx tradebat lumina ſomno,
Lumina poſt roſeo non fruitura die.
Ecce faces circum volitant, circum omnia fumus,
Omnia pix, ſulphur, naphtha, bitumen, erant.
Tecta crepant, uſtæque trabes, liquefactaque ſaxa,
Ignibus eliſis ſic tonat aula Iovis.
Auditi gemitus, & lamentabile murmur,
Et queſtus populi jam pereuntis erant.
Omnia momento ſuccendit Mulciber uno,
Tectaque momento perdidit hora brevis.
Cætera Dî norunt, & nox, & conſcia turris,
Saxaque, quæ tantum nunc ſupereſſe vides.
Scire quod heu nollem, mors ſolũ certa mariti eſt,
Et comitum, quibus hæc nox ſine fine fuit.
Cœna ſepulchrales epulas, thalamique ſepulchra,
Sulphura communem viva dedere pyram.
Flamma ubi ſopita eſt, uſtos excepit equile,
Thracis inhumani quale fuiſſe ferunt.
Mox toſto juvenes onerarunt corpore menſas,
Veſpere convivæ, luce ſequente dapes.
Nota loquor, nec viſa prius, quæque horruit aſtro
Proxima Parrhaſio terra, ſed autor ubi eſt?
Iuncta fuit laqueo quæ ſtringeret ocrea ſuras,
Nil tamen hæc lucis pœna vel illa dedit.
Vltima tentavi, ſed adhuc de conjuge rapto
Plura mihi fas eſt quærere, plura queri.
Ah, laris infauſti dominus fera tecta parantem
Linquere, cur non eſt paſſus abire virum?
Cur hic & comites ſenſere incendia, ſalvo
Hoſpite cum famulis, conjuge, prole, bonis?
Cur laris exitium dominus non flevit aviti
Ferreus? hoſpitibus nec tulit hoſpes opem?
Cur vigil inſuetis noctem traduxit in armis,

Cætera cum ſomno turba ſepulta foret?
Cur preſſit lachrymas tot cernens funera, ſiccis
Quæ vix ſpectavit Mænalis urſa genis?
Cur pater & nati trepidantes, ſole renato,
Non exſpectatam corripuere fugam?
Cur auro corrupta lupa eſt? tormenta miniſtros
Cur mihi ſuſpectos noluit ulla pati?
Nil ego non culpo, quia ſuſpicor omnia demens,
Quotque aderant, omnes auguror eſſe reos.
Quiſquis erat, certè qui ſulphura miſcuit audax,
Quique faces thalamis ſubdidit, intus erat.
Qui regit Arctoas & vultu temperat oras,
Deteget hoc olim Iupiter ipſe nefas.
Inque reos ſceleris, feras ubi colliget iras,
Stringet ab ætherea, quas decet, arce faces.
Quis fera Threicii neſcit præſepia regis,
Inque Lycaonia viſcera toſta domo?
Vtraque ſupplicium meruerunt, fertur & ipſe
Iuppiter hæc ultus, filius illa Iovis.
Ite Patres fruſtra toties, totieſque rogati,
Lenta Caledoniæ nil ego roſtra moror.
Cætera mortales caſtigent crimina, ſolos
Hæc habet ultores carnificina Deos.

De Ioanne Gordonio, Vicecomite de Melgein, & Iohanne Gordonio de Rothimay in arce Frendriaca combuſtis.

VOs ſupremi ignes, extremaque lumina mundi,
Inſomneſque faces, & ponto neſcia mergi
Sidera, mutatæ monimenta perennia formæ,
Magna, minorq;feræ, cuſtoſq; Erymanthidos Vrſæ,
Quique Lycaonias circum Draco pervigil Arctos
Adſpicis, Herculeis olim confixe ſagittis,
Aſtraque vos præter ſi quæ Ferguſia tellus
Cernit in occiduis ſemper vigilantia flammis,
Edite, nam teſtes vos, & nox conſcia facti
Extitit, Arctoi nuper ſub cardine cœli;
Gordoniæ quis, vaſta movens incendia,gentis
Torruit heroas, fœta truculentior urſa,
Impaſtoque lupo, nec tigride mitior, icta

Dum furit, aut rapta dum ſævit prole leænâ.
Vidimus & diris opprobria barbara flammis
Addita. Mauſoli poterant qui buſta mereri,
Pyramidas vel Memphi tuas, vel Porſena ſi quid
Altius erexit, poſtquam deferbuit ignis,
Vilibus illati ſtabulis jacuere jugales
Inter equos, putri ſtipula fœnoque ſepulti.
Nec mora, toſta focis & adhuc fumantia menſas
Corpora texerunt, imæ ſpectacula plebi.
Hic proceres cum plebe jacent, diſcrimine nullo.
Effigies his nulla viri eſt, ſua brachia nulli,
Nil humeros ſupra, nil eſt ſub pube relictum:
Cuique ſuus tantum ſupereſt ſine nomine truncus.
O cælum, ô Superi! poſt hæc quis regis equile
Threicii, diraſque feri Buſiridis aras,
Aut Læſtrigonias epulas, aut fœda Thyeſtæ
Prandia, quæque Iovi fertur ſtruxiſſe Lycaon,
Aut tua crudelis miretur fercula Progne?
Innocuos juvenes, patriis in finibus, inter
Mille clientelas, & avito ſanguine junctos
Hoſpitii dominos, omnis damnique dolique
Securos, ſomnoque graves, & noctis opacæ
Vallatos tenebris, animatis ſulphure flammis
Vidimus exſtinctos, & tracta cadavera fœdis
Indigniſque modis, poſtquam ſunt ultima paſſi.
Triſtis, & infælix, & ſemper inhoſpita turris
Momento ſucceпſa brevi, ſimul ima ſupremis
Miſcuit, & tumulos thalamis, & funera ſomno,
Et famulis dominos, quorum confuſa jacebant
Obruta ruderibus cinis, oſſa, cadavera: namque
Corporis unius, memini, pars oſſa fuerunt,
Pars cinis immundus, toſtum pars igne cadaver.
Quam ſors dura fuit! vivos dum paſcitur ignis,
Nemo manu, prece nemo juvat, nec abire parantes
Quiſquam animas pius ore legit, voceſve ſupremas
Aure bibit, dextra vel lumina condit amica.
Nemo ſacra cineres turbatos excipit urna.
Nemo parentales lachrymas inſontibus umbris,
Aut trucibus dat thura rogis, aut ſerta ſepulchris.
Illuſtres

Illuſtres juvenes, procerum genus alter, avito
Alter Hyperboreos attingens ſanguine reges,
Sic pereunt, ſtratique jacent florentibus annis.
Ah prius hoc procerum par inclareſcere mundo
Debuerat, patriamque novis implere trophæis,
Seu domito, quem tota hominum gens odit, Ibero,
Sive triumphatis aquilis, Rhenoque bicorni,
Gordoniæ quem gentis honos, Huntleius hæres,
Imperio nunc Celta tuo, circumſonat armis
Vndique Grampiacis, & ſanguine miſcet herili.
Debuerat fratri comitem ſe jungere frater,
Cognatuſque latus cognati cingere, pugnas
Inter, & arma ducum, majoraque fulmina belli.
Sed decus hoc noſtris invidit Tartarus oris,
Tartarea vel gente ſatus; nam criminis hujus
Horruit aſpectu tellus, & pontus, & æther.
Æmula majorum ſoboles, quæ neſcia vinci,
Neſcia terreri frameas ſpernebat, & enſes,
Fraude perit, tectiſque dolis, nec cernitur hoſtis.
O ſæclum, ô mores! fuit olim gloria gentis
Grampigenæ neſcire dolos, ſed viribus uti,
Et conferre manus, campiſque patentibus armis
Cernere fulmineis, & ſternere cominus hoſtem.
Sic domiti Pictique truces, Cimbrique feroces,
Sic Tibris & dominæ repreſſa potentia Romæ eſt,
Nec ſecus armorum princeps & gloria Vallas,
Quique Caledonias rexit fæliciter oras
Bruſſius, Hayorum comitatus principe, vaſtos
De ſibi vicina pepererunt gente triumphos.
Heu, nunc orba viris, & pluſquam degener ætas,
Rem gerit inſidiis, Martis pro cuſpide ſica eſt,
Toxica pro telis, & clandeſtinus ubique
Pro jaculis, Bellona, tuis, heu, ſpargitur ignis;
Authorem nec ſcire datur; ſecretior ille eſt,
Quàm pelagi fontes aut incunabula Nili.
Sacra cohors, cui jura Themis, legeſque ſupremas
Credidit, & ſcelerum comites Rhamnuſia pœnas;
Ardua ſi juvenum virtus, & ſanguis in uno
Regius, orborum vel præmatura parentum

Canities, viduuſque thorus miſerabilis Hayæ,
Si juris, ſi gentis honos, vel gloria ſæcli,
Te movet, irato pietas vel debita cælo,
Da trucis artificem ſceleris. Quod poſcimus æquum eſt.
Iudicis officium eſt cauſas aperire latentes,
Qua licet, & ſcelerum primos exquirere fontes,
Et modo blanditiis, duris modo vocibus uti,
Omnia tentando, lex quæ permittit & æquus
Iuppiter: exigui levis eſt jactura laboris.
Omnibus excuſſis vi judex ſcire quod optas,
Extorquere potes; præſto eſt qui vellicet artus
Simius, & ſtridens non uno culeus angue.
Eſt tibi trajectis armata ciconia nervis,
Eſt rota, ſunt fuſtes, & iniquo pondere torquens
Anchora cervices, & quæ premat ocrea ſuras.
Vtque, quod admiſit, dirum ſcelus expiet, ultor
Nunc ſceleris, famulos præbebit Mulciber ignes.
Scotigenæ ne gentis honos, ſanctique Senatus
Gloria fœdetur, pœnis ultricibus inſta:
Vre, ſeca, nulloque virûm diſcrimine ſævi,
Dum tormenta tibi, ſupereſt dum Scotica cervix.

Ad Gordonium Cragachindorium.

SIccine, Gordoni, Cabriis affixus ericis,
  Vrbe procul, rupes inter, & antra lates?
Quid juvat ingenio genium viciſſe Minervæ,
  Ingenii dotes ſi finis uſque premi?
Quid juvat Aoniæ fontes ſiccaſſe cohortis,
  Si fruitur ſtudiis Cabria ſola tuis?
Quid prodeſt, mores hominum vidiſſe, vel urbes,
  Nulla tuam ſi res publica ſentit opem?
Hic ubi tu latitas, nil præter luſtra ferarum,
  Et cœli volucres, ſaxaque ſurda vides.
Nullum hic, qui doctas haurire aut reddere voces,
  Aut à te quidquam diſcere poſſit, habes.
Barbara gens tota eſt, & inhoſpita terra, pruinis
  Semper, & æſtivo ſub Cane, merſa nive.
Ah fuge, nec populis, nec amicas frugibus oras,
  Et procul hinc, Muſis, & tibi quære larem.

Tullius

Tullius Arpino Romanam prætulit urbem,
  Prætulit hanc patrio Naſo poeta ſolo.
Mantua Virgilium genuit, Verona Catullum,
  Par tamen hoc domina civis in urbe fuit.
Quos colis, exemplis heroum dirige greſſus,
  Hinc tu, quod fugias, quodque ſequaris, habes.
Difficile eſt, fateor, patriis valedicere fundis,
  Et quo reptaſti, vertere terga ſolo.
Res tamen auxilium cum poſcit publica, nemo,
  Quam præſtare poteſt, ferre recuſat opem.
Ipſe ſua patriæ pro libertate Menæceus,
  Hoſtili Decii tres cecidere manu.
Pro patria dextram devovit Scævola flammis,
  Et quot erant Fabios abſtulit una dies.
Pro patria Diti natum mactavit Erechtheus,
  Brutus & irati concidit enſe patris.
Tu quoque ne patriæ deſis. Te publica poſcunt
  Munia, te ſpectant curia, roſtra, forum.
Hæc tibi debentur, deberis tu ſimul illis,
  Vel tibi, vel nulli, convenit iſtud onus.
Rumpe moras, & te, Gordoni, transfer in urbem;
  Huc te fata vocant, huc trahit alma Themis.
Hic potes ingenii cæleſtis promere vires,
  Hic potes eloquii pandere vela tui.
Non decet inſignes animi marceſcere dotes,
  Raraque deformi dona perire ſitu.
Delituit, lanamque diu tractavit Achilles,
  Hac qua debuerat tela vibrare manu.
Sed Laertiadæ tandem ſolertia larvam
  Dempſit, & invitum traxit ad arma ducem.
Æaciden quantum ſibi tum devinxit Vlyſſes,
  Me de te tantum nunc meruiſſe puta.
Et mihi ſi pares, quod Græcia debuit illi,
  Debebit votis Scotica terra meis.

Adverſus Omaſomaſtiga.

ZOile, cui macies exanguis detegit oſſa,
  Fœdat & arentes plurima ruga genas;
Pinguis aqualiculi molem cur dentibus atris
Impetis,

Impetis, & roſtro tam petulante feris?
Hujus ad aſpectum cur naſum ſannio criſpas
Turpiter, & riſu pectus inane quatis?
Si nitidus, ſi ſum totus teres, atque rotundus,
Ecquid me digito, decolor umbra, notas?
Cur ſi pinguis equus, nitidus laudatur & agnus,
Pinguibus & nitidis non licet eſſe viris?
Fallitur ingluvie quiſquis pingueſcere ventres
Autumat, aut nimio membra tumere mero.
Nemo vel Alciden, vel pinguem dixit Homerum,
Vinoſus tamen hic, ille guloſus erat.
Corpora paſta nimis macreſcunt ſæpè, nec hauſta
Plus ſatis in ventrem creſcere vina ſinunt.
Mole ſalix parvâ eſt, immani quercus, at illa
Propter aquas, ſiccis naſcitur iſta jugis.
Si qua fides medicis, quem ſic adoleſcere cernis,
Sanguinis aerii luxuriatur ope.
Purior è venis per totos diditur artus
Halitus, & juſtâ corpora mole beat.
Hinc quibus omentum ſuperat, venterque jecurque
Tenditur, ingenium mitius eſſe vides.
Nil bove præpingui, nil eſt manſuetius agno,
Efficit & mites ſola ſagina feras.
Bile carent omni, quibus eſt abdomen, agreſtis,
Et ſua, ſi paſcis, fulmina ponit aper.
Nec pecus ex rapto vivit, quod turget omaſo,
Nullaque cum ſociis pro dape bella gerit.
Nec ſtruit inſidias, nec, quamvis lædere tentes,
Calcitrat, aut nulla vindicat arte nefas.
At quibus informis macies depaſcitur artus,
Effera ſunt, iræ dedita, plena dolis.
Hoc canis ingenio eſt, & linx, & peſſima tigris,
Accipitreſque truces, ales & ipſe Iovis.
Horum, crede mihi, mores imitatur, & artes,
Quiſquis ab Iapeto ſtemma parente trahit.
Frons hilaris pingui eſt; macies quem turpat anilis,
Neſcio quid duræ tetricitatis habet.
Ille nec ambit opes, nec triſtibus æſtuat iris,
Aut odiis; mens huic ſordida felle tumet.

Ille

Ille nec invidia ſquallet, nec pallet amore;
Decolor eſt iſti, nigraque tota cutis.
Candida mens pingui eſt, macilento callida, pacem
Alter amat, cupit hic jurgia, bella, neces.
Pinguibus objicitur projecti ſarcina ventris,
Vitaque, ſegnities quam comitatur, iners.
Non ita ſunt agiles, fateor, præpinguibus artus;
Sed tamen id laudem quod mereatur habet.
Qui populo dant jura, ſedent, animuſque ſedendo
Fit ſapiens, motûs eſt quoque meta quies.
Adſpice naucleros: hic tempeſtate coortâ
Vela legit, nimias egerit alter aquas.
Pervolat antennas pars hæc, pars illa rudentes
Explicat, in mediis curſitat una foris.
Arduus ad clavum rector ſedet ipſe quietus,
Aſtraque proſpectans dirigit arte ratem.
Quique præeſt bello, jubet illum ſcandere muros
Ocyus, hunc alacri ſumere tela manu.
Ipſe ſuas ſpectans acies tota agmina nutu
Circumagit, ſunt hæc munia ſola ducis.
Nos quoque, quos ventris detentos pondere cernis,
Hæc gerimus, quæ gens emaciata nequit.
Eſt Deus in nobis; immobilis ille, quod infra eſt,
Quæque ſupra ſpectas ſidera mente regit.
Afer equus, capreæque leves ſunt curſibus apti,
Munia debentur nobiliora viris.
Re poſcente tamen, naturam vincimus arte,
Nec ventris nimium pinguibus obſtat onus.
Sunt volucres nobis, quæ findant æquora, puppes;
Et rapidis ferimur, quo lubet ire, rotis.
Ardua nec pingui res eſſet, ponere ventrem,
Quidquid & inceptis poſſe nocere putas.
Omnia qui tandem vincit, labor improbus alvi
Stringere luxuriem poſſet, & atra fames.
Hinc neque mendico venter protuberat ulli,
Ventre nec agreſtes turgidiore vides.
Durius at morbo eſt, genium ſic plectere, tanti
Squallorem & maciem, vix puto, ſanus emet.
Sed neque tu mergi nobis abdomine mentem,

Pingue

Pingue nec ingenium pinguibus eſſe puta.
Quis neget ingenio Galbam ceſſiſſe Neroni,
Ventroſus tamen hic audiit, ille macer.
Vicit & ingenio pinguis Leo Cecrope natos,
Cum populi mentes molliit arte truces.
Quæ favet ingeniis, autor Dea pinguis olivæ eſt;
Fallor? an exſuccos diligat illa viros?
Qui macer eſt, jactat vires: ad fortia fortis
Ergo eat, & patriam vomere verſet humum.
Robora vel ſylvis, vel cæcis æra cavernis
Eruat, æquoreas vel rate findat aquas.
Brachia det luctæ, validos vel cæſtibus artus
Induat, aut funda grandia ſaxa rotet.
Quærat Olympiaco gens hæc in pulvere laurum,
Aut lauru ſi quid majus Olympus habet.
Iſta decent validos. Nobis ſunt publica curæ
Munia, nos poſcunt templa, Lycæa, forum.
Virgineas colimus populi ſine viribus artes,
Quaſque jubent Muſæ, quaſque Minerva ſequi.
Vita quidem pingui brevis eſt; agnoſcimus ultro,
Sed fatuum eſt vitæ de brevitate queri.
Vita genus ſtadii eſt, & plenum fluctibus æquor,
Cernis & hic durus quæ mala carcer habet.
Dic, quis ad Elei metam dum tendit anhelus,
Se curſu ſocios antevolaſſe dolet?
Navita nec mœret, ventis ſi pulſa ſecundis,
Spe citius portum feſſa carina ſubit.
Nec cito te quereris tractum de carceris umbra,
Aut nimium propera vincla ſoluta manu.
Sola Venus ſupereſt, qua nos ſuperamur ab illis,
Qui maciem tanta relligione colunt.
Quantula laus hæc eſt? Veneri ſi debita laus eſt,
Te laudabilior cum cane taurus erit.
Sed nec aqualiculo Veneris reſtinguitur ulli
Flamma, nec in pingui corpore friget amor.
Nitimur exemplis regum; cui plurima cervix
Pinguis erat, Claudi quanta libido fuit?
Ventroſuſque Nero ſimul, & cervicis opimæ,
Mille lupas fertur, mille iniiſſe mares.

Quam

Quam genuit pater inter aquas, humore refertos
  Et ſucci plenos, mater Amoris amat.
Poma quis enaſci ſperat de ſtipite ſicco?
  Quemve poteſt laticem fundere dura ſilex?
Pone ſupercilium jam tandem, Zoile, parce
  Rodere naturæ luxuriantis opus.
Si quid habes mentis, pingui nil pulchrius alvo,
  Et nil ſtrigoſa turpius eſſe puta.

EPIGRAMMATA,

Ad Illuſtrem Laderdeliæ Comitem.

NOn mihi ſunt, rubro quæ mittit ab æquore Tethys,
  Vel niger in viridi quę legit Indus aqua.
Hæc tibi, quæ Phœbi ſacris è fontibus hauſi,
  Dona, Laderdeli, quantulacunque fero.
Accipe Pierias, &c, ſi vacat, inſpice gerras;
  Hora ſat eſt, oculo ſi properante legis.
Alitis armigeri proles generoſa putatur,
  Si qua poteſt Phœbi nobile ferre jubar.
Tu quoque Phœbæos, quo par eſt lumine, fœtus
  Adſpiciens, generis da documenta tui.
Heroo ſic te prognatum ſanguine, magno
  Nec Metellano degeneraſſe probes.

ART. IONST.

De aulæis acupictis, D. Iſabellæ Setonæ, Comitiſſæ Laderdeliæ.

MVnere non uno, nec ab una gente, Minervæ
  Texta Laderdeliæ nobilitata vides.
Aurum ripa Tagi, donarunt mollia Seres
  Stamina, quæ tinxit purpura, miſſa Tyro eſt.
Confer opus: Quæ ripa Tagi, quæ munera Seres,
  Quæ Tyrus hic jactat, Scotica vincit acus.

Flores ejuſdem acupicti.

VEre novo primos Dea cum Setonia flores,
  Et pictam niveo ſub pede vidit humum;
Sumpſit acum, Floræque legens veſtigia, byſſo

Naturæ

Naturæ ſimulat luxuriantis opus.
Iridis hic varios, & mille papaveris ignes
Adſpicis, & rutili fila tenella croci.
Hic ferrugineas, oſtroque, auroque comantes,
Et violas cultu verſicolore vides.
Candida luteolis miſcentur lilia calthis,
Et tulipæ ſoli, ſideribuſque pares.
Hic roſa par cocco, par eſt & dentibus Indis,
Hæc collo dominæ concolor, illa labris.
Æmulus hic cælo cyanus nitet inter ocellos,
Et ſceptrum, & Tyrio tincta corona cado.
Et teſſellatos variatâ luce fritillos,
Et Veneri ſacras flos imitatus aves.
Quique Therapnæo fertur de ſanguine cretus,
Quemque tuus tinxit, pulcher Adoni, cruor.
Hic hiat & flammam gelidis qui traxit ab undis,
Iamque ſui, pejùs quàm priùs, urit amor.
Pone ſimul, quos pinxit acus Setonia, flores,
Et quos vere novo Dædala fudit humus.
Mentem quiſquis habet, vel veros juret utroſque,
Vel pictos unâ juret utroſque manu.

Fructus.

ADſpicis hic auro pictos & murice fructus;
Textaque Setonæ nobilitata manu.
Hic pellucidulæ turgent in vitibus uvæ,
Nativo jures intumuiſſe mero.
Palladis hic pictas operoſo ſtamine baccas;
Tinctaque Getulo murice poma vides.
Et defæcato quibus eſt color æmulus auro;
Et quæ virginei ſigna cruoris habent.
Et ceraſis pyra mixta nitent, ſunt illa labellis
Artificis, ſunt hæc æmula poma comis.
Cernis & Heliadum lachrymas imitantia pruna;
Quicquid & Alcinoi ſylva vel hortus habet.
Zeuxis aves pictis deluſit callidus uvis,
Pictoris pictor luſus & arte fuit.
Hic ſua, ſi videant, Pomonam poma, Lyæum
Vinea. Cecropiam fallet oliva Deam.

Fera.

Feræ.

HIc auro, Tyrioque nitent bombyce ferarum
Agmina, Grampigenæ cuſpide picta Deæ.
Hic leporem ſectatur hians, & prenſitat umber;
Hic jacet haud uno vulnere foſſus aper.
Arboris hic nixus trunco vim cornibus arcet
Cervus, & arreptos tollit in aſtra canes.
Hic capreas, damaſque quatit fuga, ponè moloſſos
Cernis anhelantes per loca ſenta ſequi.
Terga feris, canibus fœdatos ſanguine rictus
Adſpicis, & duris crura notata rubis.
Nec leo, nec turpes deſunt venantibus urſæ,
Villoſuſque Biſon, & maculoſa tigris.
Stant circum juvenes; vibrat hic venabula, librat
Hic jaculum, teretes expedit ille plagas.
Cuncta nitent auro; facies argentea ſylvis
Obtigit, argento ſub pede lucet humus.
Hic nemorum regina feras agitare, relictis
Montibus, hic artes diſce, Minerva, tuas.

Aves.

DOna Lidintoniæ ſemper victura Minervæ
Hic picturatæ conſpiciuntur aves.
Alituum ſtipata choro regina volucrum
Naſcitur hic Phœnix, quo perit, orta rogo.
Sublevat hic leporem pedibus Iovis ales; ab alto
Poſcere mortales præda videtur opem.
Sole relucentem volucris Iunonia caudam
Circinat, & plumâ multicolore nitet.
Mille Dioneæ volucres dant oſcula roſtris,
Colla tument, plumis nec color unus ineſt.
Vincit olor candore nives, ſed, eburnea colla
Artificis quod ſint candidiora, dolet.
Concolor arboribus virides hic explicat alas
Pſittacus, & ſolâ garrulitate caret.
Stant pugiles hic lucis aves: in vertice criſtæ,
Ignis ineſt oculis, cruribus arma rigent.
Hic & populeâ ſua leget fata ſub umbrâ

Dau-

Daulias, & geſtum muta loquentis habet.
Hic fera Pygmæum pedibus grus abripit uncis,
Clàde pharetrati pumilionis ovans.
Halcyonem jures hic veſtigare maritum,
Vox illi, ſortem qua fleat, una deeſt.
His Capitolinæ cuſtos intexitur arcis,
Et de Phaſiaca vecta volucris aqua.
Quæque ſuo teneros reſtaurat ſanguine natos,
Quæque ſubit dorſo dulce parentis onus.
Eripe compedibus, quibus hærent, exue filis
Crura, volaturas nemo negabit aves.

Piſces.

SQuammigeros hîc Nympha greges, gentemque marinam
Exhibet, ingenii nobilioris opus.
Naturam pictura refert: maris egerit imbres
Cetus hians, ceto perforat orca latus.
Se rotat, & vitreis delphin laſcivit in undis,
Cum catulis conjunx cærula ponè ſubit.
Deformes refluo ſtertunt in gurgite phocæ,
Terga rigent ſetis, ubera lacte tument.
Sæpia fuſcat aquas, ſe ſubductura periclo,
Oraque de toto mugile ſola latent.
Cornibus adverſis pugnant ſub gurgite cancri
Octipedes; congrum fronte locuſta ferit.
Ipſe ſibi remex, vector, ſcapha, more Liburnæ,
Nautilus in ſummâ velificatur aqua.
Flens crocodile fugis; diſtentam ſanguine venam
Niliacus junci cuſpide tundit equus.
Hamatas ſcolopendra dapes, & viſcera ructu
Egerit; æra vides reddere ſola lupum.
Pinna dolum meditans, dum fugit ab æthere concha
Seminium baccæ nobilioris, hiat.
Nec color unus ineſt: hyacinthi purpura flammis,
Et muræna tuo ſanguine tincta nites.
Candor ineſt ſoleis, imitatur ſulphura merſus
Scomber aquis, fulges dactyle, tinca vires.
Aureus auratæ color eſt; argentea ſalmo,
Vicini pecoris, polype, terga geris.

Pectine-

Pectine cæſariem Siren deducit eburno,
Pube tenus virgo, cætera piſcis habet.
Cana tridentigero nitet hic cum conjuge Tethys,
Et fluit ad niveos cærula palla pedes.
Cæruleus juxta tubicen ciet æquora concha;
Naiadum cinctus Nereidumque choro.
His, quem priſca juvant, priſcæ vivaria Romæ
Confer, & Hirpini, Cæſareoſque lacus.
Lucrino contenta fuit gens Martia; totam
Hic Amphitriten, Oceanumque vides.

Planetæ.

ADſpicis, ut cæli dominos, tellure relicta,
Exprimat audaci dædala Nympha manu.
Saturnus ſtat falce minax, fert fulmina natus,
Mars clypeum, ſpargit Phœbus ab ore faces.
Diva Paphi ſpeculo, virga Cyllenia proles,
Cornibus auratis frons tibi, Luna, nitet.
Quanta domus, tot culta Deis, tot lucida flammis?
Quæ dedit hæc mundo maxima, quanta Dea eſt?

Lucretia acu-picta.

HIc caſtum fodit ipſa ſibi Lucretia pectus,
Quod non commiſit, per ſcelus ulta nefas.
Intulit hanc faſtis & notam reddidit orbi
Dextra metus expers, & ſine labe thorus.
Sed quantū manus orba metu, ſine crimine lectus,
Setonæ tantum nobilitavit acus.

Poma acu-picta.

PIcta Laderdeliæ dum ſpectat poma Minervæ,
Sic Paridem fertur corripuiſſe Venus:
Perfide, cur nobis cum pomis verba dediſti?
Cur mecum formæ præmia Pallas habet?
Iudice ſed ſi te ſuperavi Pallada, pomis
Cur ego Palladiis deteriora tuli?

De Aberdonia urbe.

CVm populo quiſquis Romanam ſuſpicis urbem,
Et mundi dominam, deliciaſque vocas;

Confer

Confer Aberdoniam, Thetys hanc ſervilibus undis
Alluit, urbs famulo nec procul illa mari eſt.
Vtraque fulta jugis ſubjectos deſpicit amnes;
Vtraque fulmineâ ſpirat ab arce minas.
Illa ſuos Fabios, invictaque fulmina belli
Scipiadas jactat, Cæſareamque domum.
Menneſios urbs hæc proceres, gentemq; Culenam,
Et Colliſſonios, Lauſonioſque patres.
Vrbe Quirinali minor eſt urbs Grampica, cives
Sunt tamen hic animis, ingeniiſque pares.

Ad Trimollium Ducem, de Maria Turræa ſponſa.

IAm tibi connubio ſociatur Nympha, Trimolli,
Turrææ ſoboles Auriacæque domûs.
Quæ Paridi obtulerant tria numina, poſſidet una,
Mentem Pallas, opes Iuno, dat ora Venus.
Ipſe Paris, quales olim conſpexit in Idâ,
Iuret in hac una tres ſimul eſſe Deas.
Diſſimilis tantùm tribus una eſt, quòd ſit in illa
Pallas blanda, humilis Iuno, pudica Venus.

De Armilla, quam Turræa ſponſo dedit.

SVnt gemmæ pars una tui, pars altera crines,
Armilla, hinc ingens ſurgit & inde nitor.
Gemmas concha tulit, quâ quondam mater Amorum,
Nata recens, Cyprum per mare vecta fuit.
Candor in his niveus, nitor eſt, fratri æmula, qualem
Orbe micans medio fundere Luna ſolet.
Lævior his non eſt, non ipſa rotundior orbis
Machina, non Paphiæ lactea mamma deæ.
Nympha dedit crines; Moſæ Sedanenſis ad undas,
Hos ſponſo laqueos texuit ales Amor.
Concolor Heliadum lachrymis coma, concolor auro
Et, quo pinguntur rura Ciliſſa, croco. (eſt,
Non levis hanc tenui vincit lanugine byſſus,
Fila nec extremi talia Seres habent:
Nec qui ſe circum glomerat ſua viſcera bombyx,
Nec fera dædaleum quæ pede texit opus.

Nec mage ſubtiles ars finxit Lemnia caſſes,
 Nuda repentino cum Dea capta dolo eſt.
Quæ Rhodus in vacua fertur ſervaſſe tabella,
 Talia pictorum fila fuiſſe putem.
Hic Berenicæo miſſus de vertice crinis,
 Vel cirrus Veneris, vel tua, Phœbe, coma eſt.

De loco ſuo natali.

ÆMula Theſſalicis en hîc Ionſtonia Tempe,
 Hoſpes, hyperboreo fuſa ſub axe vides.
Mille per ambages nitidis argenteus undis
 Hic trepidat lætos Vrius inter agros.
Explicat hic ſeras ingens Bennachius umbras,
 Nox ubi libratur lance dieſque pari.
Gemmifer eſt amnis, radiat mons ipſe lapillis,
 Queis nihil Eous purius orbis habet.
Hic pandit Natura ſinum, nativaque ſurgens
 Purpura fælicem ſub pede ditat humum.
Aëra per liquidum volucres, in flumine piſces,
 Adſpicis in pratis luxuriare pecus.
Hic ſeges eſt, hic poma rubent, onerantur ariſtis
 Arva, ſuas ægrè ſuſtinet arbor opes.
Propter aquas arx eſt, ipſi contermina cœlo,
 Autoris menti non tamen æqua ſui.
Imperat hæc arvis, & vectigalibus undis,
 Et famulâ ſtadiis diſtat ab urbe tribus.
Hæc mihi terra parens: gens has Ionſtonia lym-
 Arvaque per centum miſſa tuetur avos. (phas,
Clara Maroneis evaſit Mantua cunis,
 Me mea natalis nobilitabit humus.

De Hayorum tribus jugis ſanguineis.

HOſtibus, indignum, Cimbris exercitus omnis
 Scotigenum verſo terga Leone dabat:
Signa Caledoniæ ſpectans incanduit Hayus,
 Qui patrios juxta fortè colebat agros.
Nec mora, taurorum, properans, ingentibus auſis
 Expedit incurvis colla toroſa jugis.
His genitor, natique duo, tria fulmina belli,

Compeſcunt trepidam, nec ſine cæde, fugam.
Queis fuga compreſſa eſt, armis agreſtibus hoſtis
Concidit; &, qui non concidit, hauſtus aqua eſt.
Clava quid, aut harpe meruit, quid Pelias haſta,
Quæ perhibent Grajos arma tuliſſe duces?
Sunt hæc nota quidem, cantataque vatibus arma,
Haya tamen veræ plus juga laudis habent.

De Sophia Haya, Comitis Errolii filia.

SI genus, & mentem, ſi formam reſpicis, Hayæ
Sunt data, quæ jactant Iuno, Minerva, Venus.
Iuno ſupercilium ſi ponat, tela Minerva,
Furta Venus, terris tres dabit Haya Deas.

De Hylo Concionatore.

QVi dormire paras, nocturna ſilentia noli
Quærere, nec ſtrepitum prætereuntis aquæ;
Nec volucrum, nec quos edit lyra tinnula cantus,
Quæque ſoporiferum grana papaver habet;
Nec molli te crede thoro, nec membra fatiga,
Nec dape, nec ſumpto lumina conde mero:
Vt ſopor obrepat non expugnabilis, audi,
Dum coram populo rhetoricatur, Hylum.

De Gulielmo Forbeſio, D. Theologo.

OMnia mel vincit dulcedine, ſydera lucem
Præ reliquis, robur miſſile fulmen habet.
Eloquium ſi quis Forbeſî comparet iſtis,
Mel fatuum, nigra ſunt ſydera, fulmen hebes.

De Samuelis Narani lachrymis parentalibus.

NEc caluit tibi thure rogus, Nærane, Sabæo,
Nec bibit extinctus vina Falerna cinis;
Fulta nec aëreis ſtant mauſolæa columnis,
Nec ſimulant vultus marmora cæſa tuos:
His tantum lachrymis, &, quas de fonte petivit
Caſtalio, proles mœſta parentat aquis.
Vel citò, vel ſerò conſumit cætera tempus,
Hæc abolere poteſt munera nulla dies.

Aut.

Aut ſi forte illis lux exſpectanda ſuprema eſt,
Lux erit hæc Elegis, Naſo, ſuprema tuis.

De Budæo Tuſſani Bercheti.

BVdæus Muſis, lucem, Berchete, dediſti
Budæo, lucem à ſydere ſydus habet.
Barbara quod non eſt, hoc illi Græcia debet,
Debet, quod non eſt barbarus, ille tibi.

De Gulielmo Forbeſio & Roberto Baronio, Theologis Abredonenſibus.

NIl, quod Forbeſio, Chriſti dum paſcit ovile,
Nil, quod Baronio comparet, orbis habet.
Eloquio ſunt ambo pares; diſcrimen in uno eſt;
Quo lubet, hic mentes pellicit, ille rapit.

De Patricio Dunæo Medico.

NOn benè Dunæo ductum à fuſcedine nomen,
Quæ tulit in lucem, Scotica terra dedit.
Candori collata viri ſunt lilia fuſca,
Lac atrum, Scythiæ nix nigra, furvus olor.

De Labyrintho Meruli.

HÆc tibi Dædaleos Meruli brevis area plexus
Exhibet, & varios, ancipiteſque dolos.
Sic iter obliquat Phrygiis Mæander in oris,
Et Gariochæos Vrius inter agros.
Sic, dum roſtra canum deludit hiantia, vulpem
Mille per ambages ire, redire vides.
Nec tot molitur Iovis ales in aëre gyros,
Nec tot vere novo carpit hirundo vias.
Hydra voluminibus non tot ſinuatur, arachnes
Et minus eſt fallax implicituſque labor.
Ingenium confer domini; plus artis in illo eſt,
Plus hoc errorum quàm Labyrinthus habet.

In obitum Iohannæ Metellanæ, Laderdeliæ Comitis filiæ.

CVi tria debuerat largiri ſæcla, puellam
Parca Metellanam poſt tria luſtra rapit.

Virtutes numerat Lacheſis, non ſupputat annos;
Fructus erat præcox, carptus & ante diem.

De Roberto Iunio, hydrope exſtincto.

VEre cadit, nondum defloreſcentibus annis
Iunius: immiti funere merſit hydrops.
Caſtalidum fontes propè qui ſiccaverat omnes,
Quid mirum nimiis ſi jugulatur aquis?

De Betonio Medico.

BEtonio nuper conſpecto, portitor Orci
Subſtitit, & medio merſit in amne ratem.
Flenſq;,lucri nobis,inquit,ſpes omnis adempta eſt,
Per Stygias poſthac nemo vehetur aquas.
Quin vereor, ſi vita hominum revocabilis arte eſt,
Ne redeant, Ditis regia quotquot habet.

De Abrenethaa.

NAta Abrenethæo Charis eſt, vel mater Amorũ,
Vel cui jure Charis cedat, & ipſa Venus.
Si tu oculos, ſi labra Deæ, ſi pingere colla
Ritè cupis, pingas aſtra, corolla, nives.

De eadem.

ORa Abrenethææ ſi conſpexiſſet Apelles,
Pinxiſſet melius Cypridis ora ſuæ.

De Horto Carpeſii.

PRuna leges alibi flavas imitantia ceras,
Et quæ Thisbæo mora cruore rubent.
Quæque ſolent menſis ſervari poma ſecundis,
Et pyra cum ceraſis, caſtaneaſque nuces.
Hic tuus hortus habet, Carpeſi, ſectile porrum,
Et virides malvas, prototomoſque rudes.
Et cum lactuca fabrorum prandia betas,
Quodque ciet Venerem, vile miniſtrat olus.
Narciſſos hic flere duos, tres iridis arcus,
Quatuor hic cernis lilia, quinque roſas.
Cætera ſunt tribuli, paliurus, lappa, cicuta,

Aut

Aut urtica nocens, aut inimica filix.
Hunc tibi quæ ſervent, nec rubri tela Priapi,
Nec ſemper vigilis quære draconis opem.
Hortus hic ipſe ſua ſe paupertate tuetur,
Hac à ſe fures pellit & arcet aves.

De eodem.

HOrtule, quem propriis Carpeſius ęquat ocellis,
Nil te pauperius, nil minus orbis habet.
Te tegeret totum, tanta eſt anguſtia, caſſis,
Quem vaga pendentem de trabe muſca timet.
Teque pulex uno poſſet tranſmittere ſaltu,
Et quæ de mediis rana coaxat aquis.
Tu potes, Automedon citius quam flectat habenas,
Totus ab impaſto pumilione fodi.
Infælix olitor gremio vix mandet avaro
Semina, Pigmæi quot capit una manus.
Quod reddis domino, vix det jentacula muri,
Vix levet hinc tenuem ſicca cicada famem.
Quicquid ineſt oleris, vix Iri hoc impleat ollam,
Caſtanea quamvis ſit minor illa nuce.
Te tamen Alcinoi præfert Carpeſius horto,
Deliciaſque ſuas, lautitiaſque vocat.
Talia quartanæ legimus præconia febris,
Parve pulex, memini, laus tua talis erat.

De eodem.

NOn mihi te, cultor Carpeſi pauperis horti,
Rodere fas; idem me quoq; morbus habet.
Hactenus à teneris qui nos exercuit annis,
Aonidum ſterilis ludificavit ager.
Vrticas, tribuloſque tuus tibi protulit hortus,
Noſter ager domino nil niſi verba dedit.
Hunc ego cum Muſis, Phœboque faceſſere juſſi;
Tu quoque dic horto, ſi ſapis, horte vale.

De Horto ſuo.

ÆMula Phæacum ſylvis pomaria nobis
In medio ſurgunt ambitioſa foro.

Hic triſtis dum ſævit hyems, quæ Punica tellus,
Quæque ferax mittit Media, poma lego,
Nil opus hic raſtris, duriſve ligonibus, hortus
Hic domino nullo poma labore parit.
Aureus eſt hortus nobis, hanc protulit ætas
Aurea, qua fructus ſponte ferebat humus.
Hunc tibi vel ferro, vel ſtercore nata dederunt
Sæcula, quem ferro, ſtercoribuſque colis.

De Agro Epiſcopi Eudoxi.

HIc, ubi propter aquas ſeviſti, Præſul, avenam,
Naſcitur in ſacra ſola ſinapis humo.
Non tibi carminibus Circe mutavit ariſtas,
Nec vetulo corpus quæ juvenile dedit.
Ipſa ſalus, Superumque pater, cui paret Olympus,
Quodque ſubeſt, ſenio conſuluere tuo.
Frigida, quæ miſeris ſolum dat pabula bobus,
Lædere frigidulum poſſet avena ſenem.
Igne ſuo quod membra fovet ſopita, ſinapi
Vel ſene Pythagora ſumere teſte potes.

De eodem.

QVam tulit Ægypti tellus fœcunda ſinapin,
Plinius hanc laudat, Pergameuſque ſenex.
Hanc ego prætulerim, gelida quam pene ſub Arcto
Præſulis in campo luxuriare vides.
Cominus irritat ſenſum, Nilotica tellus
Quam parit, & lachrymas trita repente movet.
Eminus hanc ſpectans naſcentem Præſul in agro,
Flevit, & effuſis ora rigavit aquis.

De eodem.

PRæſulis hic ager eſt, calido pars una ſinapi
Luxuriat, pingues pars alit una boves.
Cæde boves præſul: ſunt hic opſonia præſto,
Et condimentum ſponte miniſtrat humus.

Ad

Ad Iamiſonum Pictorem, de Anna Cambelia, heroina.

ILluſtres, ars quotquot habet tua, prome colores,
Pingere Cambellam ſi, Iamiſone, paras.
Frons ebori, pectuſque nivi, ſint colla liguſtris
Æmula, Pæſtanis tinge labella roſis.
Ille genis color eniteat, quo mixta corallis
Marmora, vel quali candida poma rubent.
Cæſaries auro rutilet: debetur ocellis
Qualis ineſt gemmis, ſideribuſque, nitor.
Forma ſupercilii ſit, qualem Cypridis arcus,
Vel Triviæ, leviter cum ſinuatur, habet.
Sed pictor ſuſpende manum; ſubtilius omni
Stamine, quod tentas hic ſimulare, vides.
Cedit Apollineo vulſus de vertice crinis,
Cedit Apellæa linea ducta manu.
Pinge ſupercilium ſine faſtu, pinge pudicos
Huic oculos, totam da ſine labe Deam.
Vt careat nævo, formæ nil deme vel adde,
Fac ſimilem tantum, qua potes arte, ſui.

Ad Iacobum Ionſtonum, Baronem de Ionſton.

MAjores, Ionſtone, tuos, dum Martia vivent
Nomina, Ferguſidum gens ſuper aſtra feret;
Credita ſunt illis gemini confinia regni,
Hoc meruit virtus, & ſine labe fides.
Quantus hic eſt? ſocium quem legit Vallius unum,
Inter mille duces, fulmineaſque manus.
Quantus erat, qualiſque pater? qui fortibus armis
Mille foris peperit, mille trophæa domi.
Anglia Grampigenas extructis molibus hoſtes
Arcuit, & muro junxit utrumque fretum.
Hoſtibus oppoſuit Ionſtonos Scotia vallum
Invictum, quo nil firmius orbis habet.

De Gulielmo Drummundo.

QVæſivit Latio Buchananus carmine laudem,
Et patrios dura reſpuit aure modos.
Cum poſſet Latiis Buchananum vincere Muſis

Drummundus, patrio maluit ore loqui.
Major uter? Primas huic defert Scotia, vates
Vix inter Latios ille ſecundus erat.

Ad Cauſidicos, ne prodant cauſam regiam.

QVi fora, qui Themidem colis, os ne ſubline Regi,
Fulmineas longè porrigit ille manus.
Vellere ſopito barbam deſiſte leoni,
Hic ungues, barbam qui tueantur, habet.

Ad Senatum, de Iacobo Grantio.

PRæbuit obſequium Patribus Ionſtonus, & æger
Grantius illius vivere cœpit ope.
Cauſidico fas eſt gratis ſervire clienti,
Nec magis empta reũ, quàm data verba, juvant.
Empta juvat medicina, nocet, ſi ſolvere nolis,
Theſſala nec pejus toxica virus habent.
Aut date, quæ meruit Ionſtonus, præmia Patres,
Aut Styga tranabit Grantius ante diem.

De Columbario Eudoxi Præſulis.

QVas aluit templo turris vicina, columbæ
Præſulis antiquos deſeruere lares.
Non ſtrigis has ſolitis exegit pupula nidis,
Nec muſtelarum pernicioſa cohors;
Nec pelagi murmur, nec tintinnabula templi
Proxima, nec ſtrepitus prætereuntis aquæ;
Nec circumvolitans magni Iovis armiger ales
Linquere Chaonias tecta coegit aves;
Roſtra nec accipitris metuerunt: ſola volucres
Cypridis auſteri præſulis ora timent.

De Horto Vulturni.

DIvitis hic, hoſpes, Vulturni conſpicis hortum,
Septaque mortali non ſuperanda pede.
Delicias Pomona ſuas hic explicat omnes,
Floraque purpureos pandit amœna ſinus.
Ardua murorum moles, & proxima cælo
Has illibatas ſaxa tuentur opes.

Non ita Palladium cuſtodivere Quirites,
Nobile Veſtalis nec penetrale foci.
Non ita ſemivirum quæ ſepſit machina monſtrum,
Carcer Hypermneſtræ non ita tutus erat.
Sed nec Erichthonium ſic clauſit ciſta Minervæ,
Nec dominam pluvii turris ahena Iovis.
Sunt alii rerum domini, Vulturne, ſuarum,
Tu cuſtos horti mancipiumque tui es.

De Horto Lepidi.

HOrtūs hic eſt Lepidi: non illū pervigil anguis
Protegit, aut rubri falx metuenda Dei.
Obvius invitat dominus juveneſque, ſeneſque,
Et, quæ quiſque velit, carpere poma jubet.
Cui ſenſum fortuna dedit, data dona recuſa,
Hoſpes, & oblatas tangere parce dapes. (mos,
Poma quot hortus habet, tot aduncos conſpicis ha-
Omnis & hic viſcum, quo rapit, arbor habet.

Tumulus Denneterii Belgæ Inſulani & uxoris.

HOc Denneterius, natorum munere, buſto
Conditur, amplexus conjugis oſſa ſuæ.
Quā ſacer hic locus eſt! Tumulo ſpectantur in iſto
Natorum pietas, conjugiique fides.

De Andrea Melvino.

CEde Caledonio volucris Stheneleïa cygno,
Quæ reliquas niveo corpore vincis aves.
Tu fugis, ille petit cæli commercia; tu fles
Perpetuo, fletum temperat ille jocis.
Tu foris, ille intus candorem poſſidet. unam
Tu Venerem, Veneres mille ſed ille vehit.

De Simia Taurelli.

MAgnus Alexander, domitor telluris & undæ,
Et pius Auguſtus funera flevit equi.
Cornicem Pharii, corvum luxere Quirites,
Flere nec erubuit virgo Atalanta canem.
Non minus excellit pietas Taurellia, luctus
Materies illi cercopithecus erat.

De eadem Simia.

VIxit amica viris, dum vixit ſimia, quamvis
Fœmina, fæmineo ſemper iniqua gregi.
Grex tamen hic functæ deflevit funera, ſiccis
Quæ ſpectare viri ſuſtinuere genis.
Si quis ades cenſor, ſexum jam confer utrumque,
Hic pietatis habes, hic feritatis opus.

De eadem.

INcola ſylvarum quæ libertate fruebar,
Imperio domini vincula dura tuli.
Non facies humana virum, non ruga ſenilis
Plurima, non movit quod peregrina fui.
Spem præter nunc vincla vides in morte ſoluta:
Crudelis dominus, Parca benigna fuit.

Ad Henricum Turræum Bulloniæ Ducem, cum filiæ mortem defleret.

ERgone nulla tuo lex eſt, Turræe, dolori?
Martia ſiccabit lumina nulla dies?
Adſpice ut adverſæ Titan jam proximus Arcto
Antipodas, procul hinc, & Styga luſtret equis.
Ter duodena agitur jam lux ſine luce, ſuoque
Sunt ſine ſole dies, ſydera nocte latent.
Solvitur in lachrymas cælum, furit horridus Auſter,
Squallet hyems, Nereus fletibus auget aquas.
Si qua fides vero eſt, pridem tua vulnera ſentit
Cynthius, aſtra, imbres, flamina, terra, fretum.
Vnius ad vultum totus componitur orbis,
Et tecum ridet, teque dolente dolet.
Aut igitur ſiſtenda tibi ſunt flumina luctus,
Aut hic ſperandum nil niſi nox & hyems.

De anatomica ſectione, à Iulio Caſſerio Placentino Patavii exhibita.

AMphitheatralem miretur vulgus arenam,
Quemq; movent elephas, bos, leo, tigris, aper.
Qui Phœbum, quem Phœbus amat, ſpectacula, Cęſar
Muneri-

Muneribus præfert Caſſeriana tuis.
Adſpicis hic parvus quot habet miracula mundus,
Inque tuo vultum cernis & ora Dei.
Hic illud, quo nil majus natura vel auſa eſt,
Vel potuit, ſolers dextra retexit opus.
Lingua comes dextram ſequitur, natura loquentem
Auſcultat, leges diſcit & ipſa ſuas.
Hæc ad Antenorei quiſquis ſpectacla theatri
Non ſtupet, ille oculis, auribus ille caret.
Aut ſi forte oculos natura indulſit & aures,
Abderitanæ pectora plebis habet.

De eadem.

FÆlices animæ, quarum, plaudente theatro,
Secta Placentinus corpora monſtrat eques.
Veſtra ille æternum victuris nomina chartis
Inſeret, & laudes orbis uterque leget.
Mortalis ſin vita placet, deſcendite cælo,
Corpora reſtituent quæ ſecuere manus.

De Horto Patricii Blackii, ſartoris regii.

HOrtus hic eſt Blackî, montes ſitus inter & un-
Orbis & extremo pene ſub axe jacens. (das,
Hic ferrugineas violas, argentea paſſim
Hic legis auricomis lilia mixta roſis.
Puniceos inter ſpirat narciſſus ocellos,
Muricis hi flammas, provocat ille nives.
Cæruleas aquileia virens hic explicat alas;
Hic flos Oebalio ſanguine tincte rubes.
Sive papavereos, ſeu quæris Pæonis ignes,
Hic cum Pæoniæ flore papaver habes.
Hic rutilat Veneri quondam dilectus Adonis,
Hanc amaranthe tuo murice pingis humum.
Nec deſunt tulipæ, nec mille coloribus iris
Cælum imitans, ſceptro nec diadema comes.
Aſpicis & myrtos, & amantes carmina lauros,
Inter & hybernas luxuriare roſas.
Hic pyra flava nitent & baccis cærula ficus;
Hic lita Thiſbæo ſanguine mora rubent.

Hic roſeas inter ceraſos, quæ Punica tellus,
Quæque ferax mittit Media, poma vides.
Hic nemus Alcinoi ſpectas, & Adonidis hortos,
Quicquid & Heſperidum protulit almus ager.
Stulta tibi nimium noli Natura placere,
Hæc ars, & domini dædala pinxit acus.

In obitum Ducis Lennoxii.

DVm populũ, proceresque ſuos Iacobus in unum
Cogit, & Europam terror ubique tenet;
Spes populi, procerumque decus Lennoxius heros
Non exſpectato funere raptus obit.
Pro Superi! Non hæc mors eſt, ſed publica clades;
Confoſſus patriæ per latus ille cadit.

In obitum Georgii Ogilvii, Equitis Banfii.

VIxit Olympiades ter ſeptem Banfius; ætas
Ter fuit illuſtri poſteritate minor.
Virtutes numera; paucos liquiſſe nepotes
Comperies, paucos evoluiſſe dies.

De Carnutio, ejuſdem filio.

HIc jacet æqualis meritis Carnutius, annis
Longævo decies quinque parente minor.
Hic citò, virtutis tulit alter præmia ſerò,
Nec minus hic vitæ, quam fuit ille, ſatur.

Epicedium Franciſci Hayi, Errolii Comitis.

OCcidit Hayorum princeps Errolius, orbis
Nunc deſiderium, qui fuit ante decus.
Adſcripſit procerum numero domus edita regum
Stemmate, ſanguineis nobilitata jugis.
Manibus heroum ſociavit Martia virtus,
Partaque fulmineâ mille trophæa manu.
Donavit cœlo pietas ſpectata. Quid ultra
Vel meruere homines, vel tribuere Dei?

Ad

Ad Thomam Hopaum, Advocatum regium.

MAxime Phœbigenū, magni laus prima Senatus,
Lima fori, titulis major, Hopæe, tribus.
Regia dum curas, famulum quoque protege Regis,
Credita cui Domini vita ſaluſque tui eſt.
Lyncea mens, lingua eſt tibi nectare dulcior omni,
Labe carens pectus, candidiuſque nive.
In vultu Charites, ſpes eſt in nomine, dotes
Quas alii ſparſas, tu ſimul unus habes.
Exere virtutes, menſuram nominis implens,
Et te Ionſtono quantus es, eſſe proba.

De Gulielmo Gordonio Rothimao, & Georgio Gordonio caſis.

GOrdonii cecidere duo diſcordibus armis,
Ambo ſenes, juvenum ductor uterque fuit.
Miſcuit hos primos Mavors, mors abſtulit unos,
Evaſit comitum, ſorte favente, cohors.
Fortunam ex ſociis, ex his audacter in hoſtem
Ducere, conſtanter diſce juventa mori.

Tumulus Mongommeri Scoti, Epiſcopi Methenſis.

HIc Mongommeri tegitur pars quantula? Tanti
Præſulis exuvias quantula velat humus?
Bis geminis proceres gens Mongommeria regnis
Præſtat, & armorum mille togæque duces.
Hanc Ferguſiadum tellus, hanc jactat Ierne, (lum.
Quodque rigat Tameſis, quodque Garumna ſo-
Sed quantum reliquas hæc gens heroa, tribules
Qui jacet hic tantum vincit honore ſuos.

Deſpauterius Davidis Vederburni reformatus.

ARte Vederburni nunc Deſpauterius ingens
Se melior triplo eſt, dimidioque minor.
Dimidium toto plus eſt, plus inde juventæ
Fœnoris, & citius meſſis amata venit.
Annus olympiadem, menſiſque breviſſimus annum,
Vna dies menſem vincit, & hora diem.

Hæc nova ſi poſſet redivivus ſcripta tueri
Hippocrates, artem diceret eſſe brevem.

In obitum Comitis Pembrochii.

AVrea quid virtus, quid proſunt ſanguis, honores,
Mille clientelæ, gratia regis, opes?
Angligenas inter fortunatiſſime nuper,
Pembrochi, & procerum gloria prima cadis.
Poſt domini, regiſque tui nigra funera, nullus
Atrior hoc cæli fluxit ab axe dies.

De diatriba Roberti Baronii D. Theologi adverſus Trumbullium.

BAronii laus ante fuit mens enthea, pectus
Labe vacans, puris æmula lingua favis.
Nunc lauda calamum, ſacri certamina circi
Dum ciet, & limæ nobilioris opus.
Aureus huic nitor eſt, vis fulminis inſtar, acumen
Diva quod invideat vertice nata Iovis.
Nil nitor hic fuci, nil dia potentia faſtus,
Viperei nil hic fellis acumen habet.

De eadem.

EN ſacra Baronius movet & Trumbullius arma,
Penè ſub Icariis natus uterque rotis.
Ambo ſacerdotes, divinæ Palladis ambo
Artibus, & calami dexteritate pares.
Hoc diſcrimen habes; magno molimine cauſam
Hic agit Auſonii Præſulis, ille Dei.

De Iacobo Bardio, & Gualtero Hayo, Cauſidicis.

BArdius, & vita multo mihi charior Hayus,
Me patrocinio ſuſtinuere ſuo.
Ambo triumpharunt, meritum ſed Bardius aurum
Reſpuit, oblatas riſit & Hayus opes.
Gens Themidi devota, manus cui ſemper aperta eſt,
Si ſapis, exemplum nobile diſce ſequi.
Accipe res vulgi; medicus quod porrigit aurum,
Dona velut Danaum pernicioſa fuge.

Hoc

Hoc aloes celat medici ſolertia virus,
Hoc incruſtari trux colocynthis amat.

In obitum Iohannæ Metellanæ Laderdeliæ Comitis filiæ.

QVarta Metellanam ſubſtraxit olympias orbi,
Spem procerum, patrii deliciaſque ſoli.
Ante Deæ quam Iuno ſacros accenderet ignes,
Mors fera Lethææ gurgite merſit aquæ.
Scilicet urticis fas eſt ſperare ſenectam,
Lappa nec hybernas deperit ante nives.
Sed violas, teneraſque roſas, & candida prati
Lilia vere vides ſurgere, vere mori.

Tumulus Ioannis Coliſſonii, Præfecti Abredonenſis.

SAncte Coliſſonio ſtatuam decerne Senatus,
Hic ubi Præfectos conditur inter avos.
Dextra gerat gladiũ, geminas manus altera lances,
Hic ſtatuæ titulus, quem legat orbis, erit:
Vir ſæclo, Saturne, tuo, Lacedæmone civis,
Romulea Conſul dignus hic urbe fuit.

Ad Eglam.

NVlla Venus nobis cor urit, ſi tamen urit
Cor Venus, illa oculos incolit Egla tuos.
Hic Cnidus eſt, & regna Paphi; geminuſq; Cupido
Hinc mihi mille vibrat ſpicula, mille faces.
Securus Coæ riderem virginis haſtam,
Et quibus armatur Gorgonis ora trucis.
Haſta poteſt clypeo depelli; flecte retrorſum
Lumina, ſaxificæ Gorgonis anguis hebet.
Hei mihi, nec clypeis oculorum eluditur ictus,
Nec fas, Egla, oculos cernere nolle tuos.

De eadem.

VNica lux Eglam noſtris amplexibus arcet,
Et vicina fugit nectaris unda ſitim.
Labere, Phœbe, polo, teritur tibi proximus Arcto
Ægoceros; luces jam decet eſſe breves.

Illa redi, nox illa redi, quâ fertur in ulnas
Alcmenæ poſito Iuppiter iſſe Deo.
Tunc ego nulla meis damnabo tempora votis,
Aſtrorum lentas nec querar ire rotas.

In Obitum Annæ Quinjææ puerperæ.

HIc, ſexus regina ſui, Quinjæa ſepulta eſt,
Qua tegitur, Veneres mille teguntur humo.
Hæc Veneres, mors hæc Charites ſimul abſtulit omnes,
Et reliquum terris quod pietatis erat.
Horruit ipſa nefas Lacheſis, ſed neſcia flecti
Lex agit, & retrò volvere fila vetat.
Hoc tantum extorſit pietas, Quinjæa renaſci
Vt poſſit moriens funere facta parens.
Sic volucrum regina animam dum expirat in ignes,
Se reparat Phœnix, unica ſemper avis.
Plus tamen hoc meruit pietas & candida virtus,
Phœnicis ſenio debuit ante frui.

De Abrenethææ virgine, cum ſcabie laboraret.

FRons ebori nuper certabat, labra corallis,
Pingebantque genas lilia mixta roſis.
Nunc Abrenethææ tetro fluit ulcere vultus,
Et tenera infantis paſcitur ora lues.
Hanc Venus afflavit peſtem, viruſque nefandum,
Quo ſua crudelis tela venenat Amor.
Non poterat Dea ferre parem, formoſior olim
Quæ Iovis & natâ & conjuge viſa fuit.
Indignum cælo facinus; non barbara Thracum
Pectora, non Cyclops plus feritatis habet.
Parcere ſi mulier, ſi mater, ſi Dea neſcis,
A Latia pueris parcere diſce lupa.

De eadem.

FOrmam Abrenethææ Venus ereptura, veneno
Infecit frontem, pectora, labra, genas.
Intacti manſere oculi, ſuus eſt vigor illis,
Et ſine labe acies, & ſine fæce nitor.
Quæ patitur mortale genus, contagia cælum
Reſpuit, & conſtans ſydera lumen habent.

De eadem.

CVr oculis Iſabella tuis Cytherea pepercit,
Cum ſecuit teneras ungue rigente genas?
Quos prius amiſit quam carperet ætheris auras,
Hos oculos pueri credidit eſſe ſui.
Aut oculos pueri eſſe ſui Dea credidit, illi
Aut oculos ſervat, Nympha Iſabella, tuos.

De Gulielmo Forbeſio Tolchono.

AVxiſſet cum prole domum Tolchonus & arvis,
Confectus ſenio ſponte reliquit humum.
Condidit hunc tumulum, quo conditur ipſe, ſupremum
Exſpectans animo nil metuente diem.
Hunc propè pauperibus devotos aſpicis agros,
Tectaque mortali non violanda manu.
Nec procul his domini ſurgunt palatia, Regis
Non ſemel hoſpitio nobilitata ſui.
Hæc terris monimenta dedit Tolchonus, & inter
Has operum moles creſcere vidit opes.
Quantulus, exuvias ſi ſpectas corporis, alti
Si penſas animi munera, quantus homo eſt?

In obitum Gulielmi Forbeſii Cragivarrii.

NObilis hic tumulum Forbeſi conſpicis; audi
Qui fuerint mores, ingeniumque viri.
Quod labor eſt aliis, vitæ dum carperet auras,
Divitias illi quærere ludus erat.
Cumque juberetur terris excedere, ridens
Terra vale, cælo nunc potiemur, ait.
Quas poſſedit opes, & terræ jugera, nemo
Miretur, dominum plus fuit eſſe ſui.

De Poemate ſacro Andreæ Ramſai Paſtoris Edinburgenſis.

CVi Blandum aſpiciens naſcenti riſit Apollo,
Doctaque Caſtalio proluit ora lacu;
Aut levis incautam verſu lenone juventam
In Veneris caſſes, inſidiaſque trahit.

Aut bona veſanis impendens otia bellis
Sævit, & Aonias ſanguine fœdat aquas.
Spreta jacet pietas; aut ſi quem fortè poetam
Repperit, huic miſeris ſtridet avena modis.
Ramſæus ſcopulum prudens declinat utrumque,
Dignaque dat Muſis carmina, digna Deo.
Hic juga Parnaſſi coeunt cum rupe Sionis,
Mixtaque Iordani Caſtalis unda fluit.

In Porticum Desfortianam.

HIc decus Arctoæ ſpectatur porticus oræ,
Æmula porticibus Roma vetuſta tuis.
Tota nitet Phœbo, nimis & vicina Bootæ
Ni foret, hanc Phœbi ſuſpicer eſſe domum.
Arte laboratum ſummis laquearibus aurum
Exhibet hiſtorias quot vetus orbis habet.
Quas heroinas, hoc in quo degimus ævum,
Quos tulit heroas, monſtrat utrumque latus.
Iſta licet meritò poſſint molimina dici
Maxima, ſunt domini mente minora ſui.

Tumulus Iacobi Setoni Petmeddeni.

QVem tegit hic ceſpes, faſtu Setonus honores,
Divitias luxu poſſe carere docet.

In obitum Ioannis Vrchardi Cragſtonii.

OCcidit Vrchardus, quo nemo beatior, ævi
Iam ſatur, & famulas quas ſibi fecit, opum.
Poſteritas, cui liquit agros & prædia, diſce
Illius exemplo vivere, diſce mori.

De Elizabetha Trumbullia.

HIc Sco-tangla jaces, inter regina puellas,
Anglia quotquot habet, Scotia quotquot ha-
Reddidit illuſtrem te gens Trumbullia, regi (bet.
Quæ tulit, à tauro cum premeretur, opem.
Tu decus acceptum reddis majoribus, æquans
Ingenio & morum nobilitate genus.
Sic lapis eous radiat circundatus auro,
Vt dubites hinc ſit major, an inde nitor.

De Iacobo

De Iacobo Fullertono & Thoma Moravio.

NIl aulæ metuens vel regis Parca querelas,
Moravium terris abſtulit ante diem.
Hoc Fullertonus ſublato ſydere, Lethes
Intempeſtivis eſt jugulatus aquis.
Sæviat ad lubitum Lacheſis; poſt funera tanta
Aula nihil, nil rex, unde queratur, habet.

De duobus Hamiltoniis, Marchione & Haddintoniæ Comite.

GEntis Hamiltoniæ laudes quæ neſciat ætas,
Phœnices orbi quæ dedit una duos?
Hic in Teutonicis jam victor fulminat oris,
Hic patriæ, magno ſub Iove, jura regit.
Reddite Mæoniden Muſæ; redit alter Achilles,
Dat Laertiaden Scotica terra novum.

De nuptiis Staſquini & Hayæ.

PHœbe pater, toto quem vix conſpeximus anno,
Nunc ades, & liquidum fundis ab ore jubar.
Hic ubi naſcenti primum ſplendeſcere mundo
Cœpiſti, ſedes hic ubi Cæſar habet.
Inter utrumq; polum medius, nunc cernis utrumq;
Et tua uterque itidem lumina cernit apex.
Omnia Phœbe tibi, tu præſens omnibus, omnis
Conſpectu fruitur terra, fretumque tuo.
Temperies jam regna tenet; non frigore tellus
Stringitur, aut ſitiens æſtus hiulcat agros.
Par lucis, noctiſque mora eſt; ſua cura, laborque,
Et ſua jucundus tempora ſomnus habet.
Non facit hoc caſus. Staſquino jungitur Haya;
Omnibus hic lætus debuit eſſe dies.

NOBILES SCOTI.

Cancellarius.

SVb Iove liquit humū, ſpreto Themis aurea cælo;
Nunc tecum in terris, Haye, tribunal habet.

Mortonius

Mortonius Theſaurarius.

SI virtus, vel forma daret, vel ſanguis honores,
Mortonio major nullus in orbe foret.

Hadintonius, cuſtos ſigilli ſecreti.

PLus nulli fortuna dedit de gente Britanna,
Fortunam nemo tam reverenter habet.

Lenoxius.

ESt pater & patruus, procerũ par nobile, magni
Sunt tibi, Lenoxi, quos imiteris, avi.

Hamiltonius.

CElta dedit proavis titulos, tibi Teutonis ora
Mille triumphato Cæſare ſerta dabit.

Huntlæus.

VT ſcopulus ſtans mole ſua, cœlique, mariſque,
Deſpicit Huntlæi mens generoſa minas.

Anguſius.

SI velit Anguſi victuras dicere laudes,
Duglaſiis ortum Scotia dicat avis.

Argathelius.

CVm, Cambelle, domi cenſus ſine fine, decuſq;,
Sit tibi, cur titulos quæris opeſque foris?

Errolius.

CVi Pater Hayorum princeps, Duglaſſia mater,
Erroli, virtus eſt tibi nata domi.

Mareſcallus.

VIrtutem ſeu pacis amas, ſeu munia belli,
Fortunam à proavis diſcere, Kethe, potes.

Rothuſius.

SAnguine majores tibi quem peperere, mereris
Ingenii & morum nobilitate locum.

Marrius.

Marrius.

INter Areskinus proceres nitet, aurea flammas
Inter ut æthereas Luna micare ſolet.

Moravius.

NIl plus Moravio meruit Tirynthius heros,
Ille feras peſtes, hic quoq; monſtra domat.

Wintonius.

ILluſtrem tu mille domum virtutibus ornas,
Hæc proceres regno mille, Setone, dedit.

Ladërdelius.

PRiſca novis confer; nil Martia Roma Metello,
Nil Metellano Scotia majus habet.

Lithchovius.

CVra Leviſtonio ceſſit maris; an quia poſcit
Ille mares animos, conſiliumque labor?

Kingornius.

ANtiqui mores, domus eſt antiqua Leonis,
Digna domus domino, dignus & ille domo eſt.

Bucluchius.

ARva dedit Scoto rex Scotus, Belga dat aurum,
Eſtque triumphatus ſerta daturus Iber.

Comes Sterlini.

COnfer Alexandros: Macedo victricibus armis
Magnus erat, Scotus carmine, major uter?

Forbeſius.

SI ſua donarent pietati præmia Divi,
Forbeſidum princeps, par tibi nemo foret.

Lovetius.

NAtus hyperboreos inter Fraſerius heros,
E ſpinis docuit ſurgere poſſe roſam.

Carnegius.

Carnegius.

NEc numero clauduntur opes, nec limite rura
Carnegî, ſervat mens tamen alta modum.

Franciſcus Hayus, Errolii F.

NAſcentem placido te vidit lumine Pallas,
Mens apta eſt ſtudiis, prurit in arma manus.

Iac. Leo, Kingornii F.

DEſpicis, Aonidum quidquid nō protulit hortus;
Aonidum quicquid protulit hortus, habes.

EPISCOPI SCOTI.

Santandreanus.

SPotſvvodus sociis, ſeu munia Præſulis implet,
Sive Senatoris, præripit omne decus.

Glaſcuenſis.

ESt coma, Laë, tibi cygnæis æmula plumis,
Pectora ſunt multo candidiora comis.

Deucaledonius.

QVas ſibi Lindſæus ſola virtute paravit,
Virtuti famulas & ſibi fecit opes.

Abredonenſis.

ENthea Forbeſio mens eſt, vox conſona menti,
Vita comes vocis, quod jubet, ipſe facit.

Moravienſis.

INſtruit exemplo populum Guthræus & ore,
Pellicit hoc, illo ſaxea corda trahit.

Gallovidienſis.

LAmmius aſtrorum ſpoliatus lumine, lucem
Quâ ſe, quaque Deum conſpicit, intus habet.

Roſſenſis.

Roſſenſis.

ARguit erroris vatem Lindſæus, in aulis
Qui negat heroum vivere poſſe pios.

Brechinenſis.

NEc tibi Presbyteri minuit, Lindſæe, labores
Infula, nec mores mutat honoris apex.

Dumblinenſis.

HOc Ballandinus debebat tempore naſci,
Quo pietas Themidi juncta regebat humū.

Cathaneſius.

ABrenethæus oves verbis cum paſcat; & herbis,
Eſt duplex gemino dignus honore labor.

Liſmorenſis.

QVot pater Amphion, & quot Rodopeïus Or-
Mellifluo Bodius tot trahit ore feras.(pheus,

Sodorenſis.

IGnea Leſlæo mens eſt, vox fulminis inſtar,
Doctaque cæleſtis pectora flammat amor.

Orcadum.

DVm corpus tueor, quātillus homuncio, Grami,
Ardua dū mentis culmina, quantus Atlas?(es?

Ad D. Richardum Metellanum.

AVrea dent alii, quæ, Metellane, mereris
Munera, dent Tyrio coccina tincta cado.
Sunt mera verba mihi ſine re, ſine pondere voces,
Et numeri, ſed nil, quod numerare queas.
Accipe Ionſtono vetus hoſpes ab hoſpite nugas,
Munera muneribus non ſatis æqua tuis.
Tu Cereris, memini, tu Bacchi dona dediſti,
Nil ego Pierias adfero præter aquas.
Sic æs vile tuo dum muto callidus auro,
Par Diomedis ego, tu mihi Glaucus eris.

LVSVS

LVSVS AMOEBÆI.

De Ædibus Dãn. Tileni.

DÆdala Tilenus molitur tecta, recoctos
Hic lateres, illic ſurgere ſaxa vides.
Cum dabit exitio terras regnator Olympi,
Hæc erit, & vacuo ſtabit in orbe domus.
Vnda licet, flammæque ruant, ſecura pericli eſt:
Altera pars flammas, altera ridet aquas.

Palinodia.

TIleni hæc domus eſt, ſaxis pars altera, muris
Altera coctilibus tollitur; hoſpes abi.
Æternum vivet domini nomenque, decuſque;
Sed vereor citò ne ſit peritura domus.
Sive ignis, ſive unda ruat, dabit illa ruinam;
Altera pars flammis, altera cedet aquis.

Caſtigatio Tileniana.

QVo ſe præcipiti inflexit, Ionſtone, ruina,
Ante hac viſa ſuo mens ſibi ſtare gradu?
Et lapidum, & laterum fidis compagibus ædes
Provida firmarunt undique fata meas.
Vulcanus lateres, lapides fovet æmula Doris,
Non nocet hæc ſoboli, non nocet ille ſuæ.

Ionſtonus.

NEc tibi Vulcanus, quamvis Iunonia proles,
Nec Dea ferre poteſt Oceanitis opem.
Mulciber ipſe ruit præceps, de culmine cœli
Dejectus patria cœlituumque manu.
Nec cum diſſolvi Neptunia mœnia flammis
Cerneret, auxilium cærula Nympha tulit.
Qui ſua, qui ſeſe non ſubduxere periclis,
His ego fortunas credere nolo meas.

Tilenus.

NOn gravis ira Deum, nõ vis magni ulla Tonan-
Præcipitem è cęlo Mulciberẽ egit humi. (tis
Sponte

Sponte ſua, ut lateres coqueret mihi tecta ſtruenti,
Venit, & abjecit tela triſulca Iovis.
Scilicet à pedibus capto pede captus utroque,
Fomentum hoc podagræ & pignus amoris habet.
Perjuram in flammas paſſa eſt confidere Trojam,
Huic puteo ſervans cærula mater aquas.

Ionſtonus.

IAm tibi non paucis ſparguntur tempora canis,
Nulla tamen vetulo pignora Iuno dedit.
Quis credat veniſſe Deum, cælumque, ſuoſque
Liquiſſe, ut ſterili nidificaret avi?
Servavit tibi Doris aquas, Tilene, fatemur,
Laomedontæas paſſa perire domos.
Vrbis in Exquiliis cum ponas tecta, quod illas
Eluat, immenſo ſcis opus eſſe mari.

Tilenus.

SEra dabit nobis, ſed vera & ſeria Iuno
Pignora, non ſævis mox rapienda Notis.
Datque, adimitq; tibi quo pungat acerbius orbum,
Et Veneri juncta eſt trux Libitina tuæ.
Extruit æthereum cui numen, & inſtruit ædes,
Ætheræa hunc proles, numine dante, manet.
Auſpiciis hujus ſupra ipſa cacumina Romæ,
Tollet ab Exquiliis lar caput iſte novis.

Ionſtonus.

HEu quam ſera tibi promittit pignora Iuno,
Quiſquis in Exquiliis ſemiſepultus agis.
Datque, adimitque mihi, totum quibus occupet or-
Parſq; mei terram, pars colit una polum. (bem,
Si claudo claudus tibi Mulciber inſtruit ædes,
Quæ referant claudos pignora clauda manent.
Nec ſuper Exquilias unquam caput efferet ipſas,
Cui patria Exquiliæ, loripedeſque patres.

Tilenus.

QVē thalamo dignata ſuo eſt Venus ipſa maritū;
Ædibus hunc noſtris fata dedere fabrum.

Vidit, & invidit gelida hoc Arcturus ab arce,
Tincta Lycambæo carmina felle vomens.
Et nunc clauda mihi minitatur pignora lecti,
In laris exitium nunc elementa ciet.
Fumiferam glomerans noctem atque incendia vana;
Non mihi jam Arcturus, ſed mage Cacus eris.

Ionſtonus.

DA veniam vati, meritas mox improba pœnas
Charta dabit, magnis obſtrepere auſa Deis.
In cinerem vertent, quibus inſultaverat, ignes,
Et cinis ultrices experietur aquas.
Aut ſi, quam meruit, vati quoque pœna luenda eſt;
Vnum hoc te Phœbus, Pierideſque rogant:
Vt, tibi ſi non eſt Arcturus, quod fuit olim,
Illi tu, quod eras, eſſe, Tilene, velis.

Tilenus.

NVllam huic à Veſta metuendam, à Doride nullam
Arcturus cladem dixerat eſſe lari.
Mox alio vates perculſus pectora thyrſo,
Occinuit diras Divæ utriuſque minas.
Tam male conſtantis ſibi, qui nondum ære lavantur;
Sat norunt vatis verba carere fide.
Neſcio qua à Circe mutatum reddit Apollo
Nunc ſibi, veridico nunc docet ore loqui.
Poſtquam ergo in veterem rediiſti, Arcture, figuram;
Affectum veterem mî rediiſſe puta.

De Filia Tileni.

Ionſtonus.

HActenus improlis vixiſti, caſtra ſequutus
Aonidum, Paphiæ caſtra inimica Deæ.
Nunc pater es, poſtquam, pulſis melioribus annis,
Aſperſit capiti prima ſenecta nives.
Quis vigor hic? Quo te mutavit carmine Colchis?
Ter tria quis rapuit Numina, teque tibi?
Iam decies, memini, reparavit Cynthia vultus;
Ex quo nos inter mutua pugna fuit.

Noſter.

Noſtra tibi ſteriles Muſa exprobravit amores
Conjugii, longas increpuitque moras.
Tum pudor incendit vires; ſibi ſemine læto
Tum ſenſit conjunx intumuiſſe ſinus.
Hæc tua carminibus debentur pignora noſtris,
Quod pater es poſt tot luſtra, Tilene, meum eſt.

Tilenus.

COlchidis aſſumens nomen Ionſtonus & artes,
Ereptum nobis it decus omne patris.
Nec dubitat verſu ſat, pol, jactare protervo,
Quod genui prolem, muneris eſſe ſui.
An quenquam faciet patrem Medea, ſuæ quæ
Cæde madens prolis deſiit eſſe parens?
Sed neque, Diva potens Cypri quæ præmia donat,
Ad ſterilem Aonidum ſunt referenda chorum.
Carmine non oritur niſi ſubventanea proles;
Longe alio plectro nata puella mihi eſt.

Ionſtonus.

SEx tibi fluxerunt ſterili cum conjuge meſſes,
Incertumque fuit, fœmina, maſne fores.
Quod jactas; jacuit tum prorſus inutile plectrum,
Nec fuit ex illo tempore mota Venus.
Vt cecini, cœpit plectrumque, Venuſque moveri,
Scilicet ad cantus officioſa meos.
Quæ tibi nunc ſordent, acuerunt carmina vires
Pectinis; his tuus eſt extimulatus amor.
Saxa quibus vates traxit Rhodopeïa, torpor
His tuus illiciis ſollicitandus erat.

Tilenus.

AOnidas ſancti ſtudium immortale pudoris
Non ſinit Idaliæ gaudia noſſe Deæ.
Quæ Muſis operantem olim, Phœboque litantem
Illicio ad Venerem traxit avena ſuo;
Nullius aut Muſæ eſt, Phœbique hæc barbitos, aut jam
Leno tuus Phœbus; lena Camœna tua eſt.

Ionſtonus.

CVi labor incautam verſu lenone juventam
 Fallere, & arcanas ferre per oſſa faces;
Hunc inter Satyros, hunc inter pone cynædos,
 Vt lenocinii præmia digna ferat.
Tileni tantum cecinit Ionſtonus amores;
 Si tua caſta Venus, caſta Camœna mea eſt.

Tilenus.

SAt lituis, Martique datum: cane Muſa receptui;
 Eſt lauru, eſt vitula dignus uterque ſua.
Quin veteres deinceps Muſas tibi ſolus habeto,
 Et gerito in cerebro totum Helicona tuo.
Eſt mihi namq; domi nova Muſa, novuſq; Cithæron,
 Non facit ad guſtum rancida Muſa meum.

Ionſtonus.

QVę tibi nata domi eſt, & quam tu ſuſpicis unam,
 In cunis tantum flere Camœna poteſt.
Hanc non invideo tibi, quamvis una, Tilene,
 Pars mea ſit, totam nunc tibi ſolus habe.

Tilenus.

NIl niſi flere meam dicis, Ionſtone, puellam,
 Flet ſane & crebro proluit imbre genas.
Imber at Aoniis longe hic mihi gratior undis,
 Quippe merum fundens mel, elegoſque meros.
An quam ſit neſcis Elegeia flebile carmen,
 Quæ docuit ſenis addere quinque pedes?
An neſcis, quod nec Thracum gens effera neſcit?
 Nata prole quibus plangere moris erat.
Quam præcox hujus Muſæ eſt ſapientia! vitæ
 Auſpicia hæc celebrat, quo celebranda modo.

Ionſtonus,

NOn mirum eſt Elegos ſi fundat nata Tileni,
 Claudus hic eſt, claudum filia carmen amat.
Mirandum eſt Thracas Muſam jactare magiſtros,
 Et

Et morem à ſtolidis diſcere velle Getis.
Barbarus hic mos eſt; decet inter gaudia naſci,
Gaudia quos inter ſeminat alma Venus.

Tilenus.

SI tibi quinq; pedes ſex addens claudus habetur,
Non pes, ſed cerebrum claudicat, ecce, tuum.
Integer eſt, pedibus cui fas incedere binis;
Quis rogo, cui ſuperat copia tanta pedum?
Sæpe Getæ & Thraces ſunt opportuna locuti:
Thrax erat ipſe Orpheus, tuque Anacharſi Geta.
Sed quia barbariem tibi ritus olere videtur,
Thracia quam nobis relligioſa dedit;
Hac celebrata tenus Thracum ſint Orgia, jam te
Ad ſua ſacra vocant Liber & alma Ceres.
Iamque valete Elegi, nugæque valete canoræ;
Hic cœnandum hodie, hæc teſſera miſſa monet.
Sontica ni cui ſit cauſa, hæc vadimonia nulli
De grege Caſtalio deſeruiſſe licet.
Structa in Mercurio menſa, anne in Apolline quæris?
Promulſis docet hæc quas habitura dapes.

Ionſtonus.

CVr hodie nobis ſtructa eſt in Apolline cœna?
Quid ſibi tanta volunt gaudia? Nata Dea eſt.
Nata Dea eſt, & nata Deis Pandora, dederunt
Frontem Iuno, Charis lumina, labra Venus.
Quæ frons iſta Deæ? quæ lumina? quæ labra? Certat
Frons nivibus, cælo lumina, labra roſis.
Tilenus mentem dedit: hanc cum corpore confer,
Hoc homines dices, hanc genuiſſe Deos.

Ad Andream Melvinum, de melone ad Tilenum miſſo.

MElonem ſine labe dedi, Melvine, Tileno,
Primitias horti deliciaſque mei.
Te quoque conſimili donaſſem munere, verum
Non bene conveniunt hæc melimela ſeni.
Cinnama ſunt potius ſtomacho quærenda ſenili,

Et piper, & vetulo prompta falerna cado.
Vel quas Euganeis mittit de collibus uvas
Villicus, & quæ de matribus ova calent.
Et lepus, & perdix, & nondum gramine paſtus
Hœdulus, & quæ de Phaſide venit avis.
Hæc tibi donari debebant munera; brumæ
Frigora qui vincit, melo cicuta foret.

Melvinus.

QVæ Tileno, eadem Melvino dona dediſſes,
Primitias horti deliciaſque tui.
Obſtitit at gelidus circum præcordia ſanguis,
Scilicet ut mihi ſint δῶρα ne ἄδωρα tua.
Largus opum, Ionſtone, tuæ quoque prodigus artis,
Tileno miſces λυγρὰ, mihi ἐσθλὰ negas.

Tilenus.

NOn miror, tumidas ſi exarſit fœmina in iras,
Viſa tibi haud pomi munere digna, Pari.
En ſimilem ob cauſam ſimili jecur uritur æſtu,
Quem barba, haud ſoboles ſat docet eſſe virum.
Hoc miror: tu cauſſam aperi, Ionſtone, latentem,
Cur vocet ἐσθλὰ ſibi, quæ λίαν ὑγρὰ mihi.

Ionſtonus.

MElvino fors melo ſapit, quia friget uterque,
Aut nimium huic friget nil, nimiumve calet.
Si λίαν ὑγρὰ tibi ſunt munera noſtra, palatum
Non ſapit. An neſcis ἔστιν ἄριστον ὕδωρ?

Tilenus.

SI tibi ἄριστον ὕδωρ, tua jam vindemia præſto eſt,
Imbribus aſſiduis compita, agrique madent.
Lætus ego opperiar Septembri menſe Lyæum,
Tu pluvii interea collige dona Iovis.
Potor aquæ vini potorem ut deinde laceſſas
Nil moror, haud ulla eſt fortior unda mero.

Ionſtonus.

ARidus expecta dum matureſcat Iacchus,
Dulcis aquæ nobis copia ſemper adeſt.
Ille tuus vires confert in prælia, vatum
Sed magis ingenio convenit iſte liquor.
Hinc chorus Aonidum puris abſtemius undis
Gaudet, & Aſcræo temperat amne ſitim.
Quid, quod & ipſe pater Muſarum & carminis au-
Poſthabito Phœbus nectare lambit aquas? (tor
Nec temere hos latices Phœbuſq; novemq; ſororum
Numina vel Chiis præpoſuere cadis.
Gratior eſt Baccho, Bacchum qui temperat humor,
Quæque merum jugulat, fortior unda mero eſt.

Tilenus.

QVæ ſcribuntur aquæ potoribus, Ennius ipſe
Lucem ferre diu carmina poſſe negat.
Lumine quem placido Bacchus videt, igneus illi
Eſt vigor, ætherei & digna propago Iovis.
Si te ranarum capiunt convivia, deinceps
Carmina cum ranis ſcribe in aqua, & ſub aquis.

Ionſtonus.

CErnis adhuc pota quæ ſcripſit Pindarus unda,
Nec metuunt, mundo non pereunte, mori.
Quæ tuus hic vino madidus dedit Ennius orbi
Carmina, cum domino diſperiere ſuo.
Nec miror: laticem, vatem qui ſuſtulit ipſum,
Carminibus vitam quis dare poſſe putet?

Tilenus.

BAcchus amat colles, ſedes gratiſſima Muſis
Sunt colles, colles Cynthius ipſe colit.
Hinc (ita me Dialectica amet, ſed myſtica) conſtat
Vina eſſe, Aonias quas vocitamus aquas.
Si tibi mens eadem, coëant in fœdera dextræ,
Sed patera armetur dextra utriuſque meri.
Si lymphas uvis, ſi Baccho Achiloia præfers
Pocula, lymphata eſt menſque, manuſque tibi.

Ionſtonus.

SI tibi lympha merũ eſt, mutetur Phœbus Iaccho,
Mœnadas Aonias eſſe putato Deas.
Talia ne nobis coëant in fœdera dextræ,
Quos veneror Phœbus, Pierideſque vetant.
Nec manus eſt nobis, nec mens lymphatica, nomen
Hoc meruit, tecum quiſquis abhorret aquas.

Tilenus.

SI, Ionſtone, tibi lymphaticus eſſe videtur,
Qui lymphas Bacchi dulcis amore fugit;
Tu fugiens Bacchum accedes bacchantibus, hęc dant
Grammaticæ & Logicæ jura tibi atque juga.

Ionſtonus.

CArminibus tua facta tuis lymphatica mens eſt,
Et mea, bacchantum more, Tilene, furit.
Non hæc Tymbræus dictavit carmina vates,
Nec quæ Pierias turba propinat aquas.
Aut ſtriges iſta tibi dictarunt, aut ego noſtra
Munera mandragoræ poma fuiſſe puto.

Tilenus.

MElo tuus, Ionſtone, meum faſtidit Iacchum,
Quem verus gaudet jungere melo ſibi.
Qui nihil ad Bacchum, nihil ad Venerem quoque melo,
Bœotum hic ſuibus prandia digna daret.
Qui nihil ad Bacchum, nihil ad Cererē quoq; melo,
Nil ad te, friges quæ ſine utroque, Venus.
Melo ingrate epulis procul hinc, ingrate cubili
Hinc procul, haud utor conditione tua.
Ad porcos à me fuge, reſquè tuas tibi habeto,
Nullum à me poſthac melo habiture melos.

Ionſtonus.

CVm tibi juncta thoro ſit vixdum nubilis uxor,
Tu juvenis, vegetus tu mihi viſus eras:
Nunc ſi, quem dedimus, tot fert in commoda, melo,
Te cum

Te cum Melvino ſuſpicor eſſe ſenem.
Non bene conveniunt ſopitis frigida membris,
Vincit at hybernas frigore melo nives.
Ergo melos poſthac nullum miſſure, Tilene,
Melonemque à me nullum habiture, Vale.

De oculis Iſabellæ Abrenethææ, Adami Abrenethæi filiæ.

Ionſtonus.

OBſtupui nuper Dea te naſcente, novaque
Luce meos oculos detinuere tui.
Eoas primum rebar me cernere gemmas,
Mox ſunt viſa mihi ſydera miſſa polo.
Error utrumque fuit: non urunt corpora gemmæ,
Et magis obtuſum ſydera lumen habent.
Hos oculos, quibus una omnes uriſque, feriſque,
Te ſibi ait Veneris ſurripuiſſe puer.

Dumbarus.

SEd cæcus cum ſit Veneris puer iſte Cupido;
Illi, dic, oculos quomodo ſurripias?

Ionſtonus.

ESt puer hic cæcus: verum hunc infantula cæcum,
Surreptis oculis, Abrenethæa dedit.

Dumbarus.

ABrenethæa dedit cæcum? cum lumine caſſus
Sit natus, cæcum qua ratione dedit?

Ionſtonus.

QVod tibi finxiſti natum ſine lumine Numen
Cenſeri, nullo crimine, talpa poteſt.

Dumbarus.

TV mage ridiculum Numen tibi fingere tentas,
Cui ſunt mortali lumina adempta manu.

Ionſtonus.

MOrtalis non eſt, oculis quæ orbavit Amorem,
Sed Dea, nata Deis, & paritura Deos.

Dumbarus.

ILla Dea eſt, aut nata Deis, pariturave Divos;
Luminibus dicis quam ſpoliare Deos?

Ionſtonus.

LVminibus Deus iſte ſuis non indiget; illi
Sufficiunt caſſes, vincula, tela, faces.

Dumbarus.

IStis, quæ numeras, fateor, Deus aliger armis
Militat; aſt oculi ſunt in amore duces.

Ionſtonus.

PRimus honos oculis merito debetur, at iſta
Arma puellari ſunt magis apta gregi.

Dumbarus.

FOemineos ergo cur non Dea ſumpſit ocellos,
Apta puellari ſi petit arma choro?

Ionſtonus.

OBtulit infanti ſua lumina mater Amorum,
Sed puduit caſtam lumina ferre lupæ.

Dumbarus.

CVr oculos illi præberet Cypria mater,
An tua capta oculis, an Dea luſca fuit?

Ionſtonus.

NEc fuit orba oculis, nec luſca, ſed urere flammis
Cuncta timens, oculos occulit illa ſuos.

Dumbarus.

SI clades hominum metuens abſcondit ocellos,
Cur non abſcondit colla, labella, genas?

Ionſto-

Ionſtonus.

HOc quoq; feciſſet, ſed prudens virgo timebat,
Deſereret terras ne fugitivus Amor.

Dumbarus.

NIl refert; diſcedat Amor, terraſque relinquat;
Quod Deus hic orbi præſtitit, illa dabit.

Ionſtonus.

NOn bene militiam Veneris commiſeris uni,
Nec ferere hanc pugnam fœmina ſola poteſt.

Dumbarus.

SEd cui Diva oculos & luminis abſtulit uſum,
Militiæ hanc ſociam ferre recuſet Amor.

Ionſtonus.

NE ſua fortaſſis ſentiret damna Cupido,
Cor puero & ſociis abſtulit illa Deis.

Dumbarus.

ABrenethæa vale, metuo ne exercita furtis
Me mihi tu, Muſis ſurripiaſque meis.

Ionſtonus.

IVre poeta times. Cui non metuenda poteſtas,
Quæ facit excordes, exoculatque Deos?

Dumbarus.

SAt pugnæ, Ionſtone, datum eſt. In fœdera dextras
Iam ſociet, pugnæ quæ Dea cauſa fuit.

Ionſtonus.

EN dextram, & ſi quid prædatrix virgo reliquit
Ionſtono, hoc totum, Dumbare, cordis habe.

In Obitum Iohannæ Ionſtonæ.

Ionſtonus.

IOnſtonæ thalamo tumulum, tædiſque maritis
Funereas junxit mors properata faces.
Virgo fuit, cum cœpit hyems, cum conſtitit, uxor,
Mox gelidus, bruma deficiente, cinis.
Eſt rota Fortunæ volucris, fugitiva voluptas,
Spes hominum ſemper lubrica, vita brevis.

Wedderburnus.

IOnſtono carmen dedit immortale Thalia,
Quis morti hic, facibus funereiſque locus?

Ionſtonus.

QVod ſpondes, optare queat, ſperare Camœna
Noſtra nequit, gelidi ſydere tacta poli.

Wedderburnus.

AN Buchananeæ capiunt te oblivia Muſæ?
Sydere an hanc neſcis incaluiſſe tuo?

Ionſtonus.

MIlle tulit, fateor, ſub iniquo ſydere cygnos,
Vnum Phœnicen Scotica terra dedit.

Wedderburnus.

AT ſimul in cinerem Phœnix conſederit unus,
Si qua fides, alium ſuſcitat inde cinis.

Ionſtonus.

TAntæ molis opus non uno abſolvitur ævo:
Hanc reparant volucrem non niſi ſæcla decem.

Wedderburnus.

IAm vates obiit. Mundo poſt funera Phœnix
Redditur, & ſobolem dat rogus ipſe novam.

Ionſto-

Ionſtonus.

DIſpenſat ſummam Lacheſis mortalibus horam:
Credere fas non eſt, numina poſſe mori.

Wedderburnus.

SI, Ionſtone, tibi eſt Buchananus numen, ab Arcto
Scotia, te nato, numina plura dedit.

Ionſtonus.

DEſine, vel patriæ, mi Wedderburne, ſodalis
Vel tibi præſtrinxit lumina dulcis amor.

MVSÆ AVLICÆ.

ICONES.

Artes nobiles Regi adgeniculantes.

Muſica.

OS mihi conceſſit Phœbus, cui cedit aëdon,
Inter populeas & philomela comas.
Plectra dedit, rapidas quæ poſſint ſiſtere tigres,
Aut Amphioniis ſaxa movere modis.
Crimine pictoris tabulæ commiſſa perenni
Muta mihi, Rex, hîc ora, lyramque vides.
Nunc oculis animata tuis ſpirabit imago,
Et ſolitum reddent ora chelyſque melos.

Graphica.

ECce duos calamos; nitida hic elementa figurat,
Hic par remigio eſt, mobilis Eure, tuo.
Ille olim niveis magni Iovis excidit alis,
Cum peteret Ledæ baſia, factus olor.
Iuppiter hunc cœlo demiſit, fulminis ales
Cum fieret, pueri captus amore Phrygis.
Quiſque ſuam volucrem referens, illuſtribus ille,
Exprimet hic promptis, Rex, tua geſta notis.

Linguarum magiſtra.

HOc ego ſub tecto linguarum plectra guberno,
Et doceo cives non ſua verba loqui.
Hic Iber, hic patrias audit Germania voces,
Celtaque cum populo, Martia Roma, tuo.
Eſt Iber argutus, vehemens eſt Teuto, venuſtus
Cui Liger, altiloquus, cui rigat ora Tybris.
Accentu differre vides, vox omnibus una
Hæc tamen eſt: Patriæ, Carole, vive parens.

Aſtronomia.

NVnc redit, & ſuperos linquens Aſtræa penates,
Quæ tu pace beas, Carole, regna ſubit.
Iure redux virgo Regis ſe ſubjicit alis,
Quo melius, quo nil æquius orbis habet.
Iure polum liquit: meritis cum ſidera tangas,
Te magis his dignum judicat illa locis.
Sis licet his dignus, tamen hæc te ſcandere ſerò
Virgo rogat ſupplex, totaque terra Deos.

Geometria.

DVm meus immenſum metitur circinus orbem,
Inque ſolo quicquid cernitur, inque ſalo:
Dum maris & vaſtæ trutinantur pondera terræ,
Et quidquid Ditis regna ſepulta tenent:
Parva tibi nimium Dî magni regna dederunt,
Et minor eſt ſolio, Carole, terra tuo.
Qui prius innumeros finxit Democritus Orbes,
Diceret hos uno te Iove poſſe regi.

Medicina.

CArole Pæonias Phœbus mihi tradidit artes,
Quidquid & herbarũ creſcit in orbe, meum (eſt.
Hac ope morborum fibras evello, venena
Hac ope, Circæis ſint licet æqua, domo.
Vtilis ars populo eſt: tua ſe nec ſuſtinet ullo
Gramine, nec dubia pendet ab arte ſalus.
Te tua ſobrietas morbo defendit ab omni,
Publicus & contra toxica munit amor.

Arithmetica.

Arithmetica.

ÆQuoris innumeras numero comprendit arenas
Ars mea, quotque virens gramina campus (habet.
Quot volitant atomi, Sol cum ſe tollit Eous,
Quotque papaveribus condita grana vides.
Et rutilas quot habent cœli laquearia flammas,
Quotque ſuo guttas ſpargit ab axe Notus.
Dum numerare tuas molitur, Carole, dotes,
Incipit ars abaci de brevitate queri.

Chymia.

ARs mea totius rimatur viſcera terræ,
Et liquat, & mutat mille metalla modis.
Sol mihi ſe famulum, ſe præbet Luna miniſtram,
Mars quoque vectigal pendit & alma Venus.
Saturnuſque gravis, nimiumque volatilis Hermes,
Paret & imperio Iuppiter ipſe meo.
Accipe me famulā, famulos quoque, maxime Regū,
Et vectigales jam tibi crede Deos.

Caſtrenſis.

MArtis & armatæ ceſſit mihi cura palæſtræ,
Telaque, ſed nullo tincta cruore, vibro.
Me duce, bella domi diſcit jam tyro Britannus,
Eminus & jaculo, cominus enſe ferit.
Diſponitque acies, & cingit mœnibus urbes,
Inque ſuis figit regia caſtra locis.
Carole, quos numero domuiſti & viribus olim,
Vincere nunc hoſtes, cum lubet, arte potes.

Saltatrix.

ADſpice, quo tegimur, cœlū, quæ fata miniſtrant
Omnibus, aſtrorum mente revolve choros.
Nunc properant, nunc lenta meant, nunc ſtare pu-
Sidera, retrorſum nunc trepidare vides. (tantur
Diſſiliunt, coëunt, fidunt, tolluntur in altum,
Scilicet æthereæ pectine mota lyræ.
Hic juvenum ſpecta choreas, & ſidera gyros
Hic docuiſſe ſuos, vel didiciſſe putes.

Icones Regiæ.

Regis.

QVid tibi cum Rege eſt, pictor vaniſſime? Fuco
Martia Grampigenæ cur Iovis ora linis?
Pinge genas vulgi; minium ſervetur Iaccho,
Aptaque ceruſſæ mater Amoris erit.
Principis ut tanti pictura ſit æmula, pingi
Hunc decet Andina, Mœoniaque manu.

Reginæ.

HAc Mariæ blandum tibi ſubridentis imago eſt,
Illius en frontem, lumina, labra, ſinus.
Majeſtas in fronte nitet, ſunt lumina gemmis
Æmula, labra roſis, pectora plena nive.
Iuno, Venus, Pallas Maria ſpectantur in una,
Iuno potens, Pallas caſta, venuſta Venus.
Vtque magis Mariam referant, hic regia ponit
Iuno minas, Pallas Gorgona, philtra Venus.
Non tamen exemplar, quam ſpectas, æquat imago,
Et depicta minus Diva nitoris habet.
Aut pigmenta nimis caligant, aut tua, pictor,
Lumina luminibus ſunt hebetata Deæ.

Principis Walliæ.

PRincipis en pueri ſimulachrum, dextera pomum
Suſtinet; hoc ſpeciem, quem reget, Orbis habet.
Huic puerũ confer, Zeuſis quẽ pinxit, & uvas,
Obvia quæ volucrum præda fuere gregi.
Si quid habent fidei vultus, puer iſte, quod hoſtes
Arceat, & pomum quod tueatur, habet.

Ejuſdem.

PRincipis ingentis, proavis ingentibus orti,
Quale rudimentum parva tabella dedit!
Hac ſimul & patrios ſpectas in imagine vultus,
Et gemini quivis ora tuetur avi.
Dextera fert oleam, laurum manus altera, laurus
Armorum

Armorum dominum monſtrat, oliva togæ.
His clareſce puer; quam fers Iacobus olivam,
Henricus laurum, donat utramque pater.

Ducis Eboracenſis.

HIc Ducis effigiem pueri miremur: in illa
Martia dum ſpectas ora, venuſta vides.
Vna minas ſpirat ſimul & blanditur imago,
Et Mars & tenero lucet in ore Venus.
Mulciber hanc ſpectans ſolitas exarſit in iras,
Et ſuperos teſtes criminis eſſe jubet.
Quos olim in thalamo deprendit Cynthius uno,
In tabula jurat jam coiiſſe Deos.

Mariæ Principis.

CReditur huic tabulæ regni ſpes tertia, proles
Regia, matris amor, deliciumque patris.
Exprimit ingenium vultus, qui ſpirat amomum,
Et materna patris lilia juncta roſis.
Pone ſupercilium, pictor; ſpes hic tibi laudis
Demitur; hæc Charitum picta tabella manu eſt.

Inſignia Britannica.

I.

DIc age, cur fulvo pardos, Rex magne, leoni
Iungis, & Aoniæ lilia cana lyræ?
Pardi agiles artus, monſtrat leo nobile pectus,
Lilia candorem, temperiemque lyra.

2.

ANglia dat pardos, gens Scotica ferre leonem,
Lilia Celta tibi donat, Ierna chelyn.
Te leo cum pardis oſtendunt Martis alumnum,
Pacis amatorem lilia juncta lyræ.

3.

QVas gerit in clypeo Mavortia Roma volucres,
Principis & populi ſigna rapacis erant.
Mens agilis, mitis, Phœbeia, nobilis illi eſt,
Quem decorant pardi, lilia, plectra, leo.

4.

IN clypeo,ſigniſque tuis, Rex magne,quod ornet,
Quod te delectet,quod tueatur,habes.
Lilia te decorant, delectant plectra, tuentur
Hoſtis ab incurſu ſceptra Britanna feræ.

5.

FErt Iovis armigerum Cæſar, tu,Carole, Divûm
Dona trium geſtas, lilia, plectra, feras.
Lilia Flora dedit, ſua Phœbus plectra, ferarum
Nobile par clypeo ferre Diana jubet.
Lilia, plectra togæ, fera convenit utraque bello,
Nunc jactare Iovis deſine, Cæſar,aves.

6.

CArole flos hominum, Regum quoque maxime, (ſigna
Hinc tua monoceros ſuſtinet,inde leo.
Hoſtis ab opprobriis fultor defendit uterque,
Vnguibus hic, cornu cominus ille petit.

7.

TRux leo, monoceros extremis miſſus ab Indis,
Carole, ſunt clypei fulcra gemella tui.
Te leo vim contra munit, quo toxica vincas,
Magnanimi cornu monocerotis habes.

8.

CArole, te plectro donat glacialis Ierne,
Iunonis tribuit Celtica terra roſas.
Parthica gens pardos, tellus Getula leones,
India, quem monſtras, monocerota dedit.
Sic vectigalis totus tibi cernitur orbis,
Et famula eſt ſceptris ultima terra tuis.

9.

EST ſcuti pars una tui tibi debita, Regum
Maxime, pars meritò conjugis una tuæ eſt.
Te leo Getulus, te,Rex,imitatur ad unguem
Pardalis, hæc agilis, nobilis illa fera eſt.
Lilia jure ſibi poſcit Regina, lyramque,
Hæc candore refert lilia, voce lyram.

10.

SAltibus in patriis, bellum ſine fine cruentum
Trux leo cum ſævo monocerote gerit.

Hic

Hic ſtant concordes poſita feritate, Britanni
Et ſimul hic ſcuti fulcit & alter onus.
Quos decet eſſe viris illo ſub Principe mores,
Qui docet immanes ponere bella feras?

11.

ÆGida fert Pallas; ſpirantes anguibus atris
Phorcidis hæc triplici monſtrat in ære comas.
Carole, quem geſtas, argentea lilia, plectra
Aurea, fulmineas explicat umbo feras.
Ægidis æs triplex argento cedit & auro,
Cedit fulmineis Gorgonis hydra feris.

12.

TRux leo, pardus atrox, fragrantia lilia, Phœbi
Garrula teſtudo credita ſemper erat.
Hic leo ſævitiam, feritatem ponit & iram
Pardus, odore carent lilia, plectra ſono.
Regis ad exemplum leo fit manſuetus, & acri
Ingenium pardo mitius eſſe vides.
Dum pandit Regina ſinus, dum fatur, odores
Expirare pudet lilia, muta lyra eſt.

De Regina.

TRans mare quas alii veſtigant, munere Divum
Has tibi tu naſci, Carole, cernis opes.
Luna dat argentum, Mars ferrum, Cynthius aurũ,
Stannea rex Superûm, plumbea dona pater.
Molle metallorum volucer tibi ſufficit Hermes
Seminium, ſolo Cypridis ære cares.
Dona Cypris ridens, paupertatemque Deorum,
Æs ſibi ſervavit, Borboniamque dedit.

De Reginæ choreis.

DVm celebrat Regina choros, ſe Cynthia terris
Subtrahit & fratris lumine merſa latet.
Dic choreas cur Diva fugit, quæ præſidet illis,
Et qua nec levior, mobiliorve Dea eſt?
Ora Deæ cur Diva timet, quæ ſidera vincit,
Fratris & auricomi luce ſuperba nitet?
An mendicatos hac coram Principe cirros,

An metuit pictas prodere Diva genas?
Nulla metus cauſa eſt, ne non formoſa putetur,
Perſonata poteſt ducere Luna choros.

De iiſdem.

NVper erat Boreæ conſtrictum frigore cœlum,
Flumina vincta gelu, rura ſepulta nive.
Æthera nunc Zephyris mulcentur, puppibus unda
Sternitur, & læto gramine vernat humus.
Ipſa tuis, Princeps, applaudunt aſtra choreis,
Et reliquus tecum gaudia mundus agit.

De Scena marina.

LVcrinum quicunque lacum, vel ſtagna Neronis
Adſpicis, Arctoi ſuſpice Regis opus.
En novus Oceanus media ſe verſat in aula,
Æſtuat & tecti limite clauſa Thetys.
Eſt mare cæruleum, flaveſcit littus arenis,
Inter aquas muſco ſaxa virere vides.
Nunc æquata jacet, nunc nullo concita vento
Surgit, & alternos colligit unda ſinus.
Nunc fremit ardeſcens, & pulſat fluctibus aſtra,
Nunc jures Stygiis æquora mixta vadis.
Nec deſunt ſua vela mari, nec navita, puppes
Qui regat, aut glauci buccina torta Dei.
Vela Thetys non acta Notis, vada byſſina Nereus
Hic ſtupet, & ſiccas æquoris autor aquas.
Ius pelagi, Rex, omne tuum eſt, qui cærula tecto
Claudis, & Oceanos, cum lubet, ipſe facis.

De venatione Regis impedita.

DVm leporum curſu cupit exercere moloſſos,
Et parat in molles Carolus ire feras;
Non expectatos effundit deſuper imbres
Iuppiter, & Regem ſiſtere cogit iter.
Viderat in clypeo Regis ſpatioſa leonis
Ora, quibus non eſt præda ſat ampla lepus.

De eadem.

CArole, venandi ſtudio dum tendis in Arcton
Fervidus, obvertens regia terga Noto;
Contrahit in cœlo frontem nimboſus Orion,
Intempeſtivas fundit & Auſter aquas.
Has tu ne pluvias bibulis è nubibus ortas,
Sed lachrymas cœli, quod fugis, eſſe puta.

De eadem.

REx iter, Arctoas quod erat molitus in oras,
Diſtulit, è cœlo cum cecidiſtis aquæ.
Mox iter abrupit, cogi cum frigore nubes,
Et gelido fundi vidit ab axe nives.
Præbuit obſequium Superis; hinc diſcito nutus
Obſervare tui, terra Britanna, Iovis.

De claſſe regia.

INſula quæ dominos eſt dedignata Quirites,
Et qua majorem non capit ampla Thetys;
Orbe procul toto, quondam fœlicibus undis,
Æquoris & famuli marmore cincta fuit.
Carolus hanc muro nunc circumſcribit aheno,
Et Domini armatas accipit unda rates.
Inſula ſecura eſt, Mars hinc, maris inde tuetur
Arbiter, hic frater, filius ille Iovis.
Ambo Dii, ſed cum Regi famuletur uterque,
Inſula majoris numine tuta Dei eſt.

Inſignia equeſtria divi Georgii.

I.

QViſquis Hyperborei ſpectas inſignia Regis,
Sub Iove nil illo grandius eſſe puta.
Quis neget hunc Martis furias contemnere, cujus
Pectus eques ferro protegit, igne draco?
Quis neget huic ſervire Deos, cui crura Cupido
Ornavit ſpoliis, exuviiſque Deæ?
Terrarum imperio quis dignum neſciat illum,
Quem ſcapulâ cœli ſidera ferre vides.

Ægida

2.

ÆGida fert magni proles Iovis, ægide torva
Tu quoque munitum, Carole, pectus habes.
Pectus utrique datum, quo nil habet acrius Orbis,
Signa triumphatæ geſtat uterque feræ.
Ægida Palladiam vincit tua, tortilis illa
Aſpidis exuvias, iſta draconis habet.

3.

ORnamenta ferunt Phariis radiantia gemmis
Singula Burgundus, Gallus, & Anglus Eques.
Fert ovis exuvias Burgundus, Flamine ſacro
Celta, ferox Anglus cæde draconis ovat.
Sic Burgundus Eques paſtoris munia, partes
Celta ſacerdotis, militis Anglus obit.

4.

VIdit amor circum volitans inſignia Regis,
In quibus ardet Eques, lancea, parma, draco.
Vidit, & aurata trajecit arundine pectus
Puſio, materno fixit & igne jecur.
Trux draco cur flammis, cur haſta, & parma ſagittis
Ceſſerunt, puero cur cataphractus Eques?
Anguis hic Heſperidum, vel conjunx Cypridis autor
Armorum, vel Eques miles Amoris erat.

5.

TRiplicis imperii qui fers diademata, magnis
Quis te majorem, Carole, neſcit avis?
Crus ligat his lævum pretioſa periſcelis, auro
Quæ riget & gemma multicolore nitet.
Colla gravat pectuſque draco, cui lucida terga
Gemmeus aurata cuſpide figit Eques.
Stella tuo fulgens humero jubar explicat; aſtrum
Aut Iovis aut Paphiæ ſuſpicor eſſe Deæ.
Nympha periſcelidem, ſpolium dux Britto draconis
His dedit, aſtra tibi porrigit ipſe polus.

6.

PRiſca triumphati geſtavit terga leonis
Anglia, cum ſpoliis Nympha Britanna tuis.
Fert humero ſtellam nulli fulgore ſecundam
Carolus, auratum ſpargit & inde jubar.

Aut.

Aut hic aſtra polo deduxit, ut altera Circe,
Aut novus hic cœli ſidera fulcit Atlas.

7.

AVrea quid ſibi vult Indis variata pyropis
Faſcia, quam lævo, Carole, crure geris?
Tramitis an forſan cœlum cingentis imago eſt,
Quem levis aurato Cynthius orbe terit?
Illius an ſpecies, Superûm quo ſcanditur aula;
Quique tuo, Iuno cinxia, lacte nitet?
An potius Nymphæ delapſa periſcelis olim?
Hoc puto. Cum reliquis te quoque vinxit Amor.

8.

CArole, cur radiis humeros ſtellantibus ornas,
Ætherei qui plus luminis intus habes?
Cur draco Maſſilus præcingit pectus, amicum
Omnibus, & quo nil mitius eſſe poteſt?
Cur ſpoliis Nymphæ vinxiſti crura Britannæ,
Cui cor Francigenæ flagrat amore Deæ?
Arguit imperium ſidus, draco Martia corda,
Ferre jubet Nymphæ vincula gentis amor.

INSCRIPTIONES HISTORICÆ REGVM SCOTORVM.

Ferguſius I *Scotorum Rex, anno Mundi* 3641, *ante Chriſtum* 330, *Olympiad.* 112, *Vrbis Romæ* 421.

REgali de ſtirpe ſatus, patriaque, domoque
Scotorum, primus Martia ſceptra adiit.
Quæ legum ſtabilit juſto moderamine, & armis,
Idem armis, animis, conſilioque potens.
Fœdere conciliat Pictos, belloque minaces
Brittonas invicto robore fundit agens.
Auſpiciis fælix, meritis illuſtribus aucta
Tranſcribit generi ſceptra tenenda ſuo.
Tollere quem neque fraus potuit, neque Martius (enſis,
Obruit Hibernis Ennoſigæus aquis.

Feritharis Rex 2.

VIrtutum, ingeniique Feritharis indole, & armis
Ferguſium referens, publica damna levat.
Poſtquam cura datur regni, & tutela nepotum,
Publica dat patrii privaque ſigna animi.
Imperium tenuit juſta cum pace quietum,
Sacra colens ſanctè fœdera amicitiæ.
Si quid in innocuum livor tentarat, id omne
In caput auctorum perniciemque fuit.
Virtuti livor fruſtra obſtrepit. Ardua virtus
Hoc magis emergit, quo magis opprimitur.

Mainus Rex 3.

SCeptrigeræ gentis flos delibatus, & ingens
Spes rerum, humani delicium generis;
Quam diſpar fratri! properè quem noxius error
Exuit & ſceptris, & dedit exitio.
At datus hic regno fatis melioribus, æquum
Iuſque colens, dictat civibus æqua ſuis.
Alma ſalus, plenoque comes bona copia cornu,
Et venit auratum pax redimita caput,

Hoc

Hoc Divûm munus fælicia ſæcula regnis
Adjicere. Eſt aliquid ſpernere nolle Deos.

Dornadilla Rex 4.

PAcis amans, regnum tranquilla pace beatum,
Et populum patria relligione regit.
Non litui, non æra crepant, non bella rapinis
Miſta vel inſidiis: omnia pacis erant.
Rex pharetra atque arcu incinctus venatibus inſtat,
Aut cervum ferit, aut curſibus urget aprum.
Aut monumenta locat triviæ, legeſve perennat,
Quæ priſcis Scotis nunc in honore vigent.
Sylvanos, Satyroſque olim, Faunoſque vetuſtas
Talibus his ſtudiis credidit eſſe Deos.

Nothatus Rex 5.

AMbitione potens, primaque tyrannide notus,
Qui jura inſano ſub pede cuncta premit.
Perfidus in ſeſe transfert jus omne nepotum,
Inque bonos cives fœda, nefanda patrat.
Imminet exitio procerum, efflictimque fatigans
Exilio multat, carcere, morte, bonis.
Stare diu nequeunt faſtoſi jura tyranni,
Vindice tu ferro dire tyranne cadis.

Reutherus Rex 6.

INcautum juvenem confeſtim in limine regni
Factio præcipitem ſeditioſa tulit.
Et pene abreptum belli civilibus undis
Merſerat. O quantum ſanguinis inde datum!
Dum latet obſcurus bis ſenos exul in annos,
Hoſtibus in prædam patria rurſus abit.
Poſt armis coiere novis in Brittona Scoti
Et Picti: aſt armis pax potiora dedit.

Rheuda Rex 7.

FOrtia facta Ducum celebrat, fœdata ruinis
Inſtaurat: ſcelerum terror & ultor adeſt.
Et ſua virtuti ſtant præmia, bella peroſus

Otia ſecuræ dulcia pacis amat,
Otia neve iſthæc in publica commoda peccent,
Artibus innocuis patriæ adauctat opes.
Sic benè compoſitos faſces, & ſceptra nepoti
Reddit, ſeque volens abdicat imperio.

Thereus Rex 8.

THereus ingenii varii malè callidus artes
Diſſimulans, ſpondet proſpera regna ſuis.
Protinus at laxas vitiorum admittit habenas,
Atque amens animi per ſcelus omne ruit.
Hinc procerum cædes, injuria, furta, rapinæ,
Plebis & afflictæ dilacerantur opes.
Exhorrens ſcelerum pœnas, fit pœna ſibi ipſi
Exul, inops: miſeros finiit ergo dies.

Ioſina Rex 9.

PRofuit exilium patris tibi, tempore in illo
Pæonias artes noſcere cura fuit:
Munera culta Diis; multos mortalium in uſus
Commoda; tu priſcis non minor ergo Diis.
Ambitio hinc multis medicas ſectarier artes,
Regis & exemplum poſtera ſæcla probant.
Cætera tu fælix: tibi res tantum obfuit una,
Fortia geſta animi nox tenebroſa tegit.

Finnanus Rex 10.

ARma ſilent, regnoque procul fera pulſa tyrannis,
Oppida, rura, domos, occupat alta quies.
Neve iterum invadat reges & regna tyrannis;
(Regibus & regnis exitioſa lues)
Lex data perpetuum, non unius ulla poteſtas
Cuncta regat; ne fors pondere preſſa ſuo
Corruat, at firmis melius connixa columnis
Stet procerum auxilio conſilioque pari.

Durſtius Rex 11.

FAx procerum & populi, dira feritate tyrannus
Durſtius, imperii peſtis & exitium.

Subdola

Subdola mens, & dextra ferox; mentemque, ma-
Improbus, in luxum diffluit & Venerem.(numq;
Atque Thyeſtæas infeſto funere menſas
Polluit, incautos datque neci proceres.
Protinus infandum patria eſt communibus armis
Vlta nefas. Sceleri debita pœna venit.

Euvenus I, *Rex* 12.

PRotinus aſſenſu magno poſt fata tyranni
Sceptra ſubit; plebes dant proceresq; fidem.
Qui ſcelerum peſtes, vitiorum & lenta venena
Suſtulit, exemplo, legibus, arte, fide:
Legibus & pœnas, & vincla minacia pœnis
Addidit; innocuis portus & aura fuit.
Nec minus eſt belli ſtudiis illuſtris & armis,
Pictus opem, Britto ſenſit & arma procax.

Gillus nothus, *Rex* 13.

PRædo rapax nihil intactum, nil linquit inauſum,
Quā malè ſceptra parit, tam malè parta gerit.
Sævit in innocuos regali è ſtirpe propinquos,
Sceptrigerumque genus dat ferus omne neci.
Non tulit immenſam hanc rabiem pia patria: ferro
Vltum iit infandum crimen: at ille fugit.
Approperans meritas ultrix Rhamnuſia pœnas
Exigit, hoſtili perditus enſe cadit.
Cuncta ita fors potuit, ſed quid potuiſſe juvabit?
Non potuit meritis non periiſſe ſuis.

Euvenus 2, *Rex* 14.

MOtibus Æbudas ac ſeditione frementes
Impiger arte, manu, conſilioque premit.
Orcadas, infuſo numeroſo milite fines
Dum vaſtant, miſeros & populantur agros;
Reppulit, inque fugam trepidos dare terga coëgit,
Et duce de Belo clara tropæa tulit.
Hoc decus heroum, non uni inſiſtere palmæ,
Fama etenim aſſiduo parta labore venit.

Ederus Rex 15.

POſt varias clades, per mille pericula rerum,
Servatus Divûm numine ſceptra tenet.
Et veteres proavos, venturaque nomina regum
Suſcitat, & bello, conſilioque bonus.
Agmina ab Æbudis iterum minitantia regno
Vt, venit, utque videt, ſternit, agit, cohibet.
Macte animis heros, genus haud mentite ſuperbum,
Hæc genus antiquum Martia facta probant.

Aliud.

QVidnam hoc & quantum, veni, vidi, omnia vici?
Idem mutato nomine Cæſar ego.

Euenus 3, *Rex* 16.

PRimus in innocuos mores Sybaritica regna
Invehit, & Veneri ſacra profana litat.
Non tibi ſufficiunt centum Sybarita, nefanda
Lege etiam impurum vin' ſtabilire nefas?
Prodiga luxuries, ſequiturque licentia rerum,
Nex procerum, paſſim furta, & ubique ſcelus.
Stare diu nequit tam fœdis moribus. Vltrix
Pœna ſubit. Raro vindice culpa vacat.

Metellanus Rex 17, *ante Chriſtum* 4 *annis.*

HIc patriæ ſtudet attritæ ſarcire ruinas,
Membraque in antiquum lapſa referre gradum.
O fælix animi juvenis, proſperque laborum,
Res tantum fatis obfuit una tuis.
Monſtra voluptatum, legeſque abolere nefandas
Non poteras, lenta quæ invaluere mora.
Principio vitiis obſta; nam temporis auctu
Illa magis creſcunt viribus aucta novis.

Eteoſtichon.

Eteoſtichon.

DVM regno; æthereI ChrIſtVs reX VerVs oLyMpI
NaſCItVr, eXVLtant terra, poLVſqVe sIMVL.

Caratacus Rex 18.

INdole virtutis non inferiora ſequutus,
Regificum meritis ſe probat eſſe genus.
Scilicet Æbudæ validis ſe armare catervis,
Et circum effuſæ cuncta agere & rapere.
Aſt ubi in horriſonis contra ſeſe intulit armis
Caratacus, victæ procubuere metu.
Quod ſi te vero Tacitus cognomine narrat,
Nemo in Romana eſt clarior hiſtoria.

Corbredus Rex 19.

IRrequieta, ferox, ſtudio genſque aſpera belli
Mota per Æbudas rurſus ad arma vocat.
At vaga Corbredus compeſcuit arma furentum,
Et patriæ pacem, & jura verenda dedit.
Hic quoque Romanos aggreſſus fortibus armis
Dicitur, & clarum Marte tuliſſe decus.
Iuſtitiæ vindex, & amans patriæ, hoſtibus horror,
Quemque patres inter jure feras patriæ.

Dardanus cognomento Craſſus, Rex 20.

PRincipio ingeniū ſimulans quinquenne Neronis,
Maxima virtutis ſigna fidemque dabat.
Protinus in vitium præceps ruit omne, nefaſque,
Immemor & generis, nec memor ipſe ſui.
Mactatu procerum, atque immani cæde ſuorum
Sceptra ſibi, & generi rem ſtabilire parat.
A tergo inſequitur Nemeſis. Sibi perditus inſtat
Dum capitur: captus dura & acerba luit.

Corbredus cognomento Galdus, Rex 21.

MArte gravis validè Auſonidū legionibus inſtat,
Et penè in caſtris hoſtica ſigna capit.
Ancipitique diu pugnatur Marte. Reſumptis

Viribus inſtaurant prælia utrinque truces.
At pulſos hoſtes ſociorum viribus auctus
Exigit, & patriam vindicat interitu.
Pacat & Æbudas: jus, fas, dictatque, facitque:
Nemo armis major, conſiliiſve prior.

Aliud.

VIctrices aquilæ, atq; acies, quas maximus orbis
Obſtupuit, vires obſtupuere meas.

Luctatus Rex 22.

DEgener à proavis, patriſque à moribus, omne
Ius, fas, naturæ, Numinis, & patriæ
Projicit: inceſtus, ſceleratus prædo, tyrannus
Sævitia exardens, plenus avaritiæ.
Quæque patris nuper multo ſunt parta labore
Otia, ſtant patriæ, ſtant procerum exitio.
Auctorem, & ſcelerum ſocios mors vindicat ultrix,
Diſpereunt merita talia monſtra nece.

Mogaldus Rex 23.

NVpera quos vitiis mores fœdaverat ætas,
Reſtituit, belli quæque ruina dedit.
Romanas, ſociaſque acies ingentibus auſis
Frangit, ſeu ſolus, ſeu ſocia arma præit.
Perpetuas foſſas valli cum mœnibus, armis
Scotorum invictis Romulidæ objiciunt.
Roma orbis domitrix armis tibi ceſſerit: aſt te
Victorem (pudor ô) vicit avarities.

Aliud.

ROma ſecurigeris prætendit mœnia Scotis:
Nempe ego Romulidas poſſe pavere dedi.

Conarus Rex 24.

OBicibus ruptis murorum, atque agmine facto
Concutit ingenti Romula caſtra metu
Bello invicta manus: ſed tetra licentia laudem
Obterit, innumeris concomitata malis.

Hinc

Hinc miſer exuitur ſceptris, ac carcere cæco
Clauditur. Argadus rem gerit imperii.
Luxuries vitiiſque comes maleſida tyrannis
Et regna & reges deprimit exitio.

Ethodius Rex 25.

BElla per Æbudas graſſantia ſæpius armis
Diſſipat, Argadi nobilis auſpiciis.
Poſtquam ſæva virum tulerunt hunc fata, periclis
Ipſe ſuum objecit, Marte furente, caput.
Per loca ſenta ſitu penetrat, perque invia montium,
Et conjuratos cogit acerba pati.
Robora ſeu dextræ, ſeu candida pectora, regis,
Effigiemve boni, fortè requiris, erat.

Satrael Rex 26.

CAllidus ingenii, nimium cupiduſque tueri
Sceptra ſibi, & generi perpetuare ſuo,
In ſe odia accendit demens populique, patrumque,
Fortunæ fluxa non benè fultus ope.
Diſcordes inter vario certamine motus
Orba duce Imperii res labefacta jacet.
Sors brevis Imperii ſteterat, neque enim ſtetit un-
Fortunæ inſtabilis qui ſtetit arbitrio. (quam,

Donaldus I, Chriſtianus rex primus, Rex 27, anno Chriſti 199.

FÆlix ante alios, gemino præcinctus honorē
Imperii, Chriſto militat & patriæ.
Reſtituit belli, & pacis bona munera, mores
Format, & auguſtum ſtat decus Imperio.
Dum contra innumeras acies atque arma Severus
Ducit, huic bellum cuncta elementa gerunt.
Pax coit. Ille abiens prætendit mœnia Scotis,
Nuncque etiam geſtant nomina clara ducis.

Eteoſtichon

LVX Vera en VenIens nobIs aLLVXIt IeſVs.

Etheodius 2, Rex 28.

COrpus erat tantum (ut perhibent) ſine pectore, magni
Diſſimilis patris, degeneriſque animi. (magni
Quiq; regi melior ſors, quam regere imperio rem:
Nec tamen abſiſtit poſcere avarus opes.
Alta ſed ignavo veniunt ſub principe pacis
Otia: quæ procerum provida cura dedit.
Qui volet imperium rectè moderarier, illum
Stare decet: ſic ſtans Veſpaſianus obit.

Athirco Rex 29.

ANte alios omnes quondam pulcherrimus ibat
Forma, animo, & raris dotibus ingenii.
At velut Eridanum prono rapit impetus alveo,
Sic regni compos ſævit atrox vitiis.
Inſita quippe animis vitiorum ſemina, tempus
Atque magiſtratus, quæ latuere, aperit.
Flagitio famam, & patriam qui perdidit, idem
Perdidit & ſeſe, perditus enſe ſuo.

Nathalocus Rex 30.

VIndice quo nuper ſperabant ſceptra ſalutem,
Iam ſperata cadit ſpeſque fideſque viri.
Dum petit, & prenſat nimium ambitioſus honores,
Imperii leges, jura, fidemque quatit.
Dum ſtat, ſtare nequit, trepida formidine pectus
Saucius, ancipites ſpeſque, metuſque timet.
Dumque alios petit inſidiis, vel crimine ficto,
Illuſus fatis militis enſe cadit.

Findochus Rex 31.

COrpore rarus honos, animo vis dia refulgens,
Et genus, & magno cætera digna duce,
Imperii meruere decus: quodque ante dedere
Fata illi, nunquam fata dediſſe piget.

Non

Non ſemel extremos hominum virtute repreſſit,
Cui ſe ſummittunt inſulæ & occiduæ.
Pectore magnanimo virtus invicta reluxit,
Hoſtica vis nequiit tollere, fraus potuit.

Donaldus 2, *Rex* 32.

INvida ſors nimium prælato invidit honori,
Atque brevem vitam mî imperiumque dedit.
Auſus ego vitam fraterna in morte paciſci,
In medios hoſtes ſigna tremenda tuli
Nil numero,nec fretus equis.Tua barbare ſunt hæc,
Hæc pro me cauſa ſtat potiore manus.
Marte ſed adverſo non uno vulnere cæſus
Occubo. Laus una hæc ſic cecidiſſe fuit.
Cedo Diis victus, mortali invictus ab hoſte :
Non fas invitis vincere poſſe Diis.

Donaldus 3, *Rex* 33.

AMbierat regnum infælix, potiturque cupito,
Nec pudet inceſtas conſcelerare manus.
Nec ſat inexpletum, diris tot cædibus ante,
Totque malis miſerum ſic ſaturaſſe animum ;
Ni nova bella ferat , ni odiis, & crimine ſparſo
Sæviat , hinc mala mens, & metus excruciant.
Dum metus & furiæ torquent, dum pectore virus
Concoquit , inviſum vis inopina rapit.

Crachilinthus Rex 34.

QVi modo ſuſtulerat graſſantem cæde tyrannũ,
Tollit & inviſi relliquias generis.
Inde fero inſtaurat deformes Marte ruinas,
Grataque jam placitæ munera pacis obit.
Montibus in Grampi ſed dum venatibus inſtat,
Fatali à Pictis vulnere cæſus obit.
Mutua dehinc clades , ſævique ingentia belli
Semina. Sic flammas ſæpe favilla dedit.

Fincormachus Rex 35.

ROmulidas contra decus & tutamen in armis,
Fælix Marte tegit ſe, ſocioſque lares.

Poſtque fatigatum vario certamine Martem,
Huic morum & pacis publica cura viget.
Hoſpitio fovet extorrem, cum dira tyrannis
Chriſticolas premeret, Domitiane, tua.
Hinc decus æternum, manſuraque nomina gentis
Reſtant, & toto cognitus orbe labor.

Romachus Rex 36.

ARmis ſceptra capit (poterat ſors jure tuliſſe)
Seditionem armis miſcet, & arma dolis.
Arma prius patrui generis fœdata cruore
In patriam vertit, perniciemque ſuam.
Iuſtitiæ oſtentans ſpeciem, ſed percitus æſtu
Irarum, immani ſuſtulit arte bonos.
Faſtus atrox, nimiumque calens mala multa mini-
Impetus; hinc vitam perdit, & imperium. (ſtrat

Anguſianus Rex 37.

QVod nuper voluit creperis violentior armis,
Pacatis fatis nunc tenet Imperium.
Et placide tenuiſſe velit, ni certa nocendi
Pictica gens ferro, & Marte proterva petat.
Prælia obît, victorque abiit: ſed & altera bella
Dum renovant Picti, fortiter occubuit.
Viderat hoc fortis mens ceu præſaga futuræ, &
Pacem optat, ſed Mars deteriora dedit.

Fethelmachus Rex 38.

INlatas regno clades, & funera regis
Vlturus, ferrum, tela, faceſque, feros
Rettulit in Pictos: mox viſos Marte repreſſit,
Compulit & trepida vertere terga fuga.
Invictum bello tentat gens perfida fraude
Tollere: ſecurum tollit abuſa dolo.
Pone animum & faſtus, nec te jacta amplius armis,
Haud animi eſt magni vincere velle dolis.

Eugenius I, *Rex* 39.

COnjuratæ acies Picti, Britto, Itala virtus,
Iiſdem omnes animis gentis in excidium
Dum

Dum veniunt, contra ſtat fidentiſſimus armis
Eugenius, forti bella cietque manu.
Terna die ſubiit ſub ſignis prælia victor,
Victus ad extremum Marte ſiniſter obit.
Ah decus ô patriæ cecidiſti! heu! funere in uno
Ipſa quoque infracto robore tota jacet.

Ferguſius 2, Rex 40, Regni 2 Conditor anno Chriſti 404.

FAta manu geſtans patriæ, domitorque minacis
Fortunæ, antiquum ſuſcitat Imperium.
Ignea quid poſſit virtus, quid vivida bello
Dextera, Mars quoties miſit in àrma viros;
Novit Arar, Rhodanus, pugnax & Francia, & audax
Cimber, & armiferi Teutonis ora ſoli.
Romulidum ſtupuere duces, ſtupuere cohortes,
Et fuſi bellis Brittones ante tribus.
Vincere pro patria, aut vinci virtute decorum,
Dulci pro patria prodigit ergo animam.

Aliud.

NVlli animis, nulliq; auſis, nec Martē ſecundus,
Nec tibi, Ferguſi magne, ſecundus eram.
Cedunt fata tibi: Imperii tu maximus auctor,
Invitis fatis conditor alter ego.

Eugenius 2, Rex 41.

SIc belli prudens, & pacis temperat artes,
Vt cum alios ſuperet, certet utroſque ſibi.
Iungit opes ſociûm, ſuperatoque aggere valli
Brittonas edomitos ſub ſua jura quatit.
Cumque graves armis Anglus, cum Saxone Iutus
Appeterent, forti reſtitit uſque manu.
Talis in hoſte fuit. Mortem fama occulit. Atqui
Nec moritur, vitam fama ſuperſtes alit.

Dongardus Rex 42.

COnſiliis, animis, virtute, atque omnia fratri
Perſimilis, belli, & munera pacis amat.

Pace tamen melior : ſic cum pacata tulere
Tempora : ſed circum mors volat atra pede.
Pace reſarcit opes : at relligionis honorem
Palladius : meritis magnus uterque ſuis.
Clara ſalutiferi lucent miracula verbi
Miſſa polo. His opibus regna beata vigent.

Conſtantinus I, Rex 43.

NEc fama, aut factis, ulla aut virtute decorus
Et decus Imperii perdit, & ipſe ſuum.
In proceres ferus exercet crudeliter iras,
Pro patria mollis dextera, lingua procax.
In præceps dum cuncta ruunt non alite fauſta,
Morte quoque hunc varia fama periſſe refert.

Congallus I, *Rex* 44.

INgenio ſolers, & multo providus uſu
Protinus inſtaurat, quæ labefacta prius.
Nec quiſquam potis eſt recti hunc deflectere calle,
Tam conſtans pulcro pectore robur ineſt.
Quum vitiis pariter bellum indixiſſet, & hoſti,
Excelſo invictus robore utrumque domat.
Exemplo præit ipſe aliis. Hæc vivida lex eſt
Imperii, cum rex, quod jubet, ipſe facit.

Goranus Rex 45.

NObilis Arctoæ hic inter fælicia gentis
Lumina, ceu medio Sol nitet ipſe die.
Iuſtitia, imperiis, & fælix robore dextræ
Iura armis firmat, conſiliiſque fovet.
Iungit opes, fœduſque ferit, tria fœdere regna
Conſocians, armis diſſita & ante animis.
Cedit Saxo ferox. Iterum pax aurea terris
Redditur. Hic belli meta moduſque fiet.

Eugenius 3, *Rex* 46.

BRittona bellantem juvat auxiliaribus armis,
Et ſocio infeſtum Saxona Marte premit.
Fruſtra fama procax auſa eſt inceſſere probris,
Et

Et fruſtra excelſum commaculare decus.
Cura, fides, mores, & candidà pectora, vita
Innocua, & melior credere fama vetat.
Fama viri æternans pulcris virtutibus ævum,
Crimen ſæpe metus ſuſpicioque fuit.

Congallus 2, *Rex* 47.

NOn animus luxu, non eſt ſuperabilis auro,
Stat toto invictus pectore, mente, manu.
Qui cum alios ſuperet, certat ſe vincere, major
Vincit & è Stygio monſtra renata lacu.
Sic cunctis operum numeris, ſic ordine conſtant
Omnia, ſic coeunt pax, pietaſque ſimul:
Vt delapſa polo cæleſtia Numina credas
Diviſo cum illo jam regere Imperium.

Kinnatellus Rex 48.

ET te magne ſenex claris adſcribere faſtis
Fas mihi, ſors quamvis ſat brevis Imperii.
Regni ultro defers venienti jura nepoti,
Nec tibi, plus patriæ conſuluiſſe volens.
Non decus Imperiis, non ſurgit gloria ab annis;
Imperii extendunt ſed benefacta decus.

Aidanus Rex 49.

NEc genus aut virtus, nec ſpes præſága feſellit;
Quin ſuperat meritis ſpemq; fidemque ſuis.
Palantum incurſus primo compeſcit in ortu,
Atque alios alia ſub ditione domat.
Bella ſub aſſiduis ſignis cum Saxone, & Anglo,
Et Pictis (dubio Marte) cruenta gerit.
Iam ſenio gravis, & curis confectus iniquis
Occidit, æternas linquit & heu! lacrymas.

Kennethus 1, *Rex* 50.

NOmine non magno, nullis memorabilis auſis,
Quippe vetat fatis mors properata tuis.
Si bene qui latuit, bene vixit, nemo beatus
Te vivente magis, nemo magis latuit.

Et melius latuiſſe fuit, quam crimine famam
Quærere. Nam ſceleri gloria nulla venit.

Eugenius 4, *Rex* 51.

ARtibus ingenuis juvenem finxiſſe Columba
Dicitur, ævi ingens delicium ille ſui.
Cæleſtemque animis puri affudiſſe liquorem
Nectaris : hinc puræ relligionis amor.
Pace ſuos regit : atq; hoſtes rerum omnium egenos
Suſcipit extorres, proſequiturque favens.
Scilicet & pietas, generoſo & pectore virtus
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Ferchardus 1, *Rex* 52.

FAx ardens procerum, patriæ furialis Erinnys,
Imperii peſtis, ſeditione potens,
Dira venenati fertur ſuxiſſe Pelagî
Dogmata, divina & contemeraſſe ſacra.
At quæ auſa impietas Divûm contemnere ritus,
Auſa quoque infami eſt ſe temerare manu.

Donaldus 4, *Rex* 53.

ÆTernum decus Imperii, lux aurea gentis
Chriſtiadum, excelſi ſacra prapago poli;
Te duce relligio ingenti ſtudio atque labore
Provehitur : duce te, jura, fideſque vigent.
Te duce Saxonidum quondam gens effera,& exlex
Suſcipit ætherei jura verenda Dei.
Vnica lux regnis pietas pulcherrima rerum ;
Principis & virtus maxima, noſſe Deum.

Ferchardus 2, *Rex* 54.

MOnſtrum horrendū, ingens, Libycis immanius
Proluvies ſcelerum, gurges avaritiæ. (aris,
Cuncta referre piget. Tantum veſania crevit
Et ſcelerum infames incubuere notæ.
Addictum furiis, & ſacris interdictum
Vindice percuſſit numine tetra lues.
Ira Dei poſtquam ſubiit fera pectora, faſſus
Crimina, ſe juſſit proſtitui populo.

Mald-

Maldvinus Rex 55.

DVm poſitis armis vicinas fœdere gentes
Conciliat, fera gens ſuſcitat arma domi.
Ille modum ponit prudens, ſubigitque feroces,
Saxonidæ Chriſtum quem pepulere fovet.
Ah! neſcit quæ fata manent. Diriſſima conjux
Opprimit inſidiis. Tollitur illa nocens.
Aut amat aut odit mulier. Nil denique tutum
Imperiis, veſtra hæc triſtia fata docent.

Aliud.

ARma armis repuli, colui pacemque, fidemque,
Suſpicio nocuit: me mea Iuno necat.

Eugenius 5, Rex 56.

MArte manuque gravis conjungit viribus artem,
Artibus inſidias, viribus arma premit.
Arduus, armatuſque inſultans Marte protervo,
Senſit id averſis Saxo repulſus equis.
Ni medio in curſu fatis præreptus iniquis,
Etſi magna dedit, plura daturus erat.

Eugenius 6, Rex 57.

VRanie juvenem divinis artibus auxit,
Addidit & cultum ſacra Minerva animi.
Artibus ut pacis, ſic duris inclytus armis,
Saxo colit pacem, Pictus in arma furit.
Principe quo, totis ſeptem maduiſſe diebus
Sanguineo terras cælitus imbre ferunt.
Portentum heu dirum! millena & morte piandum,
Depluit has pœnas vindicis ira Dei.

Amberkelethus Rex 58.

QVi modo Scotigenũ vires, atq; arma tremiſcũt,
Ecce ultro Picti jam quatere arma parant.
Heu ubi priſcus honos! quæ te tam fœda morantur
Otia! quæ Venus, aut improba cura tenet?
Degeneres animos timor arguit, Ictus acerbo
Vulnere,

Vulnere, at incerta fertur obiiſſe manu.
Neſcia mens hominum fati, dum illudere fatis
Aut timet, aut ſperat, in ſua fata ruit.

Eugenius 7, *Rex* 59.

INgenti poſtquam applauſu Mavortius heros
Sceptra ſubit, placitæ munera pacis obit.
Effera dum rabies ferroque armata maritum
Poſceret, heu conjux vulnere amata perit!
Digna cani geſſit: magnorum & geſta virorum
Iuſſerat æternis ſcribere originibus,
Poſtera quæ coleret ſæclis venientibus ætas.
Dignum fama virum perpete laude beat.

Mordacus Rex 60.

CAndida te pietas, te pacis dives inumbrat
Gratia, & æterno fœdere juncta fides.
Sacrorum tibi cura ingens. Tua ſæcla beata
Pace nitens omnis terra Britanna canit.
Quo regnante viget toto venerabilis orbe
Beda: hic extremam claudit & hiſtoriam.

Etfinus Rex 61.

AN quiſquam credat duris exercita bellis
Pectora, fœtum armis, bellipotenſque genus;
Sic placidam poſitis pacem bellacibus armis
Iam colere? Auſpiciis pax viget illa meis.
Iudicibus ſacra jura dedi, lectumque Senatum,
Qui regeret populos: inde ſenex morior.

Eugenius 8, *Rex* 62.

QVid tua non audet dextra imperterrita? ferrum
Corripe: te viſo gens inimica pavet.
Civibus inſtauras concuſſæ dulcia pacis
Otia, & auctores te feriente luunt.
Quæ nitet adverſis virtus præclara, ſecundis
Fracta jacet, triſtis quæ tibi cauſa necis.
Otia virtuti, rebuſque inimica ſecundis
Pelle procul, prudens ni periiſſe velis.

Aliud.

Aliud.

DA mihi,da quod agam Mavors, daq;arma,peregi
Omnia; dumq; ago nil, hoc ago, ut ipſe ruam.

Ferguſius 3, *Rex* 63.

EVgenii ſimilis vitæ ſors, terminus idem
Imperii: ambobus finis acerba venit.
Principio effulſit virtus bene cognita, rurſus
Degener. An virtus diſſimulare fuit?
Fortunam metuat, prudens qui neſciat uti,
Ille cadit dextra conjugis; illa ſua.

Solvathius Rex 64.

TVrba gravis paci, patriæque inimica quieti;
Rege alio exultans dum populatur agros;
Solvathius fundit ſocios cum rege rebelles:
Bello regna parat, partaque jure tenet.
Hoſtes qui potuit, nequiit domuiſſe podagram:
Cætera at heroo pectore, mente, manu.

Achajus Rex 65.

COnſiliis præſtans, & forti pectore, & armis;
Flos hominum atq; idem curaq; corq; Deum,
Dî fregere minas. Dis depellentibus hoſtis,
Et perit undiſonis hoſtica puppis aquis.
Dîque tegunt ſocios. Tibi Dî fudere phalanges;
Cum fugeret fracta cuſpide Saxo ferox.
Fœdera cum Francis primus ſolennia pangis:
Te duce & Aonidum Gallia jactat opes.
Stat pretium fidei, pulcris ſtat gloria rebus,
Rebus adeſt pulcris numen amorque Dei.

Congallus 3, *Rex* 66.

POſtquam compoſito ceſſavit turbine Mavors;
Promicat auratas pax redimita comas.
Pax ſincera hominum, Divûm pax una voluptas,
Orbis amor, rerum publica vita, ſalus.
Pace regis populos, tibi pax vel mille triumphis
Eſt prior, hac fælix tu, populuſque tuus.

Dongal-

Dongallus ſive Dugallus Rex 67.

VIrtutis veræ cuſtos rigiduſque ſatelles,
Acer & in ſontes ferrea jura dedit.
Et tu armis audes contra male ſana juventus?
Pone arma, & mortem, vel fera vincla ſubi.
Iura ſuo Alpino dum Pictum in regna repoſcit,
(Alpino mater Pictica quæ dederat:)
Heu! nimium infælix properat fatalia jura,
Dum Speæ infauſtis obruit unda vadis.

Alpinus Rex 68.

PIctorum ſibi ſceptra petens juſtiſſimus hæres;
Corripit audaci ſigna parata manu.
Vidit, & obſtupuit fugiens trepido agmine Pictus:
Captaque de ducibus ſunt tria ſigna tribus.
Victor ab inſidiis capitur. Cur perfide capti
In caput immani ſic feritate furis?
Mortales meminiſſe vices mortalis & ipſe
Debueras. Te eadem ſors fera fata manent.

Kennethus 2, victorioſus, Rex 69,
anno Chriſti 834.

NObilium regum flos, & decus unicum, & unus,
Qui genus antiquum, qui decora alta refert.
Arte Deum ſimulans, trepidis Mavortia corda
Aſpirat, vires ſufficiente Deo.
Si referam, quis credat? ſeptem uno agmina fundit
Victa die, Pictos exitioque premit.
Fas & jura dedit populis, victoribus arva,
Adjunxit regnis Pictica regna ſuis.
Altior humanis cæleſtia munera obire
Eſt auſus: nec quo progrediatur habet.

Donaldus 5, Rex 70.

OBlitus decoriſque ſui, decoriſque ſuorum;
In vitium ſeſe præcipitavit iners.
Arma laceſſitus tamen induit, hoſtica caſtra
Cepit, & hoſtili ſanguine lavit equos.

Bervi-

Bervicum inſedit : ſed mox obſeſſus ab hoſte
Deditur, hinc ſtrages atque ruina gravis.
Iam ferus & violens in ſe, ſibi triſtia fata
Approperat, ferro perfodiente latus.
Mobilis ingenio, ſortis variante procella
Obrutus, at crimen culpa nefaſque meum.

Conſtantinus 2, *Rex* 71.

SAcra, ſacerdotum mores, faſtuſque ſuperbos
Corrigit, & luxus pabula blanda necat.
Inde repentinos turbantes otia motus
Sedat, & auctorem datque neci ſocios.
Agmina Cimbrorum late palantia poſtquam
Fudiſſet, victo captus ab hoſte cadit.
Ne confide armis. Sors eſt incerta duelli:
Sæpe etiam victis illa ſecunda redit.

Ethus cognomento Alipes, Rex 72.

DVm fugitivam aciem, & retro labentia ſigna
Reſtituit, vindex aſſeruitque manu;
Imperium meruit: ſcelerum in declivia fœda
Prolapſus partum perdidit ante decus.
Quo ſors hæc rerum, ſi quis bene neſciat uti?
Quæ ſorte adveniunt, crimine diſpereunt.
Non illi curſu certarit fulminis ales,
Hinc illum Alipedem tempora priſca ferunt.

Gregorius Magnus, Rex 73.

COnſiliis ſubigit populi fera pectora, pacem
Inſtaurat; lancem librat utramque manu.
Quatuor exegit properato Marte triumphos,
Cum Pictis pepulit Cimbrica regna ſimul.
Bervicum quaſſat: vincit dehinc Brittona, & inde
Compulit Hibernos ſub ſua jura duces.
Vnius in gremio, celſoque in pectore regnant
Conſilium, virtus, robora, ſancta fides.

Donaldus 6, *Rex* 74.

PAcatas rexit patriis virtutibus urbes,
Quamque olim dederat, ſpem coluit meritis.

Dano-

Danorum innumeras naves à finibus arcet,
Et juvat auxiliis Anglica regna ſuis.
Armaque nata domi connato fœda cruore,
Indomitumque genus Marte potente domat.
Inde triumphali redimitus tempora lauru
Reſtituit populis otia grata ſuis.

Conſtantinus 3, *Rex* 75.

SEcurus nimium famæ, non alite fauſtâ
Conjungit ſignis Danica ſigna ſuis:
Signa inimica Deo. Quanta hinc jactura ſecuta?
Flevit & amiſſos fortia corda duces.
Et cum tot ducibus divulſos finibus agros,
Quos nuper dederat Mars, meliorque manus.
Ergo impar fatis, vitæ pacata ſecutus
Otia, cum Monachis relligioſus agit.

Milcolumbus 1, *Rex* 76.

ET famam factis, & regnum finibus auxit:
Addidit Imperio, quæ cecidere prius.
Res Danûm fractæ ſociorum viribus, Angliſque,
Et Scotis coeunt fœdera lege pari.
Sic verſat fortuna vices, variatque recurſum,
Quique hoſpes fuerat, protinus hoſtis erit.
Dum priſco ritu populis dat jura vocatis;
In caput innocuum gens truculenta coit.

Indulfus Rex 77.

ECce iterum Danus noſtris adnavigat oris;
Intentans diris arma, minaſque odiis.
Aſt ubi ferratis contra venit ocyus armis
Indulfus, trepida diſſiliere fuga.
Dumque animi fervens retro fugientibus inſtat;
Hoſtiles turmas inter & arma cadit.
Pone modum, neu fræna animis permitte citatis,
Victori nocuit præcipitaſſe nimis.

Duffus Rex 78.

HOrrida perpetuo, genſque inſuperabilis armis
Hujus ſigna tamen protinus obſtupuit.
Invidiæ

Invidiæ eſt virtus. Magico cantamine marcet,
Vixque venenatos effugit ille dolos.
Dum patrios format mores, dum crimina plectit,
Occulta ac fœda proditione cadit.
Occultum nihil uſque latet, fœdumque patratu,
Extulit In lucem crimen aperta dies.

Culenus Rex 79.

REgifica accenſus mentemque & pectora cura,
Cædis in auctores, carnificeſque manus
Vindictam exercet, meritaſque in crimine pœnas
Exigit, hinc decus, & nomina magna parit.
Mox tamen innumero ſe inceſtat crimine, & una
In ſcelus, inque nefas agmina mille trahit.
Omnibus in vitium præceps via: vixque retrorſus
Vlla patet: media ſic perit ille via.

Kennethus 3, *Rex* 80.

ILluviem ſcelerum, & luxus fœdiſſima regna
Tollit, & exemplo civibus ipſe præit.
Fundit humi Danos. (Hayorum hic inclyta virtus
Et tulit & meruit rem ſimul atque decus.)
Armorum, bellique potens: ſed dira cupido
Imperii ſtimulis pectora cæca agitat.
Sincerum nihil eſt vita in mortalium; & uni
Succumbit culpæ: fœminæ ab arte cadit.

Conſtantinus 4, *cognomento Calvus*, *Rex* 81.

PRæſidiis procerum, & fretus popularibus auris:
Imperii faſces ambitioſus adit.
Ex quo diſciſſum ſtudia in contraria regnum,
Partibus adverſis proſpera multa tulit.
Et fera Tiſiphone, Furiæque, & triſtis Erynnis,
Et regnant peſtes, & maleſuada fames.
Expoſcit Mavors connato in ſanguine pœnas,
Adverſoque cadunt vulnere utrinque duces.

Grinius Rex 82.

GRatia, majeſtas, pulcroque in pectore virtus
Emicat, & ſceptris degener haud animus:

Ni fœda ambitio, regnique effræna libido
Turpe labans rebus deteriora daret.
Non iſdem auſpiciis, avibus non regnat iiſdem:
Incubat heu propriis ceu ferus hoſtis agris.
Deditur in pœnas. Ceſſet culpare ſiniſtram
Fortunam, quiſquis, quod meruit, patitur.

Milcolumbus 2, *Rex* 83.

DIſſita regna odiis, varioque infracta tumultu
Inſtaurans, reddit cultum, habitumque novum.
O quoties Dano maduerunt ſanguine campi!
Ter fuſi trina terga dedere fuga.
Nemo laude prior; tantam ſi ferre, fruive
Poſſet avarities, atque odium invidiæ.
Suſtulit invidiæ rabies furialibus auſis,
Mox ſcelorum pœnas dat furiata manus.

Duncanus 1, *Rex* 84.

DVm quatit Æbudas, ſubeunt his altera bella:
Sedibus ecce ſuis Danica regna ruunt.
Terroremque ferunt, vaſta & diſpendia regno,
Frangere ſed certum eſt Marte vel arte truces.
Pocula larga manu Lethæo rore remiſta
Porrigit: hac alios ſomnifer arte Deus
Abſtulit: aſt alios bibulæ rapit æſtus arenæ,
Pene pari ſocios Mars dedit exitio.
Inſidias caveat qui vicit cuncta. Propinquum
Tollit ab inſidiis perfidioſa manus.

Macbethus Rex 85.

SVſtulit inſidiis cognato ſanguine regem,
Et pretium ſceleris regia ſceptra tulit.
Dum ſtudet æternam hanc maculam detergere, mul-
In melius patriæ conſulit & populo. (ta
Arte feros motus premit, aut prævertitur armis,
Et pacem, & patriæ jura dat æqua ſuæ.
Rurſus ad ingenium rediens, iraſque, furoreſque
Improbus in proceres, & ſacra jura vomit.
Cæde furit, cæde ergo perit. Sors ilicet æqua,
Artifices cædis arte perire ſua.

Milco-

Milcolumbus 3, Cammor, hoc eſt, μεγαλοκέφαλος, ſive Capito, Rex 86.

VIrtute illuſtrat titulos, tituliſque decoris
Facta ducum, & meritas ſignat honore comas,
Hoſte quater fuſo, ſpoliis decoratus opimis,
Læta coronatis ſigna revexit equis.
Armaque nata domi toties compeſcuit. Armis
Iam poſitis populo ſcribere jura libet.
Immanem luxum exemploque ac lege coërcet;
Pronus & effuſo ſacra favore juvat.
Stat decus æternum meritis: ſtat fama laborum,
Et pretium virtus, teſtis & ipſa ſui eſt.

Aliud.

TV patriæ certas, patriæ & pietatis amore,
Nec patria aut pietas cedit amore tibi.
O multum fælix rerum diſcordia! magne
Marſpiter in reges talia bella fere.

Donaldus 7, Banus, ſive albus, Rex 87.

IAm caſu perculſa gravi, jamque altera ſentit
Vulnera, fælici patria caſſa duce;
Et patre & nato. Regum de ſtirpe propinqua
Qui modo delituit, ſceptra tyrannus adit.
Immenſis furit ille animis, ultroque laceſſit
Averſos proceres, atque odiis odia
Funeſta accumulat. Duri hinc certamina Martis,
Exilium hinc Regi: hinc excidium patriæ.
Nequidquam effugium ſcelerum mens conſcia quærit,
Squallidus horrenti carcere clauſus obit.

Duncanus 2, Rex 88.

COnſilio excitus procerum Mavortius heros
Sceptra tyrannigenæ Marte ſuperba quatit.
Vindice ſceptra manu meritus, patriæque patrumq;
Reddidit excuſſo libera jura metu.
Si quantum poſſis dextra, & bellacibus armis,
Tantum & conſiliis, regna beata dares.

Scilicet

Scilicet arma magis, quam pacis munera noras,
Dura agitant armis pectora Martis opus.
O quantum eſt populos recti & moderarier æqui
Legibus! O quantum eſt hoc quoque, jure regi!

Edgarus Rex 89.

ILle modo horriſonis ingens inclaruit armis,
Artibus hic pacis, conſiliiſque prior.
Nempe tyrannigenæ poſtquam ſunt verſa Donaldi
Imperia, armorum jam cecidere minæ.
Paxque domi, pax parta foris. Bis fœdere amico
Se ſociant gentes, connubioque pari.
Aurea relligio pacem comitatur opimam,
Aureolæ hinc per te ſtant monumenta domus.
Te Dominum pacis celebrat quæ fama perennis,
Hæc memorat ſummis regibus eſſe parem.

Alexander I, *cognomento Acer, Rex* 90.

MAgnus Alexander virtute & viribus acer,
Acris & indomito dextera Marte cluit.
Miranturque animos cuncti, vegetumque vigorem,
Roboraque & magno pectora plena Deo.
Monticulûm incurſus extremi ad littoris oras
Prævertens celeri dexteritate premit.
Templa locat, ſacris & ditia munera templis
Addit, & ingentes relligioſus opes.
Nec quiſquam pietate prior, nec clarior armis,
Nec virtus priſcis cedit imaginibus.

Aliud.

VNus Pellæo regi non ſufficit orbis,
(Dira fames famæ, & ſanguinis illa ſitis.)
Virtuti fortuna meæ ſubſcribat, & orbis
Sit pretium, ſim illo non ego forte minor.

David I, *Rex* 91.

AVrea progenies, genus alto à ſanguine Divum
O decus, ô patriæ floſque jubarque tuæ;
Auſpice te antiqui Imperii nova jura reſurgunt,
Cumque

Cumque novis redeunt ſæcula priſca bonis.
Relligio tua cura, tuis ſemper omnia fatis
Res provecta foris, res quoque adaucta domi.
Arbiter & belli, & pacis, cui nulla tulere
Sæcla parem. Vos ô ſæcula magna voco!
Sors bona, ſors fælix, vitæ in te cuncta beatæ
Clauſit, & imperii munera cuncta boni.

Milcolumbus 4, *Rex* 92.

CLara patris ſoboles regnis ſuccedit avitis,
Nec patre, nec tanto degener exſtat avo.
Arma prius pacat montanis excita ab agris,
Et genus indomitum terque quaterque domat.
Credulus at nimium fallaci eluſus ab hoſte
Multa tulit, forti vix toleranda viro.
Legibus & cives, atque arma coercuit armis,
Et ſacras auxit relligioſus opes.
Caſtus & innocuus gaudebat cælibe vita,
Innocuam vitam morſque beata probat.

Gulielmus, cognomento Leo, *Rex* 93.

NVlli animis, nulli veterum virtute ſecundus;
Sive opus eſt armis, ſive ope conſilii:
Marte laceſſitus vario quoque Marte laceſſit
Fortunam. Cauto captus ab hoſte ſemel.
Hinc Perthum condit priſco de nomine Berthæ,
Quam rapida inſanus Taus inundat aqua.
Arva, viros, urbeſque ſimul, pecudeſque, feraſque
Sternit agens, matrum & pignora rapta ſinu.
Hinc dolor & damnum regi. Nulli eſſe beato
Quippe licet. Perpes cura dolorque venit.

Alexander 2, *Rex* 94.

RAri animi juvenis redivivæ candida pacis
Munera dat Patribus, juſque ſuæ patriæ.
Mars ciet arma iterum. Cumulant hinc inde cruentas
Sævitia cædes, excidia excidiis.
Iam late ſeſe effundens hoſtilis in agri
Intima, Londini mœnia vaſta ſubit.

Conlatiſque opibus Franci, in ſua verba potentem
Hoſtem adigit. Rupto hic fœdere verba dedit.
Tergeminos rediens motus compeſcuit, armis
Armaque, & hoſtiles robore fregit opes.

Alexander 3, Rex 95.

CONnubio Anglorum ſtabili nova fœdera pacis
Conciliat, ſubeunt bella repente nova.
Omnia Norvegus late loca milite complet,
Quem magno intrepidus robore fundit, agit.
Mutua dehinc pacis ſociantur fœdera. leges,
Iuraque dat populis munera grata ſuis.
Res hominum ah fragiles! illum de rupe reclivi
Præcipitem inſani vis fera raptat equi.
Vſque adeo certi nihil eſt mortalibus ævi,
Et ſubeunt miſeris mille repente neces.

Iohannes Balliolus, Rex 96.

ÆMulus imperium non æquo judice adeptus,
Cui nimium facilis dat, ſoluitque fidem.
Hoſtilem claſſem ad Tuedæ oſtia fundit, & urbe
Bervico avertit fortiter obſidium.
Concitus hinc, hoſtis crudelis in omnia ſævit,
Fraudibus illectus rex miſer exul agit.
Hinc triſtis rerum facies, inopinaque ſurgunt
Excidia. At Vallas præſtitit unus opem.
Ille ſuæ patriæ vindex fortiſſimus, omni
Major laude, omni grandior invidia.

Aliud.

REgna nimis cupide appetii. Me dira cupido,
Regnaque ſervili dat ſubigitque jugo.
Ah facilis nimium! ah ſtolidis temerarius auſis!
Et pretium ſceptris exitiumque fero.

Robertus Bruſſius, Rex 97, anno Chriſti 1306.

QVis varios caſus, quis dura pericula Bruſſi,
Fatorumque vices commemorare queat?
Qui victus toties, toties qui victor, & hoſtis

In

In vacuo fixit Martia ſigna ſolo.
Qui domitis fatis, pugnando reſtituit rem,
  Civibus & patriam, juſque ſuum patriæ.
Cum tot acerba virûm, cum tot cumulata ſuorum
  Funera funeribus cerneret ante oculos;
Mens generoſa animi fortunæ excelſior omni
  Imperio, ſtabili perſtitit uſque gradu.
Scotia quæ ſtatues victori juſta tropæa?
  Qui fati, ac hoſtis, victor & ipſe ſui eſt.

David Bruſsius, Rex 98.

STirps magni generoſa ducis, ſtirps inclyta Bruſſi,
  Te quoque ſors, patris nec ſaciata malis,
Turbine torva quatit. Primis nam protinus annis
  Imperii, amiſſis faſcibus exul agis.
Heu quales ſubiere vices! heu quanta malorum
  Agmina! quo fera ſors pergat, an ulterius?
Exul bis, totieſque redux fera prælia tentat
  Fortis, at infælix: cætera magnus erat.
Aſt tandem Fortuna malis laſſata, quieto
  Imperio, placida dat quoque morte frui.

Aliud.

EXilia exiliis mihi ſors cumulavit acerbis,
  Atque novis ſubeunt aucta pericla malis.
Ecquis inhumani ferat hæc ludibria fati?
  Nempe ego Bruſſiada qui genitore ſatus.

Edwardus Balliolus, Rex 99.

VIribus Anglorum fretus, patriæque ruinis,
  Bruſſiacæ ſtirpi debita regna rapit.
Indigniſque modis cives patriamque fatigans,
  Servitio infami libera jura premit.
Et ſua ſummittens Anglorum jura tyranno,
  In pretium regni, regna aliena dedit.
Nomine rex tantum: vix nominis umbra relicta eſt.
  Aut pavor, aut hoſtis cætera cuncta tenet.
Sors & vita patris, natique ſimillima. Vterque
  Imperii exutus faſcibus exul obit.

Robertus Stuartus, Rex 100.

PRimus honorata lectus de ſtirpe Stuarta
Bruſſiaca ducit ſceptra, genuſque domo.
Amborumque genus meritis ingentibus implet,
Inque nono priſcos ſtemmate jungit avos.
Auſpiciis cujus crebris decorata triumphis
Scotia, magnanimos extulit alta duces.
Quorum facta truces hoſtes ſenſere, vel ipſa
Fata quoque audaces extimuere minas.
Arbiter interea pacis mediuſque duelli
Temperat æquali Rex pia jura manu.

Aliud.

REgibus orte atavis, reges geniture nepotes,
Bis fælix, priſcis atque novis meritis.
Illi quæ dederant, tu das fælicius aucta,
Vtque illis debes, ſic tibi regna alii.

Robertus 2, *Rex* 101.

QVi pacis ſtudiis, quam Martis promptior armis,
Imperio fratris publica cuncta gerit.
Æmulus at frater crudeli fraude nepotem
Suſtulit, hinc patri damna, dolor, lacrymæ.
Multaque præterea ſimulata mente volutans
Civibus & ſceptris inſidioſa nimis.
Pax infidá novo bellorum turbine verſa,
Inque vicem redeunt, pax, labor, & requies.
Tempore quo Gallis noſtræ lectiſſima gentis
Miſſa, ſuum æternant Martis honore genus.

Iacobus 1, *Rex* 102.

DVm cœptum hoſpitii violatis legibus Anglus
Detinet, ingenii nobilitavit opes.
Quas infert patriæ, patriamque his artibus ornat,
Oppida, ſacra, ſcholas, conſtituitque forum.
Æbudas, genteſque feras, populoſque rebelles
Perdomat: inque Anglos concitus arma movet.
Marte potens, atque arte togæ rex magnus: & illum
Impia

Impia ſic potuit contemerare manus?
Quo non impietas, regni & maleſuada cupido
Proruit? At par eſt pœna ſecuta ſcelus.

Aliud.

QVam vario quondã cecidit ſub vulnere Cæſar,
Vulnere tam vario rex Iacobus obit.
Ille malus patriam male perdidit, & perit una:
Optimus hic patriam ſervat, & occubuit.
Diſparibus factis paria ergo fata? Supremo
Nullus ab eventu facta notanda putet.

Iacobus 2, *Rex* 103.

PRotinus Imperii nondum maturus habenas
Induit. Hinc odiis, ſeditione, dolis
Certatum eſt inter proceres. Quæ damna ſecuta
In populo, vis, fraus, fœda rapina, nefas?
Quæ mala nata domi vixdum maturior ævi
Suſtulit, & ſubeunt altera bella foris.
Terrifico hoſtilem tonitru dum fervidus arcem
Fulminat, alliſu fragminis ictus obit.
Infælix fatum! Sic inconſulta ruit vis
Præcipitans fatum ſæpe ſiniſtra ſuum.

Aliud.

SIſte gradum, Mavors inquit: tibi pergere ſi fas,
Quo mihi, quove ſuo tela triſulca Iovi?
Sic ait: atque ſuo confixum fulmine ſternit.
Nempe mori potuit non niſi Marte ſuo.

Iacobus 3, *Rex* 104.

TV quoque, tu regnum ſtudia in contraria ſcindi
Senſiſti, & proceres in tua damna truces.
Cuncta odiis fervent, pluſquam & civilibus armis.
Inter & hæc patriæ res labefacta jacet.
Suſpicio, inſidiæ, fratrum diſcordia, carcer,
Pax, bellum rurſus, omnia plena malis.
Nec modus: hinc atque hinc animis ingentibus in-
Cognatæque ruunt in ſua fata manus. (ſtant,

Rex cadit infælix. Sed & hoc miſerandus, in armis
Filius adverſis quod ſtetit ante patrem.
Ludit in humanis ſævi vis ferrea fati,
Maxima certantis præcipitare gradu.

Aliud.

PRima ſui ingenii, ſequitur dum prava ſuorum
Conſilia, exitio ſe, patriamque dedit.

Iacobus 4, *Rex* 105.

TRiſtia fata gemens genitoris, ferrea geſtat
Baltea, & hæc luctus dat monumenta ſui.
Margaris Angla datur thalamis. Hinc Anglica ſceptra
Debentur fatis, ſexte Iacobe, tuis.
Pax regnis redit, & pleno bona copia cornu,
Et blandum aſpirans aura ſecunda favet.
Rurſus ad arma vocat lætis ſors invida rebus,
Tueda ubi finitimam gurgite ſulcat humum.
Flos procerum, patriæque ſimul pater optimus una
Sorte ruunt. Heu ſors ſemper acerba bonis!
Quod ſi animis orſiſque tuis ſors æqua fuiſſet,
Imperii fines ultima terra daret.

Aliud.

DEſine pyramidum moles, ac Mauſolæa
Sollicitus vacuum ſurrigere ad tumulum.
Illum fama vehens late circumſona Olympo
Æquat. Pro tumulo maximus orbis erit.

Iacobus 5, *Rex* 106.

DVm primum teneris Princeps adoleſcit ab annis,
Iactatur quantis patria merſa malis!
Omnia agunt, rapiunt, veſano miſta furore,
Anglorum arma foris, viſcera noſtra domi.
Grandior ipſe adeo cum regni ſceptra capeſſit,
Sera venit tantis vix medicina malis.
Iuſtitiæ vindex, clemens juxta atque ſeverus,
Pronior in Venerem, promptus ad arma tamen.
Non ſemel infeſtis ſignis ille auſus in hoſtem
Ducere

Ducere. Sors cœptis vix ſatis æqua fuit.
Confectum aſſiduo triſtis fortuna dolore
Obruit. Ah frangit fortia corda dolor.

Maria Regina.

TOt ſoboles regum,& genitrix,& regia conjux,
Cui triplices titulos regia ſceptra dabant.
Fors plures merui.Fruſtra hæc tamen omnia.Nemo,
Magna putet, ſortis quæ penes arbitrium.

Iacobus 6, Rex 107.

QVum tibi & Imperium, & cæleſtia munera
Depluit æterni dextra benigna Dei; (Olympo
Da te Sexte Deo dignum. Tibi gloria ſurgat
Tot meritis, quot ſunt munera celſa animi.
Orbis amet, Regemque colant te regna Britanna,
Vt poſt geſta duo, tertia ſceptra feras.

Aliud.

AVrea relligio naſcenti arriſit, & uſque
Aurea pax fovit; nobile par comitum.
Aurea, rara dedit cæli indulgentia. Debes
Sexte igitur nobis aurea ſæcla iterum.
Anno Chriſti 1566 naſcitur.

Eteoſtichon

PaX LVXqVe aLMa poLI ſeXto naſCentI IaCobo
InLVſtrat VerIs aVrea ſCeptra opIbVs.

Henricus Fridericus, Scotorum Princeps.

O Multum optato ſæclorum ſidere nate,
Magne puer, magni maxima cura patris!
Magnanimum invictumq; genus de ſanguine Divûm
Tot referens fortes ſtemmate utroque duces.
Diſce recenſitos, fælicia ſidera, reges,
Fataque, & auguſtæ tot monumenta domus.
Vivida quid valeat virtus, quæ principis artes,
Quæque prius fugias, quæque imitere, legas.
Tu quoque cum matura virum te fecerit ætas,
Verſabis valida regia ſceptra manu.

Sceptrigerum ſervare genus, generiſque nepotes
Sancte velis, patriæ cum populoque duces.

H E R O E S.

Ferchardus Reuthero regnante apud Scotos, anno ante Christum 213.

PRimus in heroum numero ſpectabere. Primus
Tu reſtinxti armis arma tyranna tuis.
Cum fœde premeret Dovali factio regna,
Solviſti fracto libera regna jugo.
De palma ſi alii certant, tua gloria prima eſt,
Quod nolles facere, huc te patriæ urget amor.

Cadvallus Prorex tempore Eveni 2, *ante Christum* 77.

PRælia quis te plura iniit tam Marte ſecundo?
Quis te virtute, aut dexteritate prior?
Fruſtra hoſtes, fruſtra arma crepant. Ruat omnis in arma
Occaſus, cunctis tu ſatis unus eris.
Aſt una invidia innumeris ſucceſſibus obſtat,
Hanc quoque viciſti, teſte vel invidia.

Argadus Prorex, uſque ad Ethodium [illegible] I, *anno Christi* 163.

DEs hoſtem, des arma mihi, jam protinus hoſtis
Fracta armis cedent horrida tela meis.
Concuſſæ Æbudæ toties; tremit ultima Thyle
Signa mea, extremoque inſulæ in Oceano.
Imperium rexi. Clariſſima præmia vitæ
Reddita ſunt. Patriæ vitam ego reddo meam.

Gramus Prorex, Eugenii 2 tempore, anno 420, *Gramorum gentis auctor.*

QViſquis es, antiquos ſeu Britto vindicet ortus,
Scotia ſeu patrio te ferat ore ſuum;
Ipſe tuus ſemper, tibi tuque ſimillimus, idem es,
Teque unum patriæ dicit uterque patrem.
Debet uterque tuis ſortem fælicibus auctam
Imperiis: te unum Romulidum arma tremunt.
Inſtauras labefacta armis, laceroſque penates,
Quod

Quod cunĉti vellent, hoc prope ſolus agis.
Disjectis aliis, patriaque ab ſede fugatis,
Tu ſtas, & ſervas, daſque aliis patriam.
Nemo alium, nemo peregrino nomine dicat:
Quam te etiam vellet dicere Roma ſuum!

Hajus Pater cum duobus filiis, Kennethi 3 tempore, anno 942, Hajorum gentis Author.

QVo ruitis cives? Heja! Hoſti obvertite vultus,
Non pudet infami vertere terga fuga?
Hoſtis ego vobis; aut ferrum vertite in hoſtem,
Dixit, & armatus dux præit ipſe jugo.
Qua, qua ibat, vaſtam condenſa per agmina Danûm
Dat ſtragem: hinc omnis conſequiturque fuga.
Servavit cives; victorem reppulit hoſtem,
Vnus cum natis agminis inſtar erat.
Hic Decios agnoſce tuos magnæ æmula Romæ,
Aut prior hac, aut te his Scotia major adhuc.

Robertus Kethus, Kethæ gentis auctor, tempore Milcolumbi 2, 1006.

LOthea vix modicis reptās modo lãguidus undis,
Nunc tumidis tumidas ſanguine volvit aquas.
Deſpectanſque ſuper clades, & funera Danûm
Merſat arenoſis corpora ſtrata vadis.
Dux Camus ipſe cadit virtute inſignis & armis,
Nomina vicinus ſignaque ſervat ager.
Cætera turba nihil. Tibi enim dux ſternitur ingens,
Vnus cunctorum qui tamen inſtar erat.
Hinc te auctore tuæ ſeſe effert gloria gentis,
Auctior & meritis facta ſubinde novis.
Haud fruſtra eſt virtus. Quantum te ſurrigis armis,
Tam te fælicem poſtera ſæcla probant.

Macduffius Fifæ præfectus, Vemiſiæ gentis auctor, tempore Milcolumbi tertii, 1079.

PEllere me potuit regni de parte tyrannus,
Tollere non potuit libera regna animi.
Quod potui, voluiſſe timet, nec velle timere:

Sic nunquam in tuto eſt conſcia cura mali.
Ergo furens magis imbelles cum conjuge natos
Perdidit : aſt neque in hoc mî cecidere animi.
Exilium vici, Regem in ſua regna reduxi,
Subjecique armis colla tyranna meis.
Addo decus priſcis meritis. Monumenta vetuſta
Servat adhuc rerum Vemiſiana domus.
Credita res poſſe haud fieri hæc niſi Cæſaris armis,
Cæſar ego cæſa de genitrice feror.

Walterus Stuartus, Stuartæ gentis auctor tempore Milcolumbi, 1062,

ARmorum fælix domui virtute rebelles,
Præmia magnanimo principe dante tuli.
Reddidi avis decus antiquum. Gens alta nepotum
Sceptrigerum per me nomina tanta gerit.
Materiam meritis Mavors ſubjecerat. Auget
Sic genius, ſortem nobilitatque meam.
His creſce auſpiciis ſanguis meus. Addite fatis
Fata meis. Etenim vos meliora manent.

Gilchriſtius Anguſianus, à quo Anguſianorum Comitum & Ogilviorum origo eſſe creditur, 1165, *tempore Gulielmi regis.*

SAnguine commixtus regumque penatibus, auxi
Arduus intrepida remque decuſque manu.
Prælia ter geſſi fælicia, pulſus ab acri
Hoſte ſemel. Gravius ſors violenta domi
Ancipitem quatit. At contra licet omnia tentes,
Non potes imperiis frangere dura tuis.
Cedo ergo, ut vincam, nec totum viceris unquam:
Mentem invictam animi ſors ſtupet & refugit.

David, Gulielmi regis frater, 1194.

MIlle per adverſos caſus, per mille pericla,
Mortis ego infeſtas cogor adire vias.
Æſtuſque oceanique minas, horrentiaque aſtra,
Et didici pelagi ſcire pavere Deos.
Bellantem Syriam per naufraga littora adivi,

Niliaci captum mox tulit ora ſoli
Vendor, agor, rapior, totoque exercitus orbe
Perdideram memet, perdiderantque mei.
Irridens cœlum eripuit tot mortibus, & jam
Reſtituit mihi me, reſtituitque meis.

Alexander Stuartus, Roberti 2 regis proavus, tempore Alexandri 3, 1263.

TU quamvis, tecumq; fremat Norvegus in armis,
Innumeræque premant littora noſtra trabes;
Te tamen hac ſiſtam dextra, quæque horrida tecum
Terra ſub Arctoo miſcuit arma polo.
Obſtiteram innumeris, excuſſi tela tyranno,
Atque gravis populi vincla metumque jugi.
Nec mihi regna paro. Si quid tamen auguror, olim
Debentur generi forſitan illa meo.
Quid mihi enim tecum Macedo, qui viceris orbem,
Vix tibi, nec natis regna futura tuis?

Gulielmus Vallas, cuſtos regni poſt Alexandrum 3, *occidit Londini à ſuis proditus* 1305.

RObore, mente, animis ingens, ingentior auſis,
Quem tibi, quem dederint ſæcula priſca pa-
Romani arma gerunt, ſubnixi viribus orbis: (rem?
Vires, arma, orbis, dextera ſola tua.
Nil non pro patria geris, & pro te hæc nihil unquā;
Illi cuncta ſibi pro patria in patriam·
Fata ferunt ſecum: fatis tu fervidus inſtas:
Imperium his, tibi ſors deſtinat invidiam.
Quod neque Mars unquam potuit, neque callidus
Viribus ille ſuis, fraudibus iſte ſuis; (hoſtis,
At, ſcelus ô! potuit gens hoc maleſida tuorum,
Sic vixti, & fatis immoreris patriæ.

Ioannes Gramus eques, omnium laborum Vallæ ſocius, occidit ad varium ſacellum 1300. *Vallam alloquitur.*

ME tibi do Valla ſocium bellique laborumque,
Accipe me in numerū nunc quoq; magne tuū.

Eheu ! præcipites ruimus diſcordibus armis,
In diverſa trahunt ambitio, ira, dolus.
Te ſequor uſque, libens hæc tecum pignora dextræ,
Hancque animam patriæ do voveoque meæ.
Nec dixiſſe ſatis, quin hæc mea pectora morti
Offero. Scis, noſtrum haud dicere, ſed facere.

Ioannes Cuminius, & Ioannes Fraſerius pugnarunt ad Roſlinum 1302.

TRes validæ inſtiterant acies violentibus armis,
Queis nec fulminei ſint ſatis arma Iovis:
Procubuere tamen victæ virtute duorum,
Vna acies victas tres dedit, una dies.
Vrbibus impoſitos hoſtes ac molibus altis
Ejiciunt, duri relliquiaſque jugi.
Macti animis. Non ſic Romanis pellitur armis
Annibal. Hinc flevit perdita Roma ſuos.

Simon Fraſerius, & Walterus Loganus tempore Roberti Bruſſii, Londini ſupplicio affecti 1306.

ERgo nefas ſervare fidem, fas fallere dextram?
Ergo jugum à patria pellere velle nefas?
Crimine non alio luimus. Si crimen in hoc ſit;
Crimen ſit patriam, ſit coluiſſe fidem.
Non Porſenna refert tibi talia præmia, magne
Scævola: magnanimam laudat in hoſte fidem.

Edwardus Bruſſius, Roberti Bruſſii frater, in Hybernia cæſus 1316.

VT fratrem ſors ſæva agitat tot acerba ferentem,
Sic me vexatum dira procella quatit.
Nempe ſibi frater, fratrique ſimillimus alter
Ipſe ego, tantorum ſum comes uſque operum.
Gens Hiberna armis invicta & concita noſtri
Fama ſceptra ferens in ſua regna vocat:
Datq; hoſtem, dat ſceptra ſimul, neq; ſegnius ardor
Me ſtimulat. fruſtra ah! fers mihi frater opem.
Nec tua culpa tamen: potius meus error in illo eſt,
Aut hoc à fatis, ſanguine ſceptra dari.

Iacobus

Iacobus Duglaſſius, Roberti regis ſocius omnium laborum, in Hiſpania caſus à Saracenis 1330.

QVicquid ſors potuit mortali in pectore ferre,
Vel facere, hoc didici perficere atque pati.
Prima ubi luctando vici, ſors affuit auſis
Omnibus, & quid non pro patriæ auſus eram?
Hoſti terror ego: nullus me terruit hoſtis:
Conſiliis junxi robora dura meis.
Prælia quot numerat, tituloſq;, actoſque triumphos
Bruſſius, hinc totidem penè tropæa mihi.
Quo jam ſigna feram? major quærendus & orbis,
Atque hoſtis; famam non capit iſte meam.
Arma Saraceno objeci prope littora Calpes
Herculeæ. Hic tellus me malefauſta tegit.
Herculeæ Græcis memoretur gloria laudis.
Fallor? an Herculeis ſtant potiora mea?

Thomas Randolfus, Prorex pro Davide 2, *anno Chriſti* 1331.

HEctoreos animos, cæleſtia Neſtoris ora,
Corque refert. Toto pectore quanta fides!
Stemmate de regum, regis comes inque ſecundis
Rebus, & adverſis, regia jura dedit.
Rarum hoc: Rege ipſo meruit vivente, jubente
Imperii faſces. Sors brevis, ampla tamen.
Inferior regum nulli fælicibus orſis,
Sive obeunda ſagi munera, ſive togæ.
Omnia quid referam? Cum ſingula reddere poſſint
Heroëm, noſter omnia ſolus habet.

Hammiltonus gentis auctor, tempore Roberti I *Regis*, 1314.

IVre ego deſerui patriam,契tereſque penates,
Nempe fidem, jus, fas deſerit illa prius.
Iam nova jura libens inii ſub rege benigno,
Qui profugo patriam, qui potiora dedit.
Hinc res, atque decus, fortunaque læta ſecuta eſt,
Hinc regum thalamis nobilitata domus.

 Eſto,

Eſto, ſolū verti, at patriam inveni, hæc dedit, auxit,
Quæ modo perdideram : quæ potui, illa dedi.

Andreas Moravius, cuſtos regni pro Davide 2, 1332.

OBvius armato quoties ſeſe obtulit hoſti,
Cum quateret duro ſors fera cuncta pede!
Conſtans robur erat circum præcordia. Vincit
Dum capitur. Nulla vincere vis potuit.
Victor cædit, agit, quatit hoſtes, oppida, & arces,
Nemo unquam parvo tempore plura dedit.
Regum æquat merita : in reges pro rege tuetur
Magnanimus patriæ libera jura ſuæ.
Vos ô degeneres patriam ſic prodere veſtram!
Nempe ut Moravi reſtituatur ope.

Alexander Lindeſius, 1332 *ad Diplinum caſus.*

VEllem alium ceciniſſe tibi quam in morte triumphum,
O nec morte unquam aut Marte tacende tuo!
At potior pulcra cedit tibi morte triumphus,
Luxque tibi caſſo lumine vera redit.
Parque duci & ſociis virtus : par exitus, idem
Ardor agens animos : omnia penè pares.
Diſcidium his unum : cum mors ſemel omnibus inſtet,
Qui prior, anne prior debeat ille mori?

Gulielmus Hayus, 1332 *ad Diplinum caſus.*

ME ſimul & mecū ſpemq;, & genus omne meorū
Vulnere non uno ſuſtulit una dies.
At vos crudeles Parcæ miſereſcite. Nobis
Degener haud tantis ſpes nova ſurgat avis.
Audivere Deæ. Dabitur quod poſcitis, ajunt,
Aut dabis, aut conjunx te tibi dante dabit.
Stat rediviva igitur, potuitque exciſa renaſci,
Et tibi gens à te poſthuma ſurget avo.
Si fas morte etiam victuram condere gentem,
Qualia, quanta olim vita datura fuit!

Robertus

Robertus Kethus 1332.

VLturus patriæ clades, ac fata ſuorum,
  Vltro animam vovit pro patria atque ſuis.
Præſidium ejecit, nudavit mœnibus urbem,
  Res lapſas parva reſtituitque manu.
Magnanimi fuerat pro libertate pericla
  Temnere, fælicis maxima poſſe dare.

Alexander Setonius eques, familiæ ſuæ Princeps, tempore Davidis 2, 1333.

HVc averte oculos, neu triſtia fata tuorum
  Reſpice, ſit patria, ſitque fides potior.
Hinc metus, hinc amor, hinc patria, & pia pignora (conjux,
  Martia ſollicitant pectora magna viri.
Quid faciat? dedatne urbem, ſeque ipſe tyranno,
  Infami ut redimat pignora perfidia?
Vincit amor patriæ, conſtanſque in pectore virtus,
  Omnia pro patria ſuſtinuiſſe valens.
O pater! ô nati! ô raræ conſtantia matris!
  O quam commemorem pectora veſtra trium!

Archibaldus Duglaſsius, ad Halidonem cæſus, tempore Davidis 2, 1333.

NOn potuit perferre nefas, fœdamque tyranni
  Perfidiam. Et quiſnam ſuſtinuiſſe queat?
Ergo furens animi, atque accenſo pectore inardet
  Prælia, & ingratas increpat uſque moras.
Poſcimus aut æquo, dixit, certamine Martem,
  Aut certum eſt fatis cedere velle tuis.
Ah nimis! ah properant! Non illis ignea virtus
  Defuerat: nocuit præcipitaſſe nimis.
Nec te victorem jactes, temeraria virtus
  Sic nocuit. vinci vis animoſa nequit.

Ioannes Randolfus, Prorex cum Roberto Stuarto, tempore Davidis 2, 1336.

QVæ pater ante dedit, patres meminere. Minores
  Iure colent ſancti nomina tanta ſenis.

Et

Et patrias natus ſic excitat æmulus artes,
Vt pater in nato jam redivivus agat.
Sic quatit attonitos, fulmen ſic vibrat in hoſtes,
Vt dextra credas fulmina miſſa Iovis.
Gens quo tanta abiit, quæris ? Terreſtria regna
Non capiunt: cœlum his ergo dedere Dii.

Patricius Dumbarus, Martiæ Comes, 1336.

AVt premit adverſas acies, preſſaſve ſuorum
Suſtinet, & ſemper bella renata gerit.
Nil trepidans animam per aperta pericula mittit,
Et quam perdiderat, perditâ vita redit.
Candida libertas vita eſt tibi carior omni,
Illa quod eſt patriæ, hoc eſt patria ipſa tibi.

Gulielmus Kethus, tempore Davidis 2, 1337.

MActe animi Gulielme patrum non degener! ho-(ſtis
Quo tremuit viſo, corripuitque fugam.
Nec tamen effugiſſe licet. Dux inclytus armis
Summiſit dextræ jura ſuperba tuæ.
Pro patria paribus ſtudiis, ſed diſpare fato
Certatum. ambobus gens generoſa cluit.
Tu cepiſti hoſtem, capitur cognominis heros
Tempore diverſo, ſortis utrumque fuit.

Alexander Ramiſæus Dalhuſius, tempore Davidis 2, 1342.

ET tulit, & meruit pretium non vile laborum,
Aſpera tot paſſus, qui tot acerba dedit.
Devicit plures paucis. Ille auſus inauſa
Reddidit obſeſſis vitam, animoſque novos.
Poſtquam armis laudum peperiſſet præmia, livor
Invidit, fœdæ deſtituitque fami.
Torve quid invideas fælicia præmia ? quod tu
Auſus eras, hoc nunquam hoſtica vis potuit.

Gulielmus Duglaſſius Lidalianus, 1342.

OMnia quãdo habeas, quæ Mars dedit omnibus, (unus
Vt Mars Marte ferox fulminet alta tuo;
Hoc

Hoc patere, ut patiare parem, tibi deſinit unum hoc:
Quin age poſce hoſtem: cætera ſolus habes.

Iacobus Duglaſsius, Duglaſsiæ Comes, ad Ottirburnum occubuit tempore Roberti regis 2, 1388.

QVæritis ô quid agam? En animam jam ago, fata meorum
Iam ſequor. Innumero huc vulnere facta via eſt.
Neſciat hoc hoſtis, ſequitor quam quiſq; ſecat ſpem,
Atque aliquis noſtri funeris ultor ades.
Finiit, & ſubito redivivo è funere ſurgens
Mars novus intonuit. Victor, & ultor obit.

David Lyndeſius, tempore Roberti 3, 1396 *monomachia Londini pugnavit.*

QVid juvat invictæ convitia dicere genti?
Non hæc arma viris, pugna parata tibi eſt.
Virtute experiamur: & hoc ſimul accipe dictum:
Non renuo hoſtili conſerere arma ſolo.
Audiit hæc Tameſis, Tameſinaque littora latè,
Ponſque ſuper refluis obſtupefactus aquis.
Fors juvat audaces. factum fortuna ſecuta eſt.
Vicimus: eſtque hoſti dextra probata meo.
Ergo ſola ſuum memoret ne Roma Quiritem,
Fors timeant noſtram robora Hetruſca manum.

Κενοτάφιον *magnanimis Heroibus ac civibus, qui ſe Donaldinis Inſulanis objecerunt, in memorabili ad Harlaum pugna, Roberto Stuarto Prorege pro Iacobo* 1, 1409.

HIc ubi congeſto tumidos ſuper aggere cernis,
Qua volvit querulas Vrius amnis aquas;
Heu! quantas patimur clades, quæ funera quondã!
Hic bellatorum quanta ruina jacet!
Quos patriæ communis amor, quos junxit amore
Rara fides, ſimul hos abſtulit una dies.
Dum conferta ruunt regni in ſe viſcera, genſque
Vltima ab Æbudis interiora quatit;

Barba-

Barbaricis cecidere armis. Quiſnam ardor in illis!
Magnanimo quantum pectore robur ineſt!
Hinc armis, animiſque inſtant, ſonat ictibus æther,
Et circum effuſo ſanguine fervet humus.
Mars licet ambiguus, dubia haud eſt gloria. pluris
An cecidiſſe fuit, an ſupereſſe fuit?

Hugo Kennedus, familiæ Barganiæ auctor, tempore Roberti Stuarti Proregis pro Iacobo I, 1420.

AN ſequar huc quo fata trahunt? ſequar extera bella,
Et quo nobilium ſors vocat ampla ducum?
Magnanimos vocat alta duces mecum incita Martis
Gloria, & hinc hoſtis, hinc ſociûmque fides.
Nota fides ſociis: dextra implacabilis hoſtis
Occubuit. Nos hic pars quotacunque ſumus.
Externoque ſolo noſtræ decora inclyta gentis
Intulimus, noſtris extulimuſque decus.

Iohannes Stuartus, Buchaniæ Comes, Equitum Francorum Magiſter, Archibaldus Duglaſſius, Victoniæ Comes, Dux Turonenſis, ad Vernolium caſi 1422.

GAllia vos titulis; vos Gallica regna tropæis
Auxiſtis, meritis utraque regna cluunt.
Tertia ſi invideant, quid mirum! ingentia damna
Queis data, Saxonidum dum cecidere duces.
Deſine lingua procax verbis inceſſere. Teſtis
Gallus adhuc ſervat tot monumenta ducum.
Et vos æternum memorabit Gallia cives
Grata ſuos, titulos quæ dedit, & tumulos.

Thomas Bodius, Arraniæ Comes, tempore Iacobi 3, 1470.

ILle ego, cui nuper blandum fortuna benigna
Riſit, & in gremio fovit amica ſuo.
Affinis regum, cumulatus honoribus, amplas
Auctus opes, ſolo rege potente minor.
Ecce modo immani percuſſus fulminis igni,

Vnde

Vnde abeam, aut ubi ſim, neſcio, quove feror.
Quæ dare ſors ſimulat, noſtris illudere damnis
Dura volens; data mî: nec data ſurripuit.
Amiſſa & patria, & conjux, raptique penates:
Vnica in exilio dextra relicta mihi eſt.
Dextera & audaci culta; & benè cognita Carlo
Burgundo. Cineres Belgica terra tegit.
Ingratas cauſerne vices? At Principis ira
Quæ nocuit, famæ profuit illa meæ.

Andreas Sylvius, Eques tempore Iacobi 3, *&* 4, *belli navalis gloria illuſtris*, 1490.

HVc, huc Nereides, liquidũ quæ ſinditis æquor;
Ite Deæ in laudes, & canite acta viri.
Veſter erat. Pelagi vobis cedentibus ultro
Iura tenet, famulis & dominatur aquis.
Stant ipſæ attonitæ, vaſtis dum puppibus acer
Imminet, & victas vincula ferre jubet.
Regificæ, ingentes, non uno tempore fractæ
A paucis. Quonam hæc numine geſta putes?
Nec prius hæc fieri, quam cum eſſent, credidit hoſtis,
Et cum facta forent, credere vix potuit.
Nos domini rerum, vos lucida ſidera terris,
Aſt huic cum pelagi par decus omne Deis.

Andreas Britannus, tempore Iacobi 4, 1512.

DAmna tuli, retulique aliis. Prædator inultum
Nil tulit: hinc magnis regibus horror eram.
In me clam coeunt odiis immanibus. Atqui
Excipere inſidiis regia reſne fuit?
Quantum animi fuerit velles cognoſcere? fractus
Corpore, cantando prælia dura dedi.

Ara heroibus, qui cum Iacobo 4 *ad Fluidonem occubuerunt* 1513.

MAgnanimi heroes, vobis hanc ponimus aram,
Hæc cum luctificis triſtia ſigna notis:
Flent matres raptos natos, natique parentes:
Frater & in fratris funere multa gemit.

It Tueda irrorans lachrymis, Nymphæque ſorores,
Et quæcunque colunt flumina mœſta Deæ.
Ergo furens tantũ potuit Mars improbus, aut mors,
Mortali ut caderent numina tanta manu?
Ille ævi decus auguſtum, ſpeſque unica rerum,
Atque illi invicta pectora juncta fide;
Dum ſimul hoſti inſtant, ſpernunt ſimul omnia: nemo
Dum ceſſiſſe velit, nec ſupereſſe valet.
Fælices animæ, tanto quas patria luctu,
Quaſque prior tollens fama ſub aſtra vehit.

Walterus Scotus Balcluchius, tempore Iacobi 5, 1526.

INtentata aliis, nullique audita priorum
Audet, nec pavidum morſve, metuſve quatit.
Libertatem aliis ſoliti tranſcribere reges:
Surreptam hanc regi reſtituiſſe paras.
Si vincis, quanta ô ſuccedunt præmia dextræ!
Sin victus: falſas ſpes jace, pone animam.
Hoſtica vis nocuit: ſtant altæ robora mentis
Atque decus. Vincit rege probante fides.
Inſita queis animis virtus, quoſque acrior ardor
Obſidet, obſcuris nox premat an tenebris?

Fraſeriorum familia à Reginaldinis fere tota exſtincta tempore Iacobi 5, 1544.

MAgnanimo Fabii ceciderunt funere quondam,
Et Marti, & patriæ victima chara ſuæ.
Nos utinam hoſtilis peregrino Marte petiſſet
Dextera; & ô patriæ ſi cecidiſſe datum!
At nos antiqua una omnes à ſtirpe reciſi
Occidimus, diris præda petita lupis.
Simplice nec fato miſeri defungimur, eheu!
Nec genus, aut generis ſpes ſuper ulla manet.
Ah fata! At ſuperant faciles fera fata maritæ,
Atque novo gravidæ prælia Marte cient.
Genſque renaſcendo ſurgit numeroſior. Iſta
Lege iterum Fabii fors cecidiſſe velint.

Epitaphium

Epitaphium eorum qui in Pinkia occubuerunt 1547.

COnſtiterant confertæ acies,denſæq; phalanges,
Non ſecus ac valida mœnia ſtructa manu :
Hinc trepidat, refugitque hoſtis : victoria noſtra
Pene fuit, ſi non fata ſiniſtra premant.
Occidimus ; noſtro meritas nec crimine pœnas
Pendimus ah ! quo nos credulus error agit ?
Non animis virtus , non duris robur ab armis
Profuerat, fati præſcia menſque mali.
Occidimus regni flos, & vigor integer ævi,
Patriaque in noſtro funere tota jacet.
Sparge roſas, violaſque, haud ulla beatior urna
Tot tegit invictos Martia corda viros.

Gilbertus Kennedus, Caſsiliſſæ Comes , in Gallia veneno ſublatus 1558.

QVæ decora heroum , quæ gens , quibus edita Divis ,
Quos , quantos dederit dia propago duces ;
Vnum hunc ſi ſpectes , ſpectaveris omnia in uno :
Inque uno hoc omnis lucet imago domus.
Priſcos reddit avos : fælix nova ſæcla nepotum
Excitat , & meritis auget utroſque ſuis.
Plurima reſtabant : ni fraus malè tecta veneno
Tolleret, extrema funera Gallus habet.
Incubat uſque gravis rebus Fortuna ſecundis,
Et nunquam æquali fata tenore fluunt.

Iacobus Montgomerius, Comes, qui Henricum 2, Galliarum regem haſta peremit in ludicro certamine provocatus , ſecuri percuſſus 1574.

GAllia magnanimo dedit inclyta nomina, & ortus
Proximus à Scotis ordo,genuſque venit.
Vtraque regna ſuum jactant , ſe jactat utriſque :
Nec mentita atavos mens generoſa cluit.
Non illo quiſquam ſtricto concurrere ferro
Doctior : hoc cecidit fulmine Gallus Atlas.

Iam

Iam ſacer armorum pro relligione renata.
Ardor agit. Lethi quanta pericla adiit!
Subſidium obſeſſis adverſa per agmina vexit,
Præſenti miſeros & relevavit ope.
Oppoſitæ ſtupuere acies, fraus crimine ficto
Suſtulit. Hæc virtus præmia ſæpe refert.

Iacobus Sandelandus Calderanus, Eques 1560.

GAllia clara viris, quæ tot Mavortia jactas
Pectora, & auguſtis æmula terra notis;
Scotia magnanimi tot nomina clara merentem
Nobilium in cœtus hunc quoque ferte ducum.
Libertas animi celſo ſub pectore, pectus
Atque manus ſemper proque Deo, & patria.
Hinc quæ aliis domina eſt, facta illi eſt gloria ſer-
Virtutē hæc dominam ſponte ſecuta ſuam eſt. (va.

Matthæus Stuartus, Leviniæ Comes, Prorex pro Iacobo 6, glande Sterlini interfectus 1571.

SOrs, animus, mores, momentaque ſingula rerum
Vt taceam, arguerint ſemina dia domus.
Sors miſero illudens cumulat mala multa. Stetit
Celſior, haud ullis contremefacta minis. (mens
Ante oculos cerno crudelia funera nati,
Atque uno in nati funere mille neces.
Hinc petit invidiæ rabies, hinc dira tyrannis
Vexatum patriâ cedere cogit humo.
Exilium exilio eſt. Tanto ceſſiſſe furori
Pœnituit. miſeros hæc dedit hora lares.
Vis melior fati fatum domuiſſe videri
Iam poterat, cum me mors properata rapit.
Cur furiata in nos ſic ſurgunt fata? Deorum
Immortale genus quod ſumus, illa probant.

Iohannes Areskinus, Marriæ Comes, Prorex pro Iacobo 6, 1572.

NObilis heroum ſoboles, cognataque cœlo
Pectora, mens, virtus, robora, rara fides.
Quæ cœli genius celſo dignatus honore

Subvehit

Subvehit, & puræ relligionis amor.
Obſequio in reges, cultu, ſtudioque fideli,
In patriam meritis nec prior ulla domus.
Hæc veſtra, hæc veſtri dederant decora inclyta pa-
Succedens veteres genſque perennat avos. (tres,
His ſtetit antiquum vobis decus: hiſce paratum:
Nec rapere hoc veſtrum mors potis ulla decus.
Demetit atra manu mors omnia. At inclyta virtus,
Et pietas æquant ultima ſæcla Deûm.

Gulielmus Kircaldius Grangeanus, 1573.

MAgnanimos huc pone duces, quos inclyta Roma
Extulit, & ſi quos ultima ſæcla canunt.
Non minor hic animis atque immortalibus auſis;
Non minor invictis dextra ſuperba animis.
Accola ſcit Rhodani, & Ligeris; ſcit belliger An-
Quaque patet gemino Scotia miſta ſono. (glus,
Quam benè conſultum patriæque, ſibique, ſuiſque,
Ni malè conſultum callida fraus raperet!
Præcipiti Fortuna loco eſt, faciliſque retrorſum
Eſt via, ni teneas cum ratione modum.

Κενοτάφιον *Scotorum militum, qui à ſociis in Livonia occiderunt ad Veſenburgum, anno* 1574.

SCotia bellaces variis quæ ſufficit oris,
Scotia fœta armis, totaque fœta viris;
Poſcentique etiam mittit tibi Suetia turmas,
Queis freta auxiliis Moſchica regna premas.
Queis ſine nec tua tuta ſatis, nec pellier hoſtem
Poſſe putas, Ruſſos proſubigique truces.
Aſt tu barbaricis Ruſſorum immanior hordis,
Auxiliatrices perdere es auſa manus.
Nec datur, immanem contra ſe Marte tueri
Sævitiam, his pariter, caſtra, acies, tumulus.
Infælix tellus! tamen iſto ceſpite fælix
Quo tegeris, tegis & tot monimenta virûm.

Iohannes

Iohannes Leon Glammius, Cancellarius, glande Sterlini trajectus 1577.

NOmina quid terrent? feritas hic nulla leonum,
Mitia magnanimo pectore corda gerit.
Quantũ animi ingeſſit generoſa in pectora Mavors;
Tantum animum faciles excoluere Deæ.
Rarus honos Muſis: ſtudiorum nobilis author,
Et pater, & patriæ ſplendida fama ſuæ.
Dum patriæ pacem concuſſæ turbine rerum
Conciliat, diris occubat inſidiis.
Impia, dira manus, non hoſtem cædis: at iſto
Vulnere crudelis quod petis, eſt patria.

Iacobus Crittonius Clunius, Muſarum pariter & Martis alumnus, omnibus in ſtudiis admirabilis, Mantuæ à ducis Mantuani filio caſus 1581.

ET genus & cenſum dat Scotia: Gallia pectus
Excolit: admirans Itala terra virum.
Ambit, & eſſe ſuum vellet. Gens æmula vitam
Abſtulit. An ſatis hoc, dicat ut illa ſuum?
Mantua habet cineres, ſcelus exſecrata nefandum,
At tumuli tanto gaudet honore tamen.

Iacobus Duglaſsius, Mortonius Comes, Prorex pro Iacobo 6, ſecuri percuſſus 1581.

HVnc ſpecta heroem, celſo cui ſpirat ab ore
Majeſtas, toto & pectore rarus honos.
Auguſtos inter terrarum lumina reges
Pro rege & domino regia ſceptra tulit.
Conſilium, imperium, virtus, facundia, cenſus,
Quæque homines capiunt, quæque dedere Dii;
Vnus cuncta fuit. Nihil ad faſtigia ſumma
Defuit, æternum ſi ſua fata darent.
Sed viden' ut ſubito fatorum turbine verſa
Omnia, & in præceps pondere preſſa ſuo?
Diſcite mortales, mortalia temnere, & illa
Quærere, quæ miſeris non rapit aura levis.

N. Mont-

N. Montgomerius, ad Dola mœnia in Gallia caſus 1590.

AVdax mille neces per aperta pericula quærit,
Enthea vis totum pro pietate quatit.
Bellantem quoties hunc vidit Gallia in armis,
Belligeri toties credidit arma Dei.
Belliger hinc Mavors nec ſe jactaverit armis,
Si non Marte ſuo fulmina tanta premat.

Iacobus Stuartus, Moraviæ Comes à conjuratis caſus 1592.

PEctore magnanimo ſpecies veneranda renidet,
Et decus,& decori gratia juncta ſuo.
Magnanimum qualem memorarunt Hectora vates,
Qualis & Alcides conſpiciendus erat.
Quin ſuper hos ſpes alta,ingens,magna omnia vin-
Extulerit, ſi non invida fata premant. (cens
Et premere haud potuit mortalis dextera: vis, fraus
Inque unum coeunt cuncta elementa ſimul.
Inſtat flamma,urget fumus,premit unda,ſepulcrum
Terra negat : cæli ſidera ſola patent.

Epitaphium in obſidione Hulſti caſorum 1596.

QVid mirum,ex animis animos diſcrimine tanto
Excidere?Et quis non fulmina tanta premat?
Fulmina terrifico quatientia tecta fragore,
Iunctaque nimbiferis horrida tela globis.
Aſt magis, hocce magis vobis vis maſcula ſurgit,
Atque animos addunt aucta pericla novos.
Hiſpanæ tremuere manus, ſtupuere cohortes,
Torpuit occulto menſque ſoluta metu.
Iam jurant non hos Geniis mortalibus ortos,
Aut ſi homines, majus numen adeſſe Dei.

Lachlanus Maclanus Duartius, ex inſidiis caſus 1598.

HEroum veterum nova gloria, fama novorum,
Fama vetus, pariter gloria priſca, recens.

Objice tela,neces,& mille pericula rerum,
Deficient citius tela,pericla,neces ;
Quam Maclano animi,aut animis ſua robora,dextrę
Pectora,pectoribus, conſiliive vigor.
Nuſquã,heu! tanta fides;ferit impia dextra nepotis.
Heroem hæc nullum ſæcula ferre valent.

Alexander Moravius Tullibardinus, militum Præfectus in Belgia, ad Bommeliam caſus 1599.

QVid ſibi vult tanto rerum molimine Iberus,
Cogat ut immenſas totius orbis opes ?
Ne perculſa nimis metuas Bommelia : fruſtra
Te poſcat, vires ſenſerat ante tuas.
Hoc caput ille ferox poſcit ,me deſtinat unum
Exitio. fatis tu redimenda meis.
O utinam hoc noſtro poſſem ſatiare tyrannum
Sanguine ! Iam fælix Belgica terra fores.

Alexander Bodius, Poeta ſuaviſſimus, 1601.

HEroum genus, antiquo de ſtemmate avorum,
Quos tulit heroum Martia terra parens.
Qui dedit heroas divina carminis arte,
Græcia queîs fælix, queîs cluit & Latium :
Quique pari cultu divas dedit heroinas,
Quas ſama illuſtres ſecula cana ferunt:
Ipſe animis heros,& dio frontis honore.
Heu ! nunc extinctum decolor umbra notat.
Quid mirere igitur Bodium hic ſpectarier ? Inter
Heroas meruit jure tenere locum.

Epitaphium eorum qui pro renaſcente religione in Gallia mortem oppetiverunt.

HÆc Mars,hæc pietas, gemino hæc ſub nomine tellus
Scotorũ meritis ſigna ſuperba locant.
Robora quot magnis nunquam venere Mycænis,
Magnanimûm rapuit Gallia dura virûm.
Fælici geminam meruerunt funere vitam :
Hanc virtus, pietas donat habere aliam.

Epita-

Epitaphium eorum qui in Belgia occubuerunt per bella civilia.

VOſne etiam hic memorem, fortiſſima pectora, cives?
(Plus quam etiam cives Belgica terra vocat.)
Par utrique decus genti,par gloria rebus,
Huic animam, atque omne huic, quod dedit illa, datis.
Vna ſalus, îdemque lares, ſanctique Penates,
Sollicitudo,metus,vita,pericla,neces.
Præterea an quidquam poſcat ſibi patria tellus?
Quin patria vobis Belgica terra prior.
Vulnera quot numerant hoſtes, quot Belga triumphos,
Hinc vobis totidem parta tropæa nitent.
Æratæ haud terrent acies,non dura minantum
Agmina, belligeri ſæva nec ira Dei.
Iam vos fælices tandem certamine functi:
At quænam ô Belgis meta laboris erit?
Da feſſis finem rebus, da cernere portum
Alme pater.Tibi nos thura preceſque damus.

FINIS

Tomi primi Poetarum Scotorum.

CX2
3.NE